Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
15 — H
31

4706

Digitized by Google

B 11 c 13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

12

Digitized by Google

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,

D. IOANNI HENRICO, EPISCOPO BASILEENSI,

SAC. ROM. IMPERII PRINCIPI, &c. PRINCIPI, ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Centesimus iam annus exactus est, REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, ex quo Lutheranæ sectæ adhærentes pauci Germaniæ Principes, & duæ Ciuitates, Confessionem fidei, per Philippum Melanchthonem ex scriptis Lutheri collectam, Imperatori CAROLO V. Pientissimæ memoriæ, in Comitijs Augustanis exhibuerunt. Atque ideò eiusdem Cõfessionis moderni Asseclæ superiore Anno sæcularia festa & iubila instituerunt: solennia lætitiæ signa daturi, quòd ipsorum fides centenariam iam supervixerit ætatem. Sed, ita me Deus amet, nihil quidquam causæ video, cur jubilare possint Lutherani. Quandoquidẽ siue Confessionis Aug. originem, siue ætatẽ, siue qualitates alias, & discipulorum eius, quotquot hactenus fuerunt, in Articulis ipsius concordiam æstimo, siue eorum ipsorum, qui nuper iubilarunt cum Aug. Confessione doctrinam comparo; nihil omnino reperio, ob quod festos istos dies ex animo instituere potuerint.

Ad originem enim Aug. Confessionis quod attinet; an non hoc ipso patescit, eam à vera Religione alienissimam, quòd centum abhinc annis primùm in lucem edita, ante nusquam in orbe terrarum conspecta fuerit? Veræ Fidei Confessionem, à Christo per Apostolos fundatam, nunquam emorituram adeò manifestè Scriptura docet, vt ipsa Confessio Aug. Art. VII. fateatur, eam à temporibus Apostolorum ad consummationem vsque mundi perpetuò & continuò esse permāsuram. At quonam loco, inter quas Gentes, in qua denique familia immediatè ante Lutherum viguit ista Confessio, cuius primum jubilæum non ita pridem celebrarunt Lutherani?

Neque tamen hæc ipsa Confessio ante centum annos ita tantùm in lucem prodijt, vt nusquam terrarum ante comparuerit; sed etiam vix nata ab ipso Parente ad interitum damnata fuit. Cùm mirâ, & sæpè iteratâ metamorphosi tam varios vultus induit, vt vix Polypum toties colorem mutare posse existimem. Quid ergo de centenaria ætate Confessionis suæ triumphant, quæ ne decimum quidem annum integra & incorrupta vidit? Latebat quidem in paucis Principum Archiuis; sed quonam loco centum istis proximè elapsis annis continuè lucem publicam inuariata aspexit? Quo loco purè semper prædicata fuit? An non superioris sæculi Annales luculenter testantur, plerosque Lutheranos nihil fuisse minùs quàm veros invariatæ Confessionis Discipulos? Quòd si quis ea de re dubitet, vel solum Concordiæ Librum inspicere ne grauetur; & videbit, quanta fuerit inter Lutheranos de grauissimis fidei Articulis ante Libri istius fabricationem discordia. Quanta verò etiam post illũ in lucem editũ manserit, dicere non est opus; quãdo ea de re publica monumẽta satis superq; loquuntur.

Sed

Sed fuerit sanè omnibus istis, quibus nunc iubilatum est locis, continuo hoc centum annorum tractu vnanimiter recepta, & publicè prædicata inuariata Confessio; quid tamen est, quòd de prima eius promulgatione tripudient, si illa ipsa ita se habet, vt Verbo Dei conformis nullâ ratione iudicari posit? Ait quidem Lutherus, Tom. 5. Ienens. Germ. pag. 373. & cum illo Confessionistæ omnes, Aug. Confessionem adeò manifestè cum Verbo Dei conspirare, *vt in Augustanis Comitiis Aduersarij confiteri coacti sint, doctrinam illam esse merè Scripturam* (Quod quàm verum sit, vel ex Refutatione Confessionis, quam Catholici conscripserunt, colligi potest) Sed si nuda asseueratio sufficit, omnia Lutheri paradoxa, quorum plurima ipsi Confessionistæ reijciunt, recipere debebimus. Cùm enim adhuc plurima, Confessionistarum non minùs, quàm nostro iudicio falsa doceret, confidenter se certũ asseruit, doctrinã suã esse de cælo, & nunquã esse periturã. Vt Lib. cont. Reg. Angliæ *Euangelium*, inquit, *seu dogmata mea stabunt, & Papa cadet, inuitis portis inferi.* Et in Admonit. ad omnes Christianos: *Ego*, inquit, *certus sum, quòd verbũ meũ nõ sit meũ, sed Christi verbum. Quo fit, vt os meũ eius sit, cuius verba loquitur, nempe Christi. &c.*

Itaque in hac Anatomia, quantum quidem per temporis angustiam, & alia negotia licuit, ostendere decreui, vanissimam hanc esse Lutheri, & Discipulorum eius iactantiam, qua Confessionem Aug. merè Scripturam, vel Scripturæ vbique conformem esse gloriantur.

Tametsi verò in Confessionis Aug. contubernium non admittunt eos, qui Caluini, Zvvinglij, & similium placita sequuntur; eisdem tamen cum *Confessione* ista fundamentis generalibus nititur tota *Confusio*, quæ superiore sæculo, sub varijs Auctorum & Sectarum titulis,

)§(3 plurima

plurimas orbis Christiani ditiones, & inter reliquas bonam Episcopatus Basileensis partem, atque ipsam eius primariam Sedem & Cathedram occupauit: & Anno 1529. vltimâ bacchanaliorũ die (ista videlicet Pentecoste tale Euangelium decebat) in aliquot cumulos Christi & Sanctorum congestis Imaginibus, & in die Cinerum sacrilegè redactis in cineres, auitam Religionem Catholicam exulare coëgit. Vt enim Confessio Aug. schismatis sui causam in Ecclesiæ Romanæ abusus reijcit; ita Caluinistæ quoq;, Zvvingliani, & quotquot hactenus ab Ecclesia illa recesserunt, atque in ipsa vrbe Basileensi, quantumcumque in fidei doctrina repugnantes, sibi inuicẽ successerũt. Vt puro Dei Verbo gloriãtur Cõfessionistæ; ita & Caluinistę. Et proinde vt in singulis fidei Articulis controuersis ad Scripturã prouocant Cõfessionistæ; ita & Caluinistæ prouocant. Atque, vt summatim dicam, quidquid ad sectæ suæ defensionem dicunt & faciunt Confessionistæ; idem dicunt & faciunt pariter Caluinistæ. Et quis erit vnquam Controuersiarum finis, nisi ad Ecclesiam Matrem, quæ Maiores omnes nostros lacte suo enutriuit, vt morigeri filij confugiamus? Nihil enim clarius, quàm, duabus partibus contraria sentientibus, diuinam veritatem vtrimque consistere non posse. Et quo euidente argumento probat vna potiùs, quàm altera, prose stare indubitatam veritatem? Itaque infallibili iudicio externo in hoc negotio opus est, quo tanquam Thesei filo per hunc Sectarum labyrinthum dirigamur, ne in inextricabiles, è quibus nulla tandem exeundi spes affulgeat, errores incurramus. Qui enim securè, & ex arbitrij sui electione hìc procedunt, & vel omni doctrinæ vento circumaguntur, vel quod primum occurrerit, vel in quo educati sunt, absque alio infallibili argumẽto, optimum

timum

timum ducunt; fidem non habent; sed pro fide meram & fallacem, imò falsam opinionem.

Porrò hanc Anatomiam sub REVERENDISSIMÆ ET ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS VESTRÆ auspicijs in lucem emittere volui, vt aliquam grati animi, nunquam satis explicandi, significationem darem, pro innumeris beneficijs, quæ R.^{ma} & Ill.^{ma} Celsitudo Vestra plenâ manu compluribus annis in me congessit; atque adeò Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Basileensi suum, per Episcopale munus, ad quod singulari Dei prouidentiâ destinata fuit, à Se depositum, in me, licet immerentem & indignum, direxit. Humillimè rogans, vt quemadmodum benevolo semper & gratioso me affectu complexa est, ita hanc animi mei qualem qualem testificationem gratam & acceptam habere non dedignetur. Et me Clientem suum humillimum ad omnia pro tenuitate mea obsequia, in Ecclesiæ Catholicæ, & præsertim Basileensis incrementum, Sibi, vt obligatissimum, ita deuotissimum & promptissimum semper futurum esse arbitretur.

Faxit hoc vnum DEVS, per Beatissimæ MATRIS suæ patrocinium, quam Ecclesia Basileensis vt singularē Protectricem suam semper coluit, per aliorum Sanctorum Tutelariū, & inprimis S. HENRICI Imperatoris preces, vt quemadmodum ipse bello vastatam, & alijs calamitatibus exhaustam Basileensem Ecclesiam restaurauit; ita sub Episcopo Nostro, Ei cognomine, Basilea, olim fidei Catholicæ acerrima propugnatrix, Romanæ Ecclesiæ addictissima, plurimisque ab ea priuilegiis ornata Filia, Concilij generalis receptaculum, veræ Religionis amœnissimum domicilium, pulsâ errorum caligine, veræ Fidei radios sincero oculo, non calumniarum glaucomate ob-

te ob-

te obducto, denuò aspiciat, agnoscat, & amplectatur. Ita vouebam Friburgi Brisgoiæ, ipsâ salutiferæ Annuntiationis Beatæ Virginis die, Anno post Eiusdem Virginis Partum M.DC. XXXI.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ
Celsitudinis Vestræ

Seruus & Cliens humillimus,

deuotissimus

THOMAS HENRICI.

IN IVBILÆVM
A Lutheranis institutum.

F*Ecere festos* Verbicolæ *dies,*
Et Iubilæum *non sine plausibus*
Passim locorum destinârunt,
Quà Synagoga viget Lutheri.
Atque hic Triumphus primitius fuit
Post sæculum vnum. Dicite, Aruspices,
Quæ forma mundi sit futura,
Sæculum vbi fuerit secundum?
Fuit Triumphus primus, & vltimus,
Dicetis. Ergo ô plaudite, plaudite
Martiniani, *&* Iubilo *vno*
Omnia prendite Iubilæa.
O magna facti desipientia,
Congratulari, res vbi postulat
Tractare Lessum, & luctuosos
Veste dies operire pullâ!
Cessate tandem euertere Biblia, &
Spirare pleno folle sophismata,
Ecclesiaq́; intaminatos
Tollere nequitiosè honores.
Aut facto eodem luce meridiem
Priuate, stellasq́; eripite ætheri:
Aut occidentes versus ortum
Solis equos cohibite retrò.
Sat est per annos dogma Luthericum
Stetisse centum. Si stetit integrum.

)§§(*Sed*

te obducto, denuò aspiciat, agnoscat, & amplectatur. Ita vouebam Friburgi Brisgoiæ, ipsâ salutiferæ Annunciationis Beatæ Virginis die, Anno post Eiusdem Virginis Partum M. DC. XXXI.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ
Celsitudinis Vestræ

Seruus & Cliens humillimus,

deuotissimus

THOMAS HENRICI.

Digitized by Google

IN IVBILÆVM
A Lutheranis institutum.

FEcere festos Verbicolæ *dies,*
Et Iubilæum *non sine plausibus*
Paßim locorum destinârunt,
Quà Synagoga viget Lutheri.
Atque hic Triumphus primitius fuit
Post sæculum vnum. Dicite, Aruspices,
Quæ forma mundi sit futura,
Sæculum vbi fuerit secundum?
Fuit Triumphus primus, & vltimus,
Dicetis. Ergo ô plaudite, plaudite
Martiniani, *&* Iubilo *vno*
Omnia prendite Iubilæa.
O magna facti desipientia,
Congratulari, res vbi postulat
Tractare Lessum, & luctuosos
Veste dies operire pullâ!
Cessate tandem euertere Biblia, &
Spirare pleno folle sophismata,
Ecclesiaq́ intaminatos
Tollere nequitiosè honores.
Aut facto eodem luce meridiem
Priuate, stellasq́ eripiteætheri:
Aut occidentes versus ortum
Solis equos cohibite retrò.
Sat est per annos dogma Luthericum
Stetisse centum. Si stetit integrum.

)§§(*Sed*

Sed centiformes in chymaras
Intereà mala Secta *secta est.*
Si sic secari in singula sæcula
Pergat; quot hydræ prouenient, vbi
Attinget ætatem Beate
Petre *tua* Cathedræ *coæuam?*
Lustretur Auctor, scriptaq; posthuma,
Et conferantur pristina posteris:
Scopas videbis dissolutas,
Et laceras superesse chartas.
Martinianæ *quis fuerit scholæ*
Primæuus Auctor, dicere disþudet.
Augusta *tandem huius miserta est,*
Plausibile imposuitq; nomen.
Sic sæpè picto vina cado indita,
Aut aureatâ pixide pharmaca
Suspecta sunt: sic purpuratâ
Deses equus tegitur tapete.
Sic sæpè pulchro nomine sordida
Venduntur artes: sic catus Institor
Pro merce diuendit Chinensi
Gossypium minio retinctum.

I. F. M. D. E. P.

EPINICION

ECCLESIAE ROMANAE MILITANTI ET TRIVMPHANTI, de centenaria hæresi.

Garrula turba virûm fleat, intonsiq; Nepotes,
Ludere quidquid posteritatis adest.
O anima misera! lacrymis vrgete parentem,
Eheu! quam serò parca Nouerca necat.
Hæresis ah! mater, iam centenaria mater!
Porrigit extensos emoritura pedes.

Diuite

Diuite qui vestrûm sperat patrimonia censu,
Luctanti matri vellicet auriculam.
Altiùs inclamet, pungatq́, auresq́ fatiget:
Nam malè iam pridem grandior audit anus.
Exossata gemit, pallens, edentula; voces
Si cupit humanas edere, gannit anus.
Insanum guttur saniem, stomachumq́ mephitim,
Et corrupta hydra scommata lingua vomit.
Effoßis oculi retrò fugêre cauernis,
Plangite, mater obit semisepulta diem.
Nec tamen elapsam iuuat incusare iuuentam:
Vos iuuenem votis non facietis anum.
Ergone sic, aiunt, nos intestata relinques?
Ex ipso hæredes qui sumus asse tibi?
Non, ait, admittam, chari, mea gaudia, Nati,
Pascendos gratis antevolare greges.
Quamuis ampla domi vobis, & lauta supellex;
Lego tamen fraudum millia, mille dolos.
Pauperis est numerare pecus: conuitia plaustra hæc,
Fucos innumeros, scommata, falsa vehant.
En præco: si non sat vixi; plurima finxi.
Fingere plura quidem non potui; volui.
Vrite Pontifices crinito sidera mento:
Esse potest quiuis stella comata Papa.
Quæ superest pellis post mortem tympana claudat:
Vt defuncta etiam claßica cantet anus.
Nunc animam exspirat. Pia pignora claudite matri
Lumina. Cur iubeo claudere? Cæca fuit.
An sepelire placet matrem? Sepelire licebit.
Has lapidi insculpet patria læta notas.
Aeternam Pesti Germania nostra quietem
Exoptat, patria quam moritura dabit.
Hæresis euge vale; demum floreto, vireto,
Creuerit aggestâ cùm tibi gramen humo.
Hydra vale; multum Pesti Germania debet,
Docta tuis damnis, Hæresis. icta sapit
Sæpè venena iuuant, & sæpè ADVERSA SECVNDANT:
Quæ nocuere iterum sunt medicina malis.
Diffluit & plorat calidâ fornace metallum;
Sed lacrymas faciles: integra forma facit.
Ne rubigo voret, patitur sua verbera ferrum,
Et velut ad numerum puriùs igne salit.
Aurificis ductum sequitur, dum malleat, aurum;
Ad vivum meminit posse polire Fabrum.
Patria flagrauit, prosunt incendia, prosunt:
Aurea de ferro secula fusa fluunt.

Bella lues templis, arisq́; , focisque parauit,
Bella sacris, Superis, horrida bella Deo.
Iam passim surgunt templorum limina Diuis,
Pro diris onerant vota secunda tholos.
O Metamorphosin! Corrupto e semine Pestis
Nascitur in nostris aurea messis agris.
Intestina omnes fecere pericula cautos,
Quos malè securos fecerat ante quies.
Eneruat mollitq́; virûm pax languida vires;
Erudiunt contrà prælia crebra manus.
Vix propriam faciem felix Germania nouit,
Dici quando breui terra Latina potest.
Hæc tibi debetur quæ viuitur, Hæresis, ætas,
Mores, ingenium, tempora lapsa iuuant.
Iam multas numerat Germania mater Athenas.
Nulla hîc imbibitur punica, græca fides.
Præstantes virtute viros, pietatis amicos,
Doctrinaq́; pares innumeros numerat.
Sæpiùs in niuea diuinus veste Sacerdos,
Quàm quondam, patriâ deficiente, facit.
Plura tenent sacros Diuorum Nomina fastos,
Et veniunt meritis sacra latina viris.
Iam suprema Parens Virgo Regina triumphat,
Postq́; ipsum dicit iura secunda Deum,
Communi celebrant concentu Virginis Hymnos,
Verba quibus vix est dimidiata loqui.
Templa sonant, plateæq́; sonant, volitantia signa
Ordine quando solet plebs numerosa sequi.
Ceritos blaterent; tamen ardent omnia ceris:
Lymphatos dicant; omnia lustrat aqua.
Organa disparili pendentia musica versu
Dispensant Superis ingeniosa modos.
Diuorum laudes vocum discordia concors
Artifici passim fœdere iuncta canit.
Et quamuis alibi Bacchum, Cereremq́; propinent;
Pluribus & sanis sobria cœna sapit.
Vndant in templis populi, pietate liquescunt,
Gutta vbi vix veræ Relligionis erat.
Se scelerum accusans ingens est turba reorum,
Millia nunc vnum multa tribunal habet.
Pro plumis spina recreant, pro vellere ferrum,
Pro Zona claudit frigida seta latus.
Christiadum pubes insontia tergora plangit;
Verbera molliculis indolitura viris.
Carniuoros vetitis cornos odere diebus,
Queis tenuem cœnam lympha, Ceresq́; facit.

Cernis

Cernis vt insultet victis, & Rima triumphet?
Perdita victrices victima lambe rotas.
Et palmas clamat! palmas! malè sana caterua?
Palmas quas tergo senserat, ore canit.
Ni mutire sinis; ni conclamare, feretur:
Iam conclamatum est: Hoc mala pestis habet.
Nolo rescribas, nolo mendacia, nolo:
Secum matremeq; quis scribere vera, sile.
Responsis vetulis nobis antiquius est nil:
Ne sint ;' vera deinceps, scribe noua.
Sed fauor excipiet? murmur! damnabere voti:
Plures ire volent in tua scripta pedes.
Inflammata nouos in me jam concipis ignes:
Rideo: namque ignes nemo timet fatuos.
Respondere petas si porrò HENRICE Gigantes;
Tum mulges Hircos, Aethiopasq; lauas.

P. W. D.

APPROBATIO
Theologica.

CONFESSIO AVGVSTANA abhinc centum annis malo ouo in perniciem multorum nata, malâ fide sæpiùs variata, regenerata, exenteratur in præsenti Anatomia benè, examinaturque rectè. Errores quippe ipsius, ac hæreses proponuntur hìc clarè, distinctè; adijciuntur accommodè præcipua Errorum fundamenta, ac fulcimenta; refutantur, & dissoluuntur ea cum suis Erroribus eruditè, fideique Catholicæ conuenienter. Quare Anatomiam istam iudico dignissimam, quæ, pro defensione Religionis nostræ Catholicæ, ac correctione errantium Confessionistarum, in publicam producatur lucem.

Daniel Feldner è Societ. IESV, SS. Theol. D. & Professor in Vniuersitate Friburgensi, loco & nomine spectabilis Decani Theologici.

Digitized by Google

SCOPVS, ET PARTITIO
HVIVS ANATOMIÆ.

CONfessio Augustana est Symbolum Fidei Lutheranæ (vt Confessionistæ asserunt) quod ex Scriptis Lutheri per Philippum Melanchthonem collectum, & in ordinem redactum, atque ad Lutherum Coburgum ad reuidendum missum, Mense Iunio Anno 1530. in Comitijs Augustanis Inuictissimo Imperatori CAROLO V. exhibitum est: nomine Ioannis Ducis Saxoniæ, Principis Electoris, & Filij eius Ioannis Frederici, Georgij Marchionis Brandeburgensis, Ernesti Ducis Luneburgensis, & Fratris eius Francisci, Philippi Landgrauij Hessorum, Wolffgangi Principis ab Anhalt. Item duarum Ciuitatum, Nurenbergensis videlicet, & Reutlingensis. Ipsa verò Ciuitas Augustana, cùm sectæ Zvvinglianæ addicta esset, Confessioni huic non subscripsit. Quare Augustana dicitur, non quòd eius Ciuitatis fuerit, sed quòd in illa composita, & Cæsari latinè & germanicè exhibita.

Ad hanc Confessionem cùm Catholici breuem Confutationem adornassent, Philippus Apologiam composuit, quam Cæsar oblatam acceptare noluit. Ita enim Philippus in Præfatione Apologiæ loquitur: *Hanc Apologiam obtulerunt* Nostri *Cæsareæ Maiestati: Vt cognosceret, nos maximis & grauissimis causis impediri, quò minùs Confutationem approbaremus. Verùm Cæsarea Maiestas non recepit oblatum Scriptum.*

Nihilominùs Confessionistæ Apologiam non minùs quàm primam Confessionem, tanquam fidei suæ regulam semper agnouerunt. Ita enim in Comitiis Ratisbon. Anno 1541 Cæsari responderunt: *Ne cui dubium sit, quod doctrinæ genus in vniuersum in Ecclesijs nostris tradatur; iterum testamur, nos amplecti Confessionem Augustæ exhibitam Cæsareæ Maiestati*

Vestræ,

Vestræ, & Apologiam quæ addita est. Nec dubitamus, hanc doctrinam verè esse consensum Catholicæ Ecclesiæ. Et in Præfatione Libri Concordiæ inquiunt: *Hoc concordiæ negotio nequaquam noua comminisci, aut à veritate doctrinæ cœlestis, quam pij Maiores nostri, vt & nos professi sumus, vllo modo discedere volumus: Vt illa in Propheticis, & Apostolicis Scriptis fundata, & in tribus Symbolis* (Apostolico videlicet, Nicæno, & Athanasiano) *Augustanâ Confessione Anno 1530. Imperatori Carolo V. Excellentis Memoriæ exhibitâ, deinde Apologiâ, quæ hanc subsecuta est, Smalcaldicis Articulis, & Magno, ac Paruo Catechismo illuminatissimi viri D. Lutheri pluribus continetur.*

Itaque meritò nomine Confessionis Augustanæ ipsam quoque Apologiam intelligimus. Quamuis fallat Philippus, fallat ipse Concordiæ Liber, quando eam se Apologiam proponere asserit, quæ Carolo V. oblata fuit. Ita enim loco citato loquitur Philippus: *Habes igitur, Lector, nunc Apologiam nostram, ex qua intelliges, & quid Aduersarij judicauerint (retulimus enim bonâ fide) & quòd Articulos aliquot contra manifestam Scripturam Spiritus sancti damnauerint.* Nam in Apologia ista, quam ipse edidit, & quæ Libro Concordiæ tanquam fidei Symbolum inserta fuit, neque sententia Catholicorum, neque ipsa Apologia Cæsari exhibita bonâ fide refertur. Vt vel ex Art. X. De Cœna Domini (grauissimâ videlicet illâ materiâ) manifestum est. Ita enim habet Apologia Originalis: *In X. Articulo neq; nos fingimus, mortuum Corpus sumi in Sacramento, aut Corpus exangue, aut Sanguinem sine Corpore sumi. Sed sentimus, integrum & viuum Christum adesse in qualibet parte Sacramenti.* Cum quibus si conferantur, quæ Apologia Libro Concordiæ inserta ad hunc Articulum habet, manifestè apparebit, quòd pessimâ fide sententia non tantùm Catholicorum, sed etiam Apologiæ Originalis in illa referatur. Vt infra Art. XI. Quæst. I. videre licebit.

Porrò huius Anatomiæ scopus præcipuus est iste, vt ostendatur, Confessionem Augustanam, & eius Apologiam nullâ ratione à Confessionistis tanquam infallibile fidei Symbolum

bolum haberi posse. *Nam Symbolum fidei est*, vt Ioannes Georgius Dorscheus, Professor Argentinensis, in Dissertatione pro sæculari memoria Confessionis Aug. pag. 43. docet, *quod doctrinæ eorum, quorum Symbolum est, succinctam summam ex Verbo Dei, & Sacrosanctis Prophetarum & Apostolorum Scriptis collectam ita continet, vt per illud, tanquam per indubitatam notam, omnes orthodoxi vbiq; terrarum agnosci, & in præcipuis ac substantialibus fidei Articulis ab Aduersarijs suis discerni possint. Symbolum quippe omnes fidei Articulos necessarios, in quibus vna pars ab altera dissentit, continere debere, & esse omnino immutabile & inuariabile.*

In hac verò Anatomia demonstrabitur, Confessionem Aug. in controuersis Articulis nusquam probare, quòd Scripturæ sacræ conformis sit; nec summmam Articulorum controuersorum complecti; sed ipsos illos, in quibus grauissima controuersia est, ita proponere, quasi aut nulla, aut exigua foret. Et proinde per hanc Confessionem Lutheranos ab Aduersariis suis non tantùm Catholicis, sed etiam plerisque Caluinistis non distingui, nisi in vno Articulo De Cœna Domini: qui in Confessione Originali nobis contrarius non est. Item, vt iustam à nobis dissentiendi causam habere videatur, sententiam Catholicorum contra ipsorum mentem pęnè vbique proponere; neque esse immutabilem: nam non tantùm à Philippo sæpiùs mutatam fuisse, & Apologiam, à prima longè diuersam, per Librum Concordiæ propositam; sed etiam Confessionistas modernos in maximi momenti Articulis Confessionem Originalem mutare, & ipsi, vt & Apologiæ suæ contraria defendere.

Quia verò doctrina Ecclesiæ Romanæ plurimis calumnijs in Confessione & Apologia impetitur, eam in singulis Articulis, vt in se est, sincerè explicabo, & quàm breuissimè fieri poterit confirmabo. Vtque omnibus appareat solius veritatis studio hunc laborem esse susceptum, ita nudè Assertiones meas proponam, vt verbis contumeliosis vbique abstineam: quibus non tantùm Aduersarij magis exasperari, sed etiam veritatis studiosi minùs ædificari, quàm offendi solét. Quamquam acerbiùs loquendi causa iustissima non rarò sup-

peteret; & si non alia, saltem ex lege Talionis. Licet enim in Apologia Art. de Missa dicat Philippus: *Nos modestissimè causam tantam proposuimus, & sine contumelia respondimus*; quàm verè tamen hoc dicat, vel ex præclaris titulis manifestum est, quibus Catholicos, qui jussu Cæsaris Confessioné refutarunt, passim exornat: cùm *Sophistas, Asinos, Nihili homines, Nihil frontis habentes, Nebulones, Sardanapalos, &c.* appellat: & à Deo postulat, vt ipsos malè disperdat. Quia tamen plurimas, vt dixi, calumnias, & mendacia Confessioni & Apologiæ immiscuit Philippus; non potui, quin ea nominibus illis notarem, quibus intelligi valeant. Nam scapham scapham, ligonem ligonem dicere debui. Vbi tamen alios fraudis & falsitatis non accuso, quàm *Lutherum, Philippum*, &, si ita volunt, *Ioannem Brentium* quoque, *& Iustum Ionam, Erhardum Schnepffium, & Georgium Spalatinum*, quos Philippo in compilanda confessione astitisse asserunt. Vt patet ex Dissertatione sæculari Ioannis Schmidt Primarij Prædicantis, & Professoris Argentinensis, pag. 41.

Septendecim Articulos acceperat à Luthero Philippus, vt loco citato dicit Ioannes Schmidt, quos vbi aliorum Theologorum protestantium formulis contulisset, viginti octo, ex septendecim Lutheri potissimùm concinnatos, mutatis phrasibus, & methodo in vnum compilauit. Quorum prioribus XXI. de præcipuis fidei dogmatibus; VII. posterioribus de Abusibus disputare constituit. Iam verò quia breuitatis studioso eadem sæpiùs repetenda non sunt; prout in Confessione & Apologia ad nauseam facit Philippus (quamuis in Apologia de Pœnitentia protestetur, se prolixitatem in hoc opere fugere) & id plerumque nulla apparente ratione; aliàs, quia Articuli vel prorsus ijdem, vel multum inter se connexionis habentes in diuersas partes distrahuntur (nam Art. IV. V. VI. & XX. de eadem re tractant, videlicet de Iustificatione, & bonis Operibus. Et ideò in Apologia quoque ad vnum Art. reuocantur. Item Articulus XII. de Confessione priuata inter Articulos de Abusibus quartus denuò collocatur. Et Articulus XV. de Ritibus Ecclesiæ inter Articulos de

Abusi-

Abusibus quinto loco repetitur) ideò, inquam, ordinem Articulorum paulisper immutabo & contraham: vt ea, quæ affinitatem inter se habent, coniungam, & XX. Articulis illos XXVIII. qui in Confessione Augustana sunt, complectar: ne vllum Articulum bis repetere necesse sit. Non quòd ignorem: inter fidei Articulos, & accidentales morum ritus rectissimè distingui (nam Articuli fidei nullâ potestate humanâ mutari, nedum tolli possunt: ritus autem Ecclesiæ, v. g. ieiuniorum, Communionis sub vna vel vtraque specie, cœlibatus Clericorum, &c. Ecclesiæ necessitate, vel maiore vtilitate ita postulante, variari, & quandoque omnino auferri possunt) sed quòd, cùm Confessio inter Articulos fidei ea referat, quæ sine explicatione rituum intelligi non possunt, & inter ritus nonnulla ponat, quæ Articulos fidei habent annexos, commodiorem ordinem futurum existimem, si de his omnibus, seruato connexionis & affinitatis, quæ in ipsis rebus occurrit, ordine mixtim agatur. Id quod tali serie fiet.

ARTICVLVS I. DE ESSENTIA DEI. Pag. 23. In Confess. quoque Art. I.

QVÆST. I. Vtrùm stantibus generalibus fidei Lutheranæ principijs hic Articulus negari possit? ibid.

II. Vtrùm modernæ fidei controuersiæ non æquè per Ecclesiam determinari debeant, atq; olim controuersia inter Arrianos & Catholicos circa hunc primum Articulum? 28.

III. An & quomodo Confeßionistæ ad Concilium Ecclesiæ prouocauerint? 32.

IV. Quale Concilium Confeßionistæ petiuerint? 37.

ART. II. DE PECCATO ORIGINIS. Pag. 40. In Confess. Art. II.

QVÆST. I. In quibus circa hunc Articulum conueniamus, in quibus discrepemus? ibid.

II. Vtrùm nasci in peccato originis sit nasci sine metu, & notitia Dei? 41.

III. Vtrùm fomes concupiscentiæ sit peccatum originale, & inuoluntarij eius motus peccata actualia? 42.

IV. Vtrùm peccatum originale in baptizatis verè maneat, & tantùm non imputetur? 49.

In Confess. Art. III. ARTICVLVS III. DE INCARNATIONE VERBI. pag. 56.

Status Controuersiæ de Vbiquitate. ibid.

QVÆST. I. Vtrùm doctrina de Vbiquitate humanitatis Christi cum Art. III. Confessionis Aug. conueniat? 58.

II. Vtrùm doctrina de vera diuinitate & humanitate Christi consentanea sit? 62.

III. Vtrùm Confessionistæ firma Scripturæ fundamenta pro Vbiquitate habeant? 69.

IV. Vtrùm Orthodoxi Patres ipsis consentiant? 76.

In Confess. Art. XIX. ART. IV. DE CAVSA PECCATI. 85.

QVÆST. vnica: Vtrùm Confessionistæ non æquè Deum causam peccati statuere possint, atq; humanitatem Christi vbiq;? ibid.

In Confess. Art. XVIII. ARTICVLVS V. DE LIBERO ARBITRIO. 88.

QVÆST. vnica: Vtrùm Philippus Articulum de Libero arbitrio bona fide posuerit? 89.

In Confess. Art. IV. V. VI. ARTICVLVS VI. DE IVSTIFICATIONE. 94.

QVÆST. I. De calumnijs, quibus Catholici in hoc Art. grauantur. 95.

II. Vtrùm Confessio Aug. Pelagianismi jure accusari possit? 102.

III. Vtrùm homo in prima sui justificatione merè passiuè se habeat? 103.

IV. Vtrùm peccata in justificatione verè tollantur, an tantùm non imputentur? 107.

V. Vtrùm justitia hominum sit donum Dei internum, an extrinseca tantùm imputatio justitiæ Christi? 110.

VI. An & quomodo gratis justificemur? 118.

VII. Vtrùm sola fides justificet? 119.

VIII. Vtrùm fides justificans sit specialis fiducia de remissione peccatorum? 129.

IX. An vera fides cum peccato mortali stare possit? 136.

X. Vtrùm justi de sua justitia certi esse possint, & debeant? 139.

XI. Vtrùm

Digitized by

XI. *Vtrùm obseruatio mandatorum Dei hominibus iustis sit impossibilis?* 154.
XII. *Vtrùm iusti sint liberi à maledictione legis, quamuis eam non seruent?* 162.

ARTICVLVS VII. DE BONIS OPERIBVS. 166. In Confess. Art. XX.

QVÆST. I. *De calumnijs Confessionis in hoc Art.* ibid.
II. *Vtrùm Confessionistæ de bonorum operum contemptu iure accusati sint?* 168.
III. *Vtrùm omnia non iustificatorum opera mala sint?* 175.
IV. *Vtrùm bona iustorum opera imperfectionem peccaminosam contineant?* 178.
V. *Vtrùm bona iustorum opera mereantur vitam æternam?* 188.
VI. *Vtrùm spe retributionis æternæ bona opera facere liceat, & timore gehennæ à malis abstinere?* 200.

ARTICVLVS VIII. DE ECCLESIA. 205. In Confess. Art. VII. & VIII.

QVÆST. I. *Vtrùm Confessio Aug. rectè definiat Ecclesiam?* 206.
II. *Quomodo Catholici Ecclesiam describant?* 214.
III. *Vtrùm vera Christi Ecclesia semper sit visibilis?* 220.
IV. *Vtrùm Ecclesia vera visibilis in fidei doctrina tota errare possit?* 235.
V. *Vtrùm Ecclesia Confessionistarum ante centum annos omnino noua fuerit?* 257.
VI. *Vtrùm Confessionistæ rectè replicent, Ecclesiam Romanam esse nouam, vt quæ ab antiqua Ecclesia defecerit?* 282.
VII. *Vtrùm extra Ecclesiam veram visibilem detur salus?* 289.
VIII. *Vtrùm notæ, quas pro inuenienda vera Ecclesia Confessio ponit, sint legitimæ?* 292.
IX. *Vtrùm Scriptura sacra citra infallibilem Ecclesiæ auctoritatem certò cognosci possit?* 307.
X. *Vtrùm ex Confessionis Aug. verbis sequatur, non Lutheranam, sed Romanam esse veram Ecclesiam Christi?* 321.

ARTICVLVS IX. DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ in genere. 359. In Confess. Art. XIII.

QVÆST. I. *Vtrùm doctrina Catholicorum, de Sacramentis ex opere operato gratiam conferentibus, citra calumniam in Confessione reprehendatur?* 360.

II. Vtrùm Confeßio maiorem Sacramentorum efficaciam agnoscat, quàm concionis alicuius, vel picturæ? 366.
III. Vtrùm Confeßionistæ de numero Sacramentorum cum Confeßione conueniant? 370.

In Confess. Art. IX. ARTICVLVS X. DE BAPTISMO. 373.

QVÆST. I. Vtrùm in hoc quoq; Art. Confeßionistæ cum Confeßione sua consentiant? 374.
II. Vtrùm Anabaptistarum error ex Confeßionistarum doctrina originem ducat? 376.

In Confess. X. & XXII. ARTICVLVS XI. DE COENA DOMINI, ET COMmunione laica sub vtraque specie. 380.

QVÆST. I. Vtrùm nulla fraus in Confeßione circa hunc Art. commissa sit? 381.
II. Vtrùm communio Laicorum sub vna specie Verbo Dei, veteri Ecclesiæ, & Canonibus repugnet? 390.
III. Vtrùm Ecclesia Laicis vtriusq; speciei sumptionem rectè interdixerit? 404.
IV. De SS. Eucharistiæ veneratione, & eiusdem honorifica circumgestatione. 410.

In Confess. XXIV. ARTICVLVS XII. DE SACRIFICIO MISSÆ. 422.
Status controuersiæ in hoc Art. 425

QVÆST. I. An quæ de sacrificio Missæ docemus lædant gloriam Christi? 428.
II. Vtrùm Catholici doceant, Christum in cruce pro solo peccato originis satisfecisse, Missam pro quotidianis peccatis offerendam? 455.
III. Vtrùm SS. Patribus ante tempora Gregorij M. priuatæ Missæ omnino incognitæ fuerint, vt Confeßio asserit? 458.
IV. Vtrùm Missa necessariò lingua populo intellectâ peragenda sit? 465.
V. Vtrùm Confeßionistæ in hoc Art. cum Confeßione sua consentiant? 471.

In Confess. Art. XI. XII. & XXV. ARTICVLVS XIII. DE POENITENTIA. 473.

QVÆST. I. Vtrùm Confeßio rectè duas tantùm Pœnitentiæ partes statuat, Contritionem & Fidem? 478.

II. Vtrùm

II. Vtrùm contritionem rectè describat? 486.
III. Vtrùm priuata peccatorum confeßio ex jure diuino in Pœnitentia requiratur? 488.
IV. De satisfactione. 498.
V. De calumnijs Augustanæ Confess. in hoc Art. 504.

ARTICVLVS XIV. DE ORDINE ECCLESiastico. 508. In Confess. Art. XIV.
QVÆST. vnica: Vtrùm Lutherus, Philippus, & eorum Discipuli fuerint legitimè ad id docendum, quod ante centum annos docere cœperunt, vocati? 509.

ARTICVLVS XV. DE CONIVGIO SAcerdotum. 521. In Confess. Art. XXIII.
QVÆST. I. Vtrùm matrimonium omnibus hominibus à Deo præceptum sit? 523.
II. Vtrùm Sacerdotibus liceat contrahere matrimonium? 529.
III. An lex de cœlibatus Clericorum ita noua sit, vt Confeßio Aug. asserit? 534.
IV. Vtrùm rationes, quas eadem Confeßio adducit, probent, legem istam nunc abrogandam esse? 539.

ARTICVLVS XVI. DE VOTIS MONAchorum. 545. In Confess. Art. XXVII.
QVÆST. I. Vtrùm monasteria tempore S. Augustini fuerint libera collegia sine votis? 549.
II. Vtrùm Catholici vota monastica Baptismo præferant, vel æquent? 552.
III. Vtrùm vota monastica sint consilij Euangelici? 555.
IV. An, & quomodo status cœnobiticus sit status perfectionis? 563.

ARTICVLVS XVII. DE POTESTATE Ecclesiastica. 569. In Confess. Art. XXVIII.
QVÆST. I. Vtrùm Pontifex & Episcopi habeant potestatem ferendi leges, obligantes in conscientia? 570.
II. Quid de Pontificis potestate in temporalibus sentiamus? 575.
ARTICVLVS XVIII. DE RITIBVS ECCLESIÆ. 578. In Confess. Art. XV. & XXVI.
QVÆST. vnica: Quid de ritibus & obseruationibus Ecclesiæ sentiamus, quid non sentiamus? 579.

ARTI-

In Confess. Art. XVI. ARTICVLVS XIX. DE REBVS CIVILIBVS. 590.

QVÆST. vnica: An Lutherus rectè glorietur, potestatem ciuilem multum ornamenti ab eius Euangelio accepisse? 591.

In Confess. Art. XXI. ARTICVLVS XX. DE CVLTV SANCTORVM. 595.

QVÆST. I. Vtrùm Sanctos colere liceat? ibid.

II. Vtrùm eosdem liceat inuocare? 602.

III. De Christi & Sanctorum reliquijs, & imaginibus. 612.

Addetur in fine Articulus *De Aduentu Christi ad iudicium*, qui in Confessione XVII. est. In quo nulla nobis mouetur controuersia. Sed Confessionistæ per doctrinam de Vbiquitate ei contradicunt, vt pag. 61. ostendetur.

His omnibus præfigentur breues istæ quæstiones procemiales, quæ immediatè sequuntur.

IN ANA:

IN ANATOMIAM CONFESSIONIS AVGVSTANÆ Quæſtiones Procemiales.

QVAESTIO I.

Vtrùm Confeſſio Auguſtana ſit infallibilis regula Fidei?

RESpondeo negatiuè: I. Quia quidquid ab homine, qui proprio judicio deceptus fuit, compoſitum eſt, non eſt infallibilis auctoritatis: Confeſſio Auguſtana à Philippo Melanchthone compoſita eſt, qui, re maturiùs deliberatâ, deceptum ſe eſſe fatſus eſt: Ergo Confeſſio illa non eſt infallibilis auctoritatis. Cur enim non concedatur Philippo, quod conceditur Luthero, qui multa initio defectionis ſuæ à ſe ſcripta, poſteà doctior ſe ipſo factus repudiauit? Aut cur ſcriptum hoc Melanchthonis, toties ab eo fictum & refictum, ſit maioris auctoritatis, quàm pleraque ſcripta Lutheri?

Quia enim ex libris Lutheri Confeſſionem Auguſtanam collectam volunt, II. loco ſic argumentor: Omnis doctrina,

na, è libris fallibilibus collecta, non est infallibilis auctoritatis: Confessio Augustana è libris Lutheri fallibilibus (quia multa ipsorum Lutheranorum iudicio manifestè falsa continent) collecta est: Ergo non est infallibilis auctoritatis; nisi velint riuos ipso fonte dicere puriores.

III. Quia doctrinam Confessionis suæ ideò infallibilem asserunt, quòd in Articulis Fidei Scripturæ sacræ conformis sit; vel hæc conformitas manifestè talis est, vt rationabiliter negari non possit, vel solis Lutheranis videtur talis: si hoc; ergò non est infallibilis, quia fundatur in iudicio humano, & quidem iudicante in propria causa. Illud autem nequaquam dici potest: quia Confessio quæ continet manifestè falsa, rationabiliter negatur esse conformis Scripturæ sacræ: Confessio Augustana plurima manifestè falsa continet, vt ex toto hoc Examine, & Indice ad finem adijciendo patebit: Ergo rationabiliter negatur esse conformis scripturæ sacræ.

QVAESTIO II.

Vtrùm Carolus V. vel alij Catholici vnquam approbauerint Confessionem Augustanam?

GLoriari solent Lutherani, Confessionem suam tam manifestè veram esse, vt in Comitijs Augustanis non potuerit reprobari, & per confœderationem Passauiensem ab ipsis Catholicis Principibus fuerit approbata. Imitantes videlicet hac in parte vanam gloriationem Lutheri, qua in Libello Fidelis admonitionis ad Germanos suos dilectos, Anno 1531. scripsit: *Quandoquidem doctrina nostra palàm inuenta est Augustæ, quòd sit verum Euangelium, ac sacra scriptura; idcirco ad Cæsarem aut Principem tuum, te ad bellum contra Lutheranos vocantem, dicito: Bone Cæsar, bone Princeps, quando seruas iuramentum promissumq́ tuum quod in Baptismate iurasti; charus es mihi Dominus, eroque tibi obediens ad bellandum, quandocunq́ volueris: sin minùs, alium tibi quære, qui obediat.* Et, *Turca sanè tam insanus non est, vt contra suum Mahumetum, aut Alcoranum pugnet; sicut faciunt*

diaboli

diaboli nostri Papistæ, qui contra proprium suum Euangelium, quod pro vero agnoscunt, furunt atq; insaniunt.

Conclusio I. Carolus V. Imp. Doctrinam Lutheri, aut Confessionis Augustanæ nunquam approbauit; sed semper vt hæreticam detestatus est. Probatur inductione: Quia antequam Confessio Augustana exhiberetur, quamprimùm ex Hispania in Belgium aduenit, per omnes Brabantiæ ciuitates libros Lutheri publicè exurendos mandauit, teste Cochlæo, in Actis Lutheri, Anno 1520. Cum deinde Anno 1521. Lutherus in conspectum Imperatoris Wormatiam venisset, & errores suos reuocare pertinaciter detrectasset; scripsit in eum Cæsar linguâ Burgundicâ sententiam, cuius inter alia talis est tenor: *Quoniam constat Fratrem vnum suâ tantùm priuatâ opinione deceptum hallucinari &c. Eapropter planè deliberaui, omnia Regna mea, Imperium, Potentatus, Amicos, corpus, sanguinem, vitam deniquè meam exponere, ne improbus hic conatus vlteriùs progrediatur.* Post oblatam verò Confessionem Augustanam confutatio eiusdem Carolo jubente conscripta, & Lutheranis prælecta fuit, cum postulatione, vt illi acquiescerent: quòd cùm renuissent, frustra tentatis omnibus concordiæ medijs contra Confessionem Augustanam tale decretum edidit Cæsar, vt Lutherus paulò post libellum hoc titulo vulgauerit: *Glossa in prætensum edictum Imperiale*: in quo Cæsarem & Catholicos Principes infandis traducit modis, & dicit, *Cæsareum edictum à nemine seruari debere, nisi à filijs diaboli.* Vocat autem prætensum siue putatitium edictum, cùm illud præter Cæsarem, per se vel procuratores suos, subscripserint Principes Electores v. alij Principes Ecclesiastici xxx. sæculares xxIII. Abbates xxII. Comites & Barones xxxII. Ciuitates Imp. xxxIx. Certè Confessioni August. in Latino vII. & in germanico v. tantùm Principes, & duæ Ciuitates, Nurenbergensis, & Reutlingensis nomina sua supposuerunt. Denique quo animo Carolus V. erga Confessionem Augustanam etiam deinceps fuerit, satis declarauit, quando Lutheranos, post initum inter ipsos fœdus Smalcaldicum (ad Confessionis suæ

defensionem, an Catholicorum extirpationem?) aperto marte aggressus est, & quamuis copijs longè maioribus instructos feliciter Deo dante profligauit.

Conclusio II. Per pacificationem Religionis Passauij, Anno 1552. inchoatam, & Augustæ Anno 1555. confirmatam & editam non est approbata Confessio Augustana. Probatur I Quia nullâ ratione potest quis duas simul Religiones contrarias approbare tanquam veras, cùm non possit nisi vna esse vera: Ergo Carolus Imp. & Rex Ferdinandus quandoquidem Religionem Catholicam, tanquam veram, vsque ad extremum vitæ spiritum coluerunt, Confessionem Augustanam, ut veram, approbare non potuerunt.

Mera autem calumnia est, quòd apud Goldastum, Ferdinandi ad Lutherum quasi Anno 1537. 1. Feb. Oeniponte scripta epistola legitur, in qua doctrinam eius laudare sum̃am per iniuriam confingitur. Refutant enim istud omnia Ferdinandi præclara facinora, & in primis epistola, quam ad tres Filios suos, Maximilianum Bohemiæ Regem, Ferdinandum, & Carolũ Archiduces Austriæ Anno 1550. 10. Augusti, à se compositam, & sua manu descriptam, transmisit: in qua VIII. solidissimis argumentis grauiter eos hortatur, vt in accepta à majoribus suis Religione Catholica ad finem vsque constanter perseuerent.

II. Probatur Conclusio ex toto confœderationis Passaniensis contextu, quò nihil aliud insinuatur, quàm neutri parti licere, vt alteri, intuitu Religionis, vllam in rebus externis creet molestiam. Vnde Theodorus Thummius, circa. 4. præceptum, de pace Religionis, num. 11. rectè ait: *Decretum istud de pace Vtriusq; Religionis politicum est; quandoquidem in eo nihil asseritur de veritate aut falsitate doctrinæ: sed reseruatur id cognoscendum in Generali Concilio, aut Nationali.*

Porrò grauissimis de causis in dictam Religionis pacificationem consensit Imperator: cùm enim Lutherani neque beneuolentiâ flecti, neque seueritate ad pristinam Religionem reduci possent; & Mauritius Saxo cum Alberto Brandebur-

deburgico, sumptis ex improuiso armis, Cæsarem inuasisset, & ad fugam compulisset; vt impendentem toti Germaniæ ruinam auerteret, minus malum eligendum esse, ne eueniret maius, prudenter judicauit. Facilè enim ex ijs quæ antecesserant colligere poterat, quanta deinceps calamitas, non Germaniæ tantùm, sed alijs etiam regnis Christianis immineret; nisi exacerbati propter diuersam Religionem animi, saltem politicè, in concordiam redigerentur. Nam & Turca Christianis in Hungaria maximas intulerat clades, cū Anno 1526. Ludouicus Hungariæ Rex, propter istos Germaniæ tumultus ab omnibus desertus, fuso exercitu, extinctus est: & ipsa Vienna, Anno 1529. à quadringētis Turcarum millibus obsessa fuerat; quæ quòd, ponte Danubij & suburbijs jam amissis, in crudelissimi Tyranni manus non deuenerit, incredibili Regis Ferdinandi industriæ & celeritati debet.

QVAESTIO III.

Vtrùm Doctrina Confessionistarum faueat, quòd quidam Confessionis August. articuli à Catholicis admittantur?

MInistri Saxonici in tractatu quodam germanico, quem Principis sui mandato (vt in frontispicio aiunt) Anno 1628. in lucem ediderunt, & *Pupillam oculi* inscripserunt, quasi miraculum prædicant, quòd Theologi Catholici, in Confessionis August. confutatione, ex XXI. Articulis, decem simpliciter approbarint, & octo non omnino reiecerint; sed cum addita declaratione, aut ex parte admittendos judicauerint. Hinc enim sequi, quòd Catholicorum judicio tres tantùm articuli prorsus reijciendi sint, exceptis videlicet illis septem, qui de abusibus agunt. Videamus ergò quantum hoc Confessionistarum causam adiuuet.

Conclusio I. Decem Articuli (vt numerat *Pupilla*, cùm nouem tantùm referat, & octo referendi fuissent) quos Catholici simpliciter approbarunt, causæ Confessionistarum ni-

hil quidquam patrocinantur. Probatur: Quia doctrina istorum Articulorum non est Confessionistarum, quà talium, sed Catholicorum, vt patet inductione.

Nam I. Articulus docet, Vnum esse Deum in essentia, & Trinum in Personis.

III. Dei Filium assumpsisse naturam humanam ex Maria Virgine, & secundùm eam passum, mortuum, & sepultum esse; resurrexisse item à mortuis, ascendisse ad Cœlos, & venturum ad judicandum: quæ omnia à Catholica Ecclesia didicerunt Confessionistæ.

V. Articulus quoad eam partem approbatur, quâ tradit, spiritum Sanctum per verbum Dei & Sacramenta, tanquam per instrumenta conferri; de quo nunquam apud Catholicos dubitatum est. Quoad alteram autem partem, quâ de fide agit, non approbatur simpliciter. Vnde falsò dicunt Ministri Saxonici, hunc Articulum totum & absolutè approbatum.

VIII. Articulus docet, in Ecclesia Sanctis admixtos esse malos & hypocritas, & ab his validè administrari Sacramenta; quod omnes Catholici vno semper ore docuerunt.

In IX. docetur, Baptismum esse necessarium ad salutem, & infantes esse Baptizandos; quod doctrinæ & praxi Ecclesiæ Catholicæ semper consentaneum fuit.

XIV. dicit, *quòd nemo debeat in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus*; quod non tantùm admittunt Catholici; sed etiam contra Lutherum & Lutheranos pugnare ostendunt. Miror autem, cur Articulum istum inter eos hic referant, qui simpliciter admittuntur, cùm postea illis eundem annummerent, qui cum aliqua exceptione, & ex parte tantùm approbantur. Non enim potest idem simpliciter simul siue totaliter, & cum addita exceptione, aut ex parte admitti. Hic ergo articulus sequente conclusione omittetur, quamuis ad eam pertineat. Excusarem autem libenter Ministros Saxonicos, & culpam in Typographum reijcerem, quòd vno loco decimum quartum articulum pro alio posuerit: sed hoc fieri non posse video; quia illo loco quo articuli

ticuli simpliciter approbati collocantur, non potest vllus ex omissis poni: de solis enim sexto & duodecimo quæri posset; sed ij non sunt simpliciter approbati. Illo autem loco, quo articuli cum exceptione admissi referuntur, non potest esse error Typographi; quia exceptio, quæ ibi additur, ad articulum decimumquartum verè pertinet. Interim ne de re exigua contendere videar, errorem hunc corrigam, & in sequente Conclusione sextum & duodecimum, articulos, in *Pupilla* omissos, apponam.

XVI. Articulus affirmat, licere Christianis gerere Magistratus, exercere judicia, & alia ad publicam potestatẽ pertinentia; quod nemo Catholicus vnquam in dubium vocauit.

XVII. Cùm asserat Christum in mundi consummatione venturum ad judicandum, & electis, daturum vitam æternam, impios autem æternis cruciatibus damnaturum; ita Catholicus est, vt nemo tam rudis inueniatur, quin eum agnoscat.

XVIII. De libero arbitrio docens, quòd humana voluntas habeat libertatem ad efficiendam ciuilem justitiam, sed sine spiritu sancto non possit efficere justitiam Dei, à nemine, nisi Pelagiano, negari potest.

Manifestum ergo est, Lutheranos, si de his gloriari velint, non tam sua laudare, quàm nostra: quia hæc ita scire nunquam potuissent, nisi ab Ecclesia nostra accepissent, quam tamen in alijs audire nolunt. Cùm verò hos ipsos articulos non omnes, vt in Confessione originali positi sunt, obseruent, prout ostendemus infra de artic. 3. 9. 14. 17. 18. &c. rectè contra eos concludi potest, quod si articuli isti & nostro & ipsorum iudicio veri sunt, doctrinam & praxin Lutheranam, illis contrariam, esse reprobandam, vt falsam & illegitimam.

Conclusio II. Alij Articuli, quos ex parte admittunt Catholici, causam Lutheranam non defendunt. Probatur, quia in his quoque nihil Lutheranum, quà tale, approbatur, sed ea tantùm, quæ à Catholicis desumpta sunt. Nam Articulus II, quatenus peccatum originale dicit esse verè pec-

rè peccatum, afferens mortem his qui non renascuntur per Baptismum, nihil à doctrina orthodoxorum, qui Lutherum antecesserunt, alienum dicit.

IV. Articulus, quatenus Pelagianos damnat, qui hominem propriis viribus seclusâ Dei gratiâ, vitam æternam consequi posse docebant, Catholicus est.

Quod autem in sexto Articulo (aiunt Principes Catholici in sua responsione) *confitentur, fidem parere bonos fructus, ratum gratumque habetur &c. Quòd verò in eodem articulo iustificationẽ soli fidei tribuunt, ex diametro pugnat cum Euangelica veritate, opera non excludente.* Ex quibus verbis patet, hunc quoque articulum huc referendum, licet eum *Pupilla oculi* non aduerterit. Sed quidquid in hoc articulo approbatur, antiquæ Catholicorum doctrinæ consentaneum est: fides quippe sine operibus bonis semper pro mortua habita est.

Articulum X. in verbis nihil offendere dicunt Catholici, quia nimirum hoc modo loquitur: *De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes.* Quæ verba Catholicum sensum admittunt, vt constat.

Quod in Articulo XI. dicitur, absolutionem priuatam, cum Confessione peccatorum esse retinendam, tanquam fidei & praxi Catholicæ congruens meritò approbatur.

De XII. Articulo ita loquuntur in confutatione Catholici. *Quòd autem articulo duodecimo confitentur, lapsis contingere posse remissionem peccatorum, quocumque tempore conuertantur, & ad Ecclesiam redeuntibus debere absolutionem impartiri, commendantur &c. At altera huius articuli pars omnino reijcitur.* Ex quibus verbis colligitur *Pupillam oculi* in hoc quoque Articulo specillis caruisse: ex parte enim admittitur hic articulus, quatenus videlicet Nouatianos, pœnitentiam iterandam negantes, damnat: quos diu ante Lutherum Ecclesia Catholica damnauit.

Quod Articulo XIII. dicitur, *Sacramenta esse instituta, non modo vt sint notæ professionis inter homines; sed magis, vt sint signa*

Digitized by Google

signa & testimonia voluntatis Dei erga nos; nullâ ratione reijci potest.

Sicut nec illud, quod Art. XV. dicitur, *Ritus Ecclesiasticos seruandos, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia.*

In Articulo XIX. omnino lusca fuit *Pupilla oculi*, tum quia eum refert inter illos, qui ex parte tantùm approbati sunt, cùm sit simpliciter approbatus; & meritò, quia contra Lutherum & Melanchthonem causam peccati non in Deum, sed in peruersas creaturarum voluntates reiicit: Tum quia articulum hunc sub ista conditione admitti ait: si per fidem intelligatur ea, quæ per charitatem operatur; cùm in hoc articulo de fide nulla fiat mentio. Adeò videlicet in Confessione sua versati sunt illi ipsi, qui volunt esse Magistri in Israel.

Porrò, quod de articulo XIX. hîc dicitur, de V. dicendum erat, & proinde quintus huc pertinet, sicut & XIV. Decimus autem nonus ad eos, qui simpliciter approbati sunt. Et ita priore loco octo, non decem articuli numerandi erant; posteriore non octo, sed decem.

Porrò tametsi octodecim istas breues propositiones, à Catholicis desumptas, veras asseramus, annè ideò Lutherani, quà tales sunt, gloriari possunt, Confessionem suam ab ipsis Catholicis ferè totam esse approbatam? Lutherani certè non sunt ab his dogmatibus, quæ in Confessione August. posita approbamus; sed ab istis, quæ tanquam noua, & Catholicæ doctrinæ, quam cum approbatis Confessionis articulis Ecclesia Christi ante Lutherum tradidit, contraria, reprobare debemus. Paucis ergò his corollariis ad quæstionem

Dico I. Adeò nihil iuvare Lutheranos, quòd quidam Confessionis August. Articuli veri sint, vt ob idipsum magis omnibus sint cauendi: cùm enim veris falsa misceant, faciliùs decipiunt incautos, quàm si falsa tantùm profiterentur: & in hoc, sicut in aliis multis, antiquorum hæreticorum indolem referunt, de quibus Irenæus, in præfat. lib. 1. ait: *Hæ-*

retici subdolâ verisimilitudine inexpertiores, qui eos propter exterius ouilis pellis superindumentum non norunt, in captiuitatem ducunt: Similia quidem nobis loquentes; dissimilia verò sentientes. Et Chrysost. homil. 47. in Mat. *Illud profectò diaboli actibus astutè fieri scire debemus, vt veritati semper errores connexi, atque inserti, per similitudines facilè decipiant leuiores.*

Dico II. Etsi per impossibile Catholici omnes articulos Confessionis primùm oblatæ approbarent, vniuersam tamen Confessionistarum doctrinam non admitterent: quia doctrina hæc plurimos articulos contra nos defendit, qui neque in dicta Confessione exprimuntur, neque ex ea deduci possunt; sed contraria potiùs non rarò deduci debent.

Dico III. Adeò pro veritate Confessionis Augustanæ nihil facere, quod aliqui illius articuli approbati sint, vt ipsa Confessio falsum dicat, nisi articuli omnes, præter eos, qui de abusibus sunt, cum Catholicis consentiant: quia in fine articuli xxi. talis ponitur epilogus: *Hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil esse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Rom. quatenus ex Scriptoribus nota est. Quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Tota dissensio est de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in Ecclesias irrepserunt.* Et articuli de abusibus ita inchoantur. *Cum Ecclesiæ apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Cathol. tantùm paucos quosdam abusus omittant. &c.* Quod si enim hæc vera sunt, nihil in articulis Confessionis August. contineri debet fidei Ecclesiæ Rom. contrarium, præter prætensos abusus, quos septē posterioribus articulis recensent; qui vel abusus non sunt, vt infra videbimus, vel si qui in articulis istis abusus reperiuntur; non Rom: Ecclesiæ sunt; sed hominum, secundùm Ecclesiæ instituta non viuentium: eosque non minùs nos, quàm ipsi, correctos ex animo optamus. Sed Lutherus cum suis, sub titulo reformationis abusuum, hanc tam lamentabilem in Ecclesia Christi tragœdiam inchoauit, teste Georgio Saxoniæ Duce

Digitized by Google

Duce, in epist. ad Regem Angliæ. Verè enim Erasmus in lib. cont. Pseudoeuangelicos ait: *Nec ista purgari vultis, sed tolli; nec omnino quidquam in receptis placet: sed Zizaniam euellitis cum tritico; aut vt meliùs dicam, triticum euellitis pro Zizania.*

Vbi obiter notandum est I. quàm certi sint Confessionistæ de sua Confessione originali, quando in *Pupilla oculi* Confessionem August. ex originali, vt aiunt, recensentes, in fine art. XXI. talia verba ponunt, *sed dissensio est, de quibusdam abusibus.* Cum in originali sic positum fuerit: *Tota dissensio est de paucis quibusdam abusibus.*

Notandum II. his verbis contradici in fine totius Confessionis, vbi Ecclesiæ Romanæ abusus innumerabiles esse dicuntur.

Dico quartò, protestationes illas in Confessione August. positas, quòd Confessionistæ de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Rom. sed tantùm in quibusdam abusibus, adhuc non fore veras, etiamsi omnes articuli Confessionis primùm oblatæ, veri essent: quia nonnulli articuli controuersi studio in Confessione August. dissimulati sunt, licet à Cæsare seriò admoniti essent, vt omnes proponerent, teste Dauide Chytræo Lutherano in hist. Confess. August. à f. 122. quod ipse Lutherus apud eundem f. 132. ingenuè fatetur, dicens: *Falsus sum spe mea, qui vos aduenturos cogitabam, edicto Cæsaris jam dudum verberatos. Sed nunc video quid voluerint istæ postulationes, an plus articulorum haberetis offerendum? Sed Sathan adhuc viuit, & benè sensit, apologiam vestram* (i.e. ipsam Confessionem, teste Chytræo) *dissimulasse articulos de purgatorio, de sanctorum cultu, & maximè de Antichristo Papa. &c.*

QVAESTIO IV.

Vtrùm Lutherani possint alios contra Rom. Ecclesiam articulos fidei profiteri, præter eos, qui in Confessione Augustana continentur?

RESpondeo: Lutheranis nullâ ratione licet, alios contra Catholicam Ecclesiam articulos profiteri, præter eos, qui

in Confessione originali continentur Probatur I. Quia in transactione Passauiensi manifestè statuitur, eos omnes ab ista pacificatione excludi, qui vel Religioni Catholicæ, vel Confessioni August. non sunt addicti: sed Confessionistæ, quando articulos in Confessione August. non comprehensos contra Catholicos docent, quoad istud non sunt addicti Confessioni August. Ergo Lutheranis non licet plura contra Catholicos docere, quàm quæ Confessio August. docet.

II. Posset quis totam Confessionem admittere, & nihilominus multa docere, quæ ipsorum Lutheranorum judicio, ex concessione Trāsactionis, in Imperio toleranda non essent. Nam plurimi Caluinistæ totam Confessionem August. admittunt, & ipsum articulum X. De Cœna Domini, Caluiniano sensu explicant. Quia tamē alia insuper, Lutheranorum judicio falsa, docent; sentiunt, illos ad Confes. August. non pertinere: neque vnius secum confessionis futuros, tametsi in articulo de Cœna Domini nihil contra ipsos docerent.

Cùm ergo nullam aliam causam habeant, tales à Confessione August. excludendi, quàm quia articulos profitentur, in Confessione ista non comprehensos; sequitur ipsos Lutheranos similiter non esse puros Confessionis August. discipulos, nisi in articulis controuersis solam Confessionem Augustanam profiteantur.

III. Lutherani in præfatione libri Concordiæ protestantur, se solam illam primam Confessionem August. Carolo V. oblatam amplecti, nec vllam aliam nouam doctrinam suscipere, defendere, aut propagare velle. Quæ protestatio quamuis à veritate aliena sit, vt ex sequentibus patebit, ostendit tamen, quos ipsi sibi præscribant terminos, quando hac de re sincerè loquuntur.

IV. Quia Confessionem à Philippo variatam reijciunt Lutherani, vt Theologi Saxonici in opusculo supra citato testantur, quæro, cur illam reijciant? An quia alia, & plura verba continet, quàm Confessio originalis? Sed si nihil aliud est, laudanda potiùs, quàm repudianda erit: vt quæ à Confessione

one breuiter dicta magis explicet. Et si hæc sola ratio sufficiēs esset, originale exemplar germanicum non minùs reijciendum foret, quod non ijsdem vbique verbis latino respondet. An verò ideò potiùs reijcienda est variata Confessio, quia alia dogmata tradit, quàm quæ in originali proponuntur? Sed si ita est, vt reuera est, non minus Lutheranis reijcienda sunt dogmata, quæ extra Confessionem profitētur, quàm Confessio variata. Nam dogmata illa magis conueniunt cum Confessione variata, quàm cum illa, quæ Cæsari primò exhibita fuit v.g. in præfatione libri Concordiæ dicitur, ex Confessione variata quosdam conatos esse, articulum de Cœna Domini, sub Confessionis August. titulo, erroneè docere. Atqui Articulus decimus Confessionis variatæ continet eam ipsam doctrinam, quæ Confessionistis contra Catholicos propria est, cùm in Confessione prima nihil contra nos exprimatur; ita enim sonat art. X. Confessionis variatæ: *De Cœna Domini docēt, quòd cum pane & vino verè exhibeantur Corpus & Sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini.* Iam ergo si Confessio variata non est admittenda, vt Elector Saxoniæ Augustus in Conuentu Naumburgensi, Anno 1561. protestatus est; neque hæc doctrina Lutherana admittenda erit; sed illa tenenda, quæ Confessionis inuariatæ est, & à Catholicis nō reijcitur. Imò in germanico catholicam sententiam explicare videtur, cùm hoc modo profertur: *De Cœna Domini ita docetur, quòd verum corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini in Cœna verè adsint, & ibidem distribuantur ac sumantur.*

Hactenus de dogmatibus quibuscumque, Confessioni August. superadditis, diximus; jam videamus, vtrùm Lutherani non semper etiam contraria Confessioni suæ docuerint, adeò vt nullus adhuc fuerit, neque sit etiamnum verus confessionista.

QVAESTIO V.

Vtrùm Lutherus fuerit verus Confessionista?

DE Philippo Melanchthone, Confessionis August. compilatore, non est opus instituere quæstionem; cum nemo

neget eum à Confeſſione Auguſt. ad Sacramentarios tranſiiſſe. De Luchero autem, maximo illo Confeſſioniſtarum Patriarcha

Reſpondeo Negatiuè: Quia ille non fuit verus Confeſſioniſta, qui multa contra Confeſſionem Auguſt. credidit & docuit: Lutherus multa contra Confeſſionem Auguſt. non in rebus leuibus, ſed in grauiſſimis fidei articulis credidit & docuit (niſi dicere velint, eum aliter credidiſſe, aliter docuiſſe) Ergo Lutherus non fuit verus Confeſſioniſta.

Ad probationem Minoris (Maior enim manifeſta eſt) recenſere nolo ea dogmata Lutheri, quæ ante Confeſſionis exhibitionem è diametro illi contraria prædicauit & ſcripſit, quamuis & hæc jure merito in medium adducere poſſem: quis enim non videt, in tanta doctrinæ leuitate & inconſtantia, non poſſe eſſe ſtabilem & immobilem aſſenſum determinatorum articulorum Confeſſionis Auguſt. His tamen omiſſis conſideremus ea, quæ poſt oblatam Confeſſionem docuit, & publicis ſcriptis edidit.

Quanti momenti ſit Art. de libero voluntatis arbitrio, oſtendit ipſe Lutherus, in lib. de ſeruo arbitrio, vbi Iudæo vel Gentili comparat Eraſmum, quòd hanc de libero arbitrio controuerſiam inter non neceſſarias referre videatur. Comparemus ergo doctrinam Confeſſionis Auguſt. cum doctrina Lutheri in hac materia. Art. 18. ſic loquitur Confeſſio: *De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem juſtitiam, & deligendas res rationi ſubiectas. Sed non habet vim ſine Spiritu Sancto efficiendæ juſtitiæ Dei, ſeu juſtitiæ ſpiritualis.* Quæ verba adeò nihil contra Catholicam doctrinam continent, vt Principes Catholici in ſua reſponſione hoc modo locuti ſint: *In Art. 18. confitentur liberi arbitrij virtutem, quòd habeat libertatem ad efficiendam ciuilem juſtitiam; ſed non habeat vim ſine Spiritu Sancto efficiendæ juſtitiæ Dei. Quæ Confeſſio acceptatur & approbatur.*

Lutherus autem ſcriptis publicis poſt Confeſſionem Auguſtanam teſtatus eſt, ſe in ea de libero arbitrio ſententia manere,

Digitized by Google

nere, quàm in assertione art. 36. tradidit his verbis: *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.* Et quam Anno 1526. contra Erasmum, liberi arbitrij assertorem, defendit, dicens: *Conculcatis & prorsus protritis argumentis tuis, per Philippi Melanchthonis de Locis Theologicis inuictum libellum* (quo videlicet liberum arbitrium damnatur) *meo judicio non solùm immortalitate, sed canone quoq; dignum.* Quamque Anno 1527. in lib. contra Regem Angliæ asseruit, inquiens: *Incessit conuitijs libellum meum contra liberum arbitrium: Truß non solùm Regi, & Erasmo; verùm etiam eorum Deo, ne eum libellum mihi rectè justèq; reprehendant.* Nam Anno 1531. turpissimè inuectus est in edictum Cæsareum, post exhibitam Confessionem August. factum, quòd in eo diceretur, non humanum sed pecuinum errorem esse, qui liberum arbitrium negat; hoc enim modo furit in libello, quem contra edictum illud composuit: *Perinde atque si porci in imperiali conuentu suo concluderent: Nos porci præcipimus, ne quis teneat muscatam esse pretiosam speciem aromaticam; quid verò sit, nos nescimus: arbitramur enim aliqui, quòd sint siliquæ; nonnulli quòd sint furfures; aliqui quòd sint brassicæ folia; aliqui quod sint pretiosa opipara rusticorum sub sepibus. Sic & nostri docti ac illustres porci Augustæ tam sapienter agunt, & intereà blasphemant veritatē Dei, velut rem pecuinam & blasphemam.* Prætereà paulò ante obitum suum articulos Smalcaldicos in Concilio, quod Mantuæ celebrandum Paulus III. indixerat, & posteà Tridentum translatum est, proponendos conscripsit, quos liber Concordiæ, sub finē præfationis, cum Confessione August. recipiendos dicit. In his non pauca Confessioni contraria reperiuntur. Nam inprimis art. de peccatis rursus damnatur liberum arbitrium, quando hæc propositio tanquam erronea reijcitur: *Homo post lapsum Adæ habet liberum arbitrium ad faciendum bonum, & omittendum malum; & iterum ad faciendum malum, & omittendum bonum.*

Item art. de Missa ait, illam esse maximam & horrendam abominationem; cùm Confessio August. art. de Missa dicat:

Falsò

Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ quod Missam aboleant. Id quod de Missa apud Catholicos vsitata intelligere debent, vt infra dicemus. Prætereà art. de Papa, nullam Papæ jurisdictionem agnoscit, & dicit eum esse Antichristum, additis insuper alijs falsissimis calumnijs, vt quòd velit adorari instar Dei, quod doceat, neminem saluari posse, nisi eum habeat pro Deo. Cùm Confessio August. non tantùm nusquam dicat, Papam esse Antichristum, sed etiam contrarium sæpè insinuet, vt quando in præfatione ad Carolum V. appellat ad Concilium à Papa congregandum: & quando in Apologia articuli 14. hoc modo loquitur. *Articulum 14. ita recipiunt, si tamen vtamur ordinatione canonica. Hac de re in hoc conuentu sæpe testati sumus, nos summa voluntate cupere conseruare politiam ecclesiasticam, & gradus in Ecclesia factos, etiam humana auctoritate. Scimus enim bono & vtili consilio à Patribus ecclesiasticam disciplinam hoc modo, vt veteres canones describunt, constitutam esse.* Et infra: *Hic iterum testatum volumus, nos libenter confirmaturos esse ecclesiasticam & canonicam politiam.* (in qua videlicet Papa caput est) *si modò Episcopi desinant in nostras Ecclesias sauire.*

Item art. *de Sacramento altaris* (hunc titulum ponit Lutherus, cùm sacrificium in hoc mysterio non admittat, quasi altare sit, vbi non est sacrificium) docet panem & vinum, in Cœna esse verum corpus & sanguinem Christi: cùm in Confessione originali hoc nusquam dicatur; & in variata sub pane & vino corpus & sanguinem Christi contineri asseratur: quod non est idem atque panem & vinum esse corpus & sanguinem Christi. Nisi dicere velint, in hoc mysterio fieri impanationem corporis Christi, sicut facta est incarnatio filij Dei.

Sed ne singula commemorem, constat omnes ferè confessionis August. articulos ita obscurè positos, vt mentem Lutheri & Lutheranorum non explicét; & sæpe explicare videantur contrarium: idque studio ita factum est, vt Catholici Principes existimarent, Lutheranos in plerisque mutatâ sententiâ Catholicis consentire. Quis enim non Catholicissima credat ea omnia, quæ in confutatione à Theologis nostris approban-

probantur? & nihilominus Confeſsioniſtarum magiſtri in multis longè aliter ſentiebant, quàm verba in Confeſſione poſita ſignificabant. Vnde vel Confeſſionem doloſè contextam, vel in conferentia cum Catholicis parùm ſincerè expoſitam eſſe non negauit Lutherus, quando ex eremo ſua, id eſt, ex arce munitiſsima, durantibus Comitijs Auguſt. 30. Auguſti, in epiſtola ad Melanchthonem hoc modo ſcripſit: *Si vim euaſerimus, pace obtentá, dolos, mendacia, & lapſus noſtros facilè emendabimus.*

QVAESTIO VI.

Vtrùm Lutherani, poſt exhibitam Confeſſionem Auguſt. vſque ad editionem libri Concordiæ, fuerint veri Confeſſioniſtæ?

RESpondeo Negatiuè; Id quod vel hoc vno argumento probari poteſt: Veri & puri Confeſsioniſtæ ſunt (puri inquam, nam & impuram doctrinam purè quis, id eſt, ſine alterius admixtione, profiteri poteſt; prout Caluiniſtæ quidam in Anglia Puritani dicuntur) qui inuariatam Confeſsionem Auguſt. Carolo V. oblatam tenent, vt ex lib. Concordiæ ante oſtendimus, & Ægidius Hunnius art. de Sacramentis, in epiſtola dedicatoria tradit, his verbis: *Illæ mutatæ editiones non ſunt Auguſtana Confeſſio, Carolo exhibita, viſa, & lecta, cùm Carolus Imp. illas variatæ Confeſſionis formas nunquam viderit, neque eæ in Comitijs Auguſtanis extiterint; ſed aliquot annis poſt Wittenbergæ ſint natæ.* Sed in Congregatione Lutherana ante librum Concordiæ non proponebatur inuariata Confeſsio Auguſt. Ergo &c. probatur minor. Quia procul dubio ita proponebatur hæc Confeſsio, vt eorum nomine edebatur, qui illi ſubſcripſerant; ſed editiones ante lib. Concordiæ ab originali Confeſsione adeò diſcrepabant, vt Illuſtriſsimus Princeps Iacobus Badenſis, in Lutheranis dogmatibus optimè verſatus, publico ſcripto (quo motiua ſua complexus eſt, propter quæ ad Religionem Catholicam tranſiuit) affirmauerit, tantam ſemper Con-

fessionis August. variationem fuisse, vt nullus vnquam Lutheranus scire potuerit, quibus Confessionis verbis tanquam authenticis inhærendum esset.

Idq; confirmatur ex ipsa præfatione lib. Concordiæ, vbi dicitur: *vt ij qui nunc viuunt, & eorum successores propriè, & ex fundamēto instruantur & certi sint, quæ sit Christiana Confessio, quam hucusque nos, & Ecclesiæ, ac Scholæ nostrarū ditionum semper professi sumus; declarauimus, post purū, infallibile, & immutabile Verbū Dei, Nos August. Confessionem, quæ Carolo V. in celebribus Comitijs. Augustanis oblata fuit, prout in Maiorū nostrorum archiuo reperta, & deinde cum originali, quod Carolo V. exhibitum est exemplari, per fide dignas personas, magna cum diligentia collata, & in latino ac germanico per omnia consonare visa fuit, & nullā aliam, profiteri velle.* Si enim tanta cum diligentia ex ipsis originalibus describi tunc debuit inuariatæ Confessionis exemplar, apparet ante per 50. annos non ita editam, & in manibus hominum versatam esse Confessionem istam, vt Carolo V. oblata fuit.

Quod autem Theologi Saxonici in *pupilla oculi* dicunt, Philippum non ex consensu Principum Confessionem August. mutasse, & ideò ab ipso Luthero monitum, variatas suas editiones, Anno 1541. abrogasse, falsissimum est: Tum quia si ab isto tempore abrogata fuissent mutatæ Confessionis exemplaria, & inter Lutheranos vulgata Confessio illa prima; non fuisset opus eo tempore, quo liber Concordiæ compositus est, ad originalia scripta recurrere: extitissent enim exēplaria publica, ab originali non discrepantia, quæ à Lutheranis vt talia certò cognita fuissent, si Confessionem originalem, & non aliam, pro regula fidei semper habuissent. Tum quia habeo exemplar Confessionis August. Anno 1542. Wittenbergæ apud Georgium Rhau, iubente Philippo, non ignorante nec repugnante Luthero, editum, quod in nullo articulo cum ea Confessione consentit, quam tanquam originalem (quamuis & hoc falsò) in *pupilla oculi* referunt Saxones. Et tamen in præfatione huius exemplaris ad Lectores ita loquitur Philippus: *Hæc Confessio prorsus ignorātibus Principibus, qui eam Cæsari exhibuerunt,*

buerunt, ab auaro aliquo typographo ante semestre publicata est, & ita excusa, vt multis in locis appareat de industria deprauatam esse. Cùm autem Principes nec si velint queant eam nunc è manibus hominum extorquere, & tamen periculum sit, ne menda illæ primæ editionis pariant nouas calumnias; necesse fuit, recognitam & emendatam denuò edere. Quia non solùm ad existimationem Principum, sed etiam ad Religionem pertinet, præstare, ne ipsorum titulis spargantur in vulgus huius generis mendosa scripta. Quare nunc emittimus probè & diligenter descriptam Confessionem ex exemplari bonæ fidei. Addidimus & Apologiam, quæ etiam Cæsareæ Maiestati oblata est. Verebamur enim futurum, vt alibi ederetur non feliciùs, quàm edita est Confessio.

Videant ergo Lutherani, quàm verè dicatur in præfatione lib. Concordiæ, primam illam & inuariatam Confessionem summo consensu fuisse semper ab Ecclesijs Lutheranis receptam: cùm exemplar illud tanquam emendatum (quia nimirum alia longè corruptiora in lucem prodierant) fuerit Wittenbergæ excusum, quod vix vnquam duo vel tria verba continua, in articulis controuersis, cum originali concordantia habet, & plus longè quàm duplò est originali prolixius.

Quantus autem fuerit consensus doctrinæ inter Lutheranos ante editum Concordiæ librum, ipsa huius libri historia & titulus ostendunt. Cur enim per librum istum in Concordiam reuocandi erant, si ante non fuerant discordes? Tametsi de libro isto ingeniosè & verè quidam cecinit:

Vulcanum fornax, aut ars indocta fefellit;
Εἰρήνην dum vult cudere, cudit ἔριν.

QVAESTIO VII.

Vtrùm ipse Concordiæ liber, & Lutherani qui eum secuti sunt, adeoq; moderni consentiant cum inuariata Confessione Augustana?

CONCLVSIO I. Liber Concordiæ non tenet inuariatam Confessionem August. probatur primò, quia tametsi liber ille in

le in præfatione dicat, se nullum nouum dogma præter inuariatam Confessionem August. recipere; hoc tamen falsum esse ostendit Illustrissimus Marchio Badensis Iacobus, dum probat ipsam Confessionem August. lib. Concordiæ insertam, ab originali in multis discrepare, & Apologiam ibidem additam, non esse illam, quæ Carolo V. oblata fuit.

I I. Liber Concordiæ non tantùm articulos Smalcaldicos, quos supra Confessioni August. per omnia non conspirare ostendimus, sed etiam paruum & magnum Catechismum Lutheri, & alios tractatus recipit, in quibus non sola ea noua dogmata tradũtur, quæ Confessione variatâ continẽtur.

I I I. Liber Concordiæ in doctrina de persona Christi non tenet primam Confessionem August. Nam in hoc art. neque à Confessione August. neque communiter à Lutheranis, vsque ad libri Concordiæ editionem, quidquam contra Catholicos doctum fuit. Quin Theologi nostri in refutatione sua, articulum III. qui de persona Christi Dei hominis agit, vtpote desumptum ex symbolo Apostolico, totum admittunt. Et Lutherus initio articulorum Smalcaldicorum ait: *Hi articuli* (videlicet de essentia Dei, de Trinitate, & persona Christi) *non veniunt in Controuersiam, cum illos vtrinque confiteamur, & ideò non est opus nunc pluribus de illis agere*: Sed liber Concordiæ controuersiam de persona Christi excitauit, docendo humanitatem Christi esse vbique præsentem: Ergo cum Confessione August. inuariata non conspirat. Adde quod monstrosa hæc vbiquitas art. III. Confessionis manifestè repugnat, vt suo loco dicemus.

Propter hæc & alia inter ipsos Lutheranos, maximè Thuringos & Mansfeldicos de lib. Concordiæ, postquam in lucem prodiit, circumferebatur hoc ænigma, quo indicabatur, nihil eo libro singulare contineri, præter errores:

R habet ausonium liber hic, R habetq; pelasgum,
R habet hebræum; prætereàque nihil.

Obijcit *Pupilla oculi*, falsum est, doctrinam de Vbiquitate humanitatis Christi excitatam à libro Concordiæ, cùm Lutherus,

rius, qui multis annis ante editionem huius libri mortuus est, eandem doctrinam sæpè tradiderit, & ipse Concordiæ liber testimonijs Lutheri vtatur.

Respondeo, Catholicis non esse ignotum, quòd Lutherus ante oblatam Confessionem August. vbiquitatem humanitatis Christi defenderit, vt contra Sacramentarios præsentiam Christi realem in Cœna negantes, haberet quod diceret; & tamen cum Catholicis, transsubstantiationé panis & vini in corpus & sanguinem Christi docentibus, non sentiret; quia tamen verba Confessionis, præsertim in germanico, Art X. magis insinuant transubstantiationem quàm vbiquitatem, & art. III. cum vbiquitate consistere non potest; meritò dicimus, Confessionem August. hac in parte, sicut & in alijs multis, à doctrina Lutheri defecisse; & ipsum Lutherum à seipso, quantum ex eius scriptis colligere possumus. Quomodo enim tot annis post oblatam Confessionem dicere potuisset, Catholicos inter & Lutheranos de persona Christi nullam esse Controuersiam, si vbiquitatem adhuc illo tempore docuisset?

Quòd si verò Lutherani omnia nunc docere vellent, quæ Lutherus aliquando docuit; multos Confessionis suæ articulos, de fide tractantes, reprobrare possent: Quoties enim Lutherus liberum arbitrium omnino damnat; omnia fatali necessitate euenire asserit; Deum peccatorum causam facit? etiamne ergo licere sibi putant Lutherani, hæc & alia contra manifestas Confessionis suæ assertiones docere, quia ita Lutherus aliquando docuit?

Conclusio II. Moderni Confessionistæ (propter quos hæc vnicè scribuntur, ideoque de alijs minùs solliciti sumus) puram & inuariatam Confessionem August. non tenent. Probatur primò, quia omnia ferè, propter quæ alios puræ Confessionis non fuisse diximus, in modernos quoque Lutheranos conueniunt: quamuis enim cum Lurhero liberum arbitrium absolutè non negent; negant tamen illud gratiæ Dei effectiuè cooperari, cùm homo conuertitur; sed merè passiuè habere se asserunt. Atqui Confessio August. contrarium indicat, vt

 patet

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

patet ex articulo 18 vbi dicens, liberum arbitrium non habere vim ſine Spiritu Sancto efficiendæ juſtitiæ Dei, ſentire ſe inſinuat, per gratiam Sancti Spiritus vim efficienter ad juſtitiam ſpiritualem concurrendi libero arbitrio non eſſe negandam. Præſertim cùm Sanctum Auguſtinum in teſtimonium adducat, quem in ea ſententia fuiſſe, quòd liberum arbitrium in prima hominis conuerſione non merè paſſiuè ſe habeat, adeò clarum eſt, vt id demonſtrare non ſit operæ pretium. Prætereà Miſſam eſſe maximam abominationem, Papam eſſe Antichriſtum, & alia cum Luthero ab inuariata Confeſſione prorſus aliena defendere ſolent moderni Lutherani.

II. Cum libro Concordiæ tum in alijs, quæ ſupra reprehendimus, tum in doctrina Vbiquitatis conſentiunt.

III. Paruulos ſine Baptiſmo decedentes ſaluari aiunt, contra expreſſam articuli 9. definitionem, vt infra videbimus: Eccleſiam Romanam Antichriſtianam appellant; quàm Confeſſio Auguſt. Catholicam vocat, vt in Articulo de Eccleſia oſtendemus: Duo tantùm propriè dicta Sacramenta numerant; cùm Apologia Confeſſionis numeret tria: orationem pro mortuis damnant, quam Apologia de Miſſa approbat, &c.

Sed hæc & ſimilia ante rem, non tamen, vt exiſtimo, abs re præmiſſa, magis ex jis eluceſcent, quæ impoſterum ſubjungentur.

Anato-

Digitized by Google

ANATOMIÆ CONFESSIONIS AVGVST.

ARTICVLVS I.

DE ESSENTIA DIVINA.

QVia Confeſſio in hoc art. docet, decretum Nicenæ Synodi de vnitate eſſentiæ Diuinæ, & Trinitate perſonarum firma fide tenendum, & ideò damnandos omnes eos, qui vel vnum Deum, vel tres perſonas diuinas, vel æqualitatem perſonarum in eſſentia negant; cum Carolo V. & Catholicis Principibus dicimus, hanc Confeſſionem tanquam cum norma fidei & Romanæ Eccleſiæ doctrina, à qua ſumpta eſt, concordantem, per omnia acceptandam eſſe.

Etſi autem contra hunc Confeſſionis articulum nihil habemus, quia tamen Nicenæ Synodi auctoritatem adducit, contra Confeſſioniſtas pauca dicenda ſunt; & quidem I. An non ſtantibus fidei Lutheranæ Principijs generalibus, & ſeclusa Eccleſiæ auctoritate negari poſſit hic articulus? II. An ad deciſionem modernarum controuerſiarum quarumlibet, non æquè neceſſaria ſit definitio Eccleſiæ, atque fuit olim, ad Arrianorum & Catholicorum Controuerſiam determinandam? III. An, & quomodò Confeſſioniſtæ ad Concilium prouocauerint? IV. quale Concilium deſiderauerint?

QVAESTIO I.

Vtrùm ſtantibus generalibus fidei Lutheranæ Principijs, negari poſſit Trinitas perſonarum Diuinarum, & earum in eſſentia æqualitas?

Tria

TRia, vt dixi, hoc Articulo conuenienter Ecclesiæ Catholicæ asseruntur, videlicet vna Dei essentia, tres Personæ, & trium Personarum in essentia æqualitas. Nos exempli causa de hoc postremo pauca videamus.

Conclusio: Stantibus fidei Lutheranæ principijs generalibus, negari potest, Filium Dei esse æqualem Patri in essentia: Probatur I. Quia qui scripturam solam, & eius interpretationem secundùm suum judicium admittit, negare potest hunc fidei articulum; Lutherani Scripturam solam, & eius interpretationem secundùm suum judicium admittunt: si enim vel vnicum articulum Controuersum, citra suam interpretationem, ex scriptura manifestè probarent, fateremur illos rectè sentire, & consentire non grauaremur: Ergo &c. Probatur major, quia nullus scripturæ locus, pro omnimoda æqualitate essentiæ diuinæ in Patre & Filio, tam manifestus adduci potest, quem non, qui pertinaciter hunc errorem concepisset, *Filius est minor Patre*, speciosè sic explicare posset, vt contra ipsum nihil facere videretur.

Inprimis enim Filius quidem dicitur Deus: Sed posset pertinax hæreticus replicare, non per naturam, sed per participationem vocari Deum: & falsam hanc interpretationem suam illo Ioan. 10. colorare: *Nonne scriptũ est in lege vestra: Quia ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; quem pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Et ad Rom. 8. *Quòd si filij; & heredes: heredes quidem Dei; coheredes autem Christi.*

Cui interpretationi non parùm fauet, quòd Lutherus in illa sententia Isaiæ 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis &c. Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus &c.* docet per vocabulum, אל, non significari Deum propriè dictum: & ideò in Biblijs eius germanicis, pluribus locis excusis, omittitur vox illa, *Deus*.

II. Opera quidem veri Dei tribuuntur Filio Dei, vt creatio rerum omnium, sanctificatio, suscitatio à mortuis &c. sed

ſed poſſet quis illud Ioan. 1. vbi omnia per Verbum facta dicuntur, contra veritatem retorquere dicendo, non ipſum Verbum omnia feciſſe; ſed omnia per ipſum, tanquam per inſtrumentum, facta eſſe: & ideò non ſequi, verbum eſſe æquale Patri: ſed contrarium potiùs. Quando autem ipſi Verbo creatio, & alia opera Deo propria adſcribuntur; cauillari vlteriùs poſſet: Verbum creaſſe omnia virtute participatâ, & precariâ. Præterea ſi quis ſolidum illud ſanctorum Patrum argumentum obijceret: Omnia dicuntur facta per Verbum; ergo ipſum Verbum non poteſt computari inter facta: quia ipſum non potuit fieri per ſeipſum: reſpondere poſſet: Omnia eſſe facta per Verbum, id eſt, omnia reliqua præter ipſum. Idque conformiter huic doctrinæ: Quando omnia dicuntur ſubiecta ſub pedibus Chriſti, intelligitur hoc de illo dictum etiam ſecundùm humanitatem: & tamen ipſa humanitas non eſt ſub pedibus ſui ipſius ſubiecta. Ergo omnia creata ſub pedibus humanitatis Chriſti ſubiecta intelliguntur, quę ſunt diuerſa ab illa; & ſimiliter omnia per Verbum facta erunt, id eſt, omnia à Verbo diuerſa.

Item quando Filius dicitur vnum cum Patre; poſſet Lutheranus dicere, ſi contra hunc articulum ſentire vellet, & eodem jure dicere, quo alia in Controuerſis articulis dicit: Filium eſſe vnum cum Patre, non ſecundùm æqualitatem naturæ; ſed per vnionem voluntatis. Idque probare ex capite 17. Ioan: vbi Chriſtus tertiò rogat Patrem, vt diſcipuli eius ſint vnum in ipſis; ſicut ipſi inter ſe vnum ſunt. Et hoc modo Caluinus illud 1. Ioan. 5. exponit: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus; & hi tres vnum ſunt.* Ne autem Lutherus minus quid potuiſſe videatur, ipſe verba illa è Biblijs ſuis eraſit.

Denique quando Filio attributa immenſitatis, æternitatis, omnipotentiæ, &c. tribuuntur, poſſet Lutheranus ſecundùm ſua principia reſpondere, hinc non probari æqualitatem Filij cum Patre: quia humanitati Chriſti attributa omnipotentiæ,

D

tentiæ, omnipræsentiæ &c. tribuunt Lutherani; & tamen etiam Deo Patri æqualem esse negant.

Adde quòd Lutherus vocabulum illud, quo antiqua Ecclesia contra Arrianos significauit, Patrem & Filium eiusdem esse essentiæ, explodat, & odio habeat, nimirum vocabulum homoousios; sic enim loquitur, in libro contra Iacobum Latomum, quem Anno 1532. scripsit: *Nec est quòd mihi homoousion illud obiectes, aduersùs Arrianos receptum; non fuit receptum à multis, ijsdem præclarissimis: quod & Hieronymus optauit aboleri. Adeoque non effugerunt periculum hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur, nescire quid veneni lateat in syllabis & litteris. Quòd si odit anima mea vocem homoousion, & nolim ea vti; non ero hæreticus.* Vbi Nota, Lutherum pro more suo splendidè mentiri, quando dicit à multis non fuisse receptum hoc vocabulum, cùm ab vniuersa Ecclesia receptum fuerit. Prætereà Diuo Hieronymo displicuisse, cùm non de isto vocabulo, sed de voce hypostasis dubitauerit. Nam in Epistola ad Damasum, in qua hoc dubium continetur, rogat eum per homoousion Trinitatem, vt respondeat.

Aduertendum hîc est, non illud esse intentum nostrum, quasi pro æqualitate Patris & Filij, & alijs SS. Trinitatis mysterijs solida scripturæ testimonia non inueniantur; sed hoc tantùm dicimus, sola illa, Ecclesiæ auctoritate sepositâ, non esse talia, vt de omnibus his mysterijs infallibiliter quenquam docere possint, aut aliquem hactenus Lutheranum, generalibus suis principijs innitentem, manifestè conuincere, si mysteria ista pertinaciter negare vellet. Neque enim tantùm omnibus speciosè respondere; sed suum etiam errorem non sine apparētia probabilitatis ex scriptura defendere posset. Vt enim videre licet apud Bellarminum, lib. 1. de Christo, à cap. 4. vsque ad 10. quamuis plurima & efficacissima scripturæ loca, pro æqualitate essentiæ diuinæ in Patre & Filio pugnent, Ministri tamen Transyluani æquè speciosè ad omnia respondent, atque Lutherani ad illa, quæ contra vbiquitatem humanitatis Christi adferuntur.

Iam

Iam verò si ea testimonia attendamus, quæ Filium Patre minorem facere videntur; fateri debebimus, plurima esse apud Lutheranos dogmata, quibus tāta probabilitatis species ex Scriptura induci non potest, quanta huic impiæ & blasphemæ propositioni: *Filius est minor Patre.* Sed ex multis pauca adducamus: Ioan. 7. 17. ait Christus: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris.* Et c. 11. 41. *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Si enim æqualis potentiæ est cum Patre, cur ab eo petit, & post impetrationem gratias agit? Item Ioan. 12. 49. *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* Non enim mandatum dat æqualis æquali; sed superior inferiori. Item Marci 13. 32. *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neq; Filius, nisi Pater.* Et Ioan. 14. 28. *Vado ad Patrem, quia Pater maior me est, &c.*

DICES, Hæc intelligenda sunt de Christo secundùm humanitatem: Respondeo, Hoc quidem verissimum esse, sed apud Lutheranos certò constare non posse. Cùm enim quædam testimonia, quibus attributa Diuinitatis insinuantur, vt omnipræsentiæ, omnipotentiæ &c. de Christo homine intelligenda asserant, nec aliter probent; quomodo probare possent, hæc de Christo homine explicanda, si ea de Christo Deo quis pertinaciter explicaret? Posset enim Lutheranus aliquis ex suorum de Vbiquitate doctrina facilè & consequenter ostendere, Christum etiam secundùm Diuinitatem esse Patre minorem, idque hoc modo: In libro Concordiæ traditur, Christo secundùm Humanitatem, non maximam tantùm, quæ infra Deum esse potest, super alias Creaturas potestatem, sed ipsam Dei Omnipotentiam communicatam esse; quia videlicet homo Christus Deus est, in gloria Patris: Ergo, cùm ex Incarnatione sequatur communicatio idiomatum, similiter proprietates humanitatis Diuinitati communicatæ erunt, quia Deus Christus homo est, & Filius Virginis: & sicut omnes proprietates Diuinitatis dici possunt de Christo homine, ita omnia attributa Humanitatis de Christo Deo. Cùm ergo Vna & Potissima ex proprietatibus humanitatis sit, quòd

ſit minor Patre; ipſi Diuinitati Chriſti per Incarnationem communicatum erit, vt ipſa ſit minor eſſentia Patris, ſicut humanitati omnipotentia & omnipræſentia diuina communicata eſt, vt ipſa ſit verè omnipotens & omnipræſens. Vnde vlteriùs concluditur, Diuinitatem Chriſti ab æterno fuiſſe Patre minoré, quia aliàs in tempore minor fieri non potuiſſet.

Sequitur ergo, articulum de Trinitate Perſonarum Diuinarum, & æqualitate earum in eſſentia, etſi veriſſimè in Confeſſione Auguſt. poſitum, apud Lutheranos tamen non eſſe fidei Diuinæ; ſed humanæ perſuaſionis: quia videlicet nulla tam euidentia Scripturæ teſtimonia habent, vt illis ſolis infallibiliter perſuaderi poſſint, omnia SS. Trinitatis Myſteria ita ſe habere, vti ab Eccleſia Romana didicerunt. Et quamuis manifeſtiſſima de his omnibus & ſingulis teſtimonia haberent, quia tamen in articulo de Eccleſia oſtenſuri ſumus, Lutheranos fide diuina credere non poſſe, libros iſtos, ex quibus ſuam fidem probare nituntur, eſse auctoritatis diuinæ, adhuc ſequeretur ipſos hæc myſteria fide diuina non credere.

QVAESTIO II.

Vtrùm moderna Controuerſiæ fidei non æquè per Eccleſiam determinari debeant, atq; olim Controuerſia inter Arrianos & Catholicos definita fuit?

LVtherani volunt, omnes fidei Controuerſias per ſolam ſcripturam dirimendas; quia illam vniuerſalis Iudicis in rebus fidei partes tenere aſſerunt; & ideò non eſſe opus Eccleſiæ deciſione, vt Controuerſiæ inter nos & ipſos dirimantur, cùm manifeſtis ſcripturæ teſtimonijs jam diremptæ cenſeri debeant.

Concluſio. Modernæ inter Catholicos & Lutheranos Controuerſiæ ex ſola ſcriptura definiri non poſſunt, ſed agnoſcenda eſt in hac parte judiciaria poteſtas Eccleſiæ. Probatur I. Quia ille non poteſt eſſe Iudex omnium litium in fide, qui

Digitized by Google

qui omnes fidei articulos non declarat: Scriptura ſacra per ſe ſola omnes fidei articulos non declarat; imò nullum ex Controuerſis ita exprimit, vt partes litigantes ex illa ſola certò intelligere poſſint, cuinam victoria adiudicetur. Quamuis enim in genere multa de articulis Controuerſis dicat; in ſpecie tamen & indiuiduo manifeſtè non pronunciat, quænam pars rectè ſentiat. v. g. De SS. Euchariſtia dicitur in ſcriptura: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus.* Quod Catholici ita intelligunt: Hoc, quòd exterius videtur panis, non eſt ampliùs panis ſed corpus Chriſti: Lutherani, Hoc quod eſt & manet panis, eſt corpus Chriſti, quia ſub illo ſacramentaliter continetur corpus Chriſti: Caluiniani, Hoc, id eſt, hic panis eſt corpus Chriſti, non verè & propriè, ſed per figuram tantùm & ſignificationem. Hanc in tanto negotio Controuerſiam nuſquam ita clarè dirimit Scriptura, vt partes ex illa ſola certò ſtatuere poſſint, cuinam verum adſcribat: ſed ſingulæ pro ſe Scripturam ſtare conſtanter aſſeuerant.

Cùm ergo Chriſtus Eccleſiam ſuam ita ordinare voluerit, vt ſufficientia media haberet, quibus tanti ponderis lites certò determinare poſſet (aliàs enim miſerior eſſet Eccleſiæ facies, quàm vllius Reipub. politicæ) debuit illi dare Iudicé, qui ſententia ſuâ certò & apertè decernat, quid cuique in quauis re tenendum ſit, & qui in refractarios, ad fideles in officio continendos, animaduertat. Sed talis Iudex non eſt ſcriptura, I. Quia, vt diximus, non omnia in ſpecie dicit, in quibus oritur, vel adhuc oriri poteſt Controuerſia. II. Quia Iudex manifeſtè cauſas decidere debet, aliàs enim ſententia eius per ſe ſola non tam deciſio, quam nouarum Controuerſiarum ſeminarium erit; ſed ſcriptura, etiam ea quæ in rebus grauiſſimis dicit, non ſemper manifeſtè explicat, juxta illud 2. Petri. 3. 15. *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis, ſicut & omnibus epiſtolis, loquens in eis de his; in quibus ſunt quadam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionē.* Cùm ergo Iudex, vt lites determinet, non debeat obſcuram,

Digitized by Google

non difficilem intellectu ſententiam ferre; nec talem, quàm poſſit etiam is qui damnatur pro ſua cauſa allegare; & ſententiæ ſcripturæ in maximi momenti articulis obſcuræ, difficiles intellectu, & tales ſint, vt eas hæretici vel pro ſe adducant, vel ſaltem ita exponant, vt nihil contra ipſos facere videantur; non poteſt ſcriptura eſſe vniuerſalis Iudex omnium controuerſiarum fidei.

Quis enim vnquam hæreticorum, vel olim, vel noſtris temporibus fuit, qui ad errores ſuos defendendos ſacra ſcriptura non ſit abuſus? De noſtris quidem adeò res manifeſta eſt, vt etiam ij qui omnem ſcripturæ auctoritatem detrahere conati ſunt, ſcripturæ ad hoc teſtimonium adduxerint: videlicet illud, 2. Cor. 3. 6. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* De antiquis ait antiquiſſimus auctor Vincentius Lirinenſis, in aureo ſuo contra hæreſes libello, cap. 35. *Hic fortaſſe aliquis interroget, an & hæretici Diuinæ Scripturæ teſtimonijs vtantur? Vtuntur planè, & vehementer quidem. Nam videas eos volare per ſingula quæque Sanctæ legis volumina, per Moſi, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim aqud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim, ſiue publicè; ſiue in ſermonibus, ſiue libris, ſiue in conuiuijs, ſiue in plateis, nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. &c. Sed tanto magis cauendi & pertimeſcendi ſunt, quanto occultiùs ſub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè cito eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cæleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergunt. Vt ille qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula.*

Non ergo magis poteſt ſcriptura ſacra per ſe exortas in fide controuerſias manifeſtè determinare, quàm in iudicio politico poſſint leges Pandectarum, vel Codicis, quas vtrinque litigantes pro ſe adducunt, iudicium exercere, & cauſas decidere. Alius ergo Iudex quærendus eſt, qui ortis in Eccleſia diſſenſionibus, per ſententiam ſuam, tanquam per vinculum pacis & vnitatis, ſanam fidei doctrinam in integritate conſeruet.

net. Qua enim ratione, cum omne regnum in se diuisum stare non possit, Ecclesia Christi perpetuo mansura est, vt Confessio August. art. 7. rectè affirmat, si tali Iudice careat, qui ortas in fide Controuersias certò, & ita manifestè determinet, vt quilibet intelligere possit, eum qui errauit damnatum esse; & vt, quamuis pertinaciter in errore persistat, veris tamen fidelibus, huius Iudicis sententiam sequentibus, nocere ampliùs veritatis prætextu non valeat?

Quem verò hunc Iudicem semper voluerit esse Deus, in ipsa nobis Scriptura declarauit: Nam Exod. 24. Moyses in montem ascensurus, & aliquanto ibi tempore futurus, dixit senioribus. *Expectate hic, donec reuertamur ad vos: Habetis Aaron & Hur vobiscum; si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Itaque ne paucis quidem diebus populum Israeliticum absque visibili Iudice relinquendum putauit. Prætereà Deut. 17. 8. dicitur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & Iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesq; ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis: qui indicabunt tibi judicij veritatẽ.* Similiter de Sacerdotibus Ezech. 44. 24 dicitur: *Cùm orta fuerit Cõtrouersia, stabunt in judicijs meis, & judicabunt.* Et Malachiæ 2. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.*

In noua etiam lege semper obseruatum est, vt ortæ in fide vel moribus Controuersiæ per Ecclesiæ præpositos & Pastores deciderentur. Id quod non tantùm patet ex omnibus Concilijs, post tempora Apostolorum ad nos vsque celebratis, quorum aliqua ipsi Aduersarij admittunt, sed etiam ex facto Apostolorum, qui ortâ inter Iudæos & Gentes, ad fidem conuersas, controuersiâ de obseruatione legalium, post diligentem causę examinationem sententiam suam auctoritatiuè declararunt. Et quamuis scripturæ testimonijs non niterẽtur, nihilominùs confidenter dixerunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.*

bu. Act. 15. 28. Quia videlicet in tam necessario Ecclesiæ negotio Spiritus Sanctus eos dirigit, quos posuit regere Ecclesiam Dei, Act. 20. 28.

Quòd si autem modernæ Controuersiæ simili judicio decidi non possent; nullus vnquam earum futurus esset finis: quia quisque Ecclesiæ Catholicæ aduersarius pro se stare asserit Scripturam, quam Controuersiarum Iudicem omnes appellant: neque nudè tantùm hoc asserit; sed etiam cum tanta specie veritatis probat, cum quanta alius aduersarius eius simul & noster

Sicut ergò Concilium Nicenum ex instinctu Spiritus Sancti, examinatis scripturis, Controuersiam illam de Diuinitate Verbi determinauit, & Arrium quantumuis speciosa scripturæ testimonia, ad erroris sui defensionem, proferentem damnauit; ita moderna Ecclesia auctoritatem habet damnandi eos, quos ex Spiritus sancti dictamine, diligenti disquisitione factâ, errare deprehendit: quantumuis ipsi scripturæ prætextu pertinaces sint, & doctrinam suam nihil aliud esse clament, quàm purum & putum Verbum Dei.

Et confirmatur ex praxi Lutheranorum. Cùm orta esset inter ipsos de grauibus articulis Controuersia; quidam Prædicantes ad id deputati eos examinarunt, & posteà scripto declararunt, quid tenendum, quid reijciendum esset: atque scriptum illud publicarunt Principes, tanquam regulam fidei vnanimiter à suis subditis obseruandam, vt patet ex præfatione libri Concordiæ. Quod ergo paucis his Prædicantibus concessum est, cur id negetur quamplurimis ex toto orbe congregatis eius Ecclesiæ Præpositis & Pastoribus, à qua nisi Lutheranorum Magistri didicissent, nihil quidquam de fidei mysteriis scire potuissent?

QVAESTIO III.

An & quomodo Confeßionistæ Concilium celebrari petiuerint?

RESpondeo I. Confessionistas Concilij celebrationem sæpenu-

penumerò petiuisse, & auctoritatem Conciliorum in decidendis fidei Controuersijs agnouisse. Nam in præfatione Confessionis ita loquuntur: *In euentum ergò talem, quòd in causa religionis dissensiones inter nos & partes amicè & in charitate non fuerint compositæ, tunc coram V. C. M. Hic in omni obedientia nos offerimus ex superabundanti comparituros, & causam dicturos in tali generali, libero, & Christiano Concilio, de quo congregando* (per summum Pontificem videlicet, vt ex verbis quæ antecedunt constat) *semper concorditer actum & congruentibus suffragijs conclusum est. Ad cuius etiam generalis Concilij conuentum, simul & ad vestram Cæs. M. in hac longè maxima & grauissima causa, jam ante etiam debito modo, & in forma juris prouocauimus & appellauimus* (videlicet in Comitijs Spirens: Anno 1529.) *cui appellationi ad V. C. M. simul & ad Concilium adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel alium tractatum deserere intendimus, aut possumus: de quo hic etiam solenniter & publicè protestamur.*

Cùm ergo nemo appellet, nisi ad eum quem pro Iudice agnoscit; manifestum est Confessionistas, saltem verbotenus, Concilium generale in causa Religionis tanquam Iudicem agnouisse. Id quòd clariùs etiam in ijsdem Comitijs August. mense Augusto declararunt, quando Principibus à Cæsare ad ipsos destinatis hunc in modum responderunt, teste Dauide Chytræo fol. 230. *Quòd verò nos ad Concilium referimus, ideò fit, quòd in fidei Controuersijs nulla alia via præter hanc justa sit. Et nos in hac re nihil iniustum quæsiuisse speramus. Præterea huius Concilij mentionem fecimus, indicaturi obedientiam nostram; vt perspiciatur, nos à sancta Catholica Ecclesia defectionem non moliri.* Et paulò post: *Quid verò quidam* (ex Lutheranis) *de Concilijs scripserint & docuerint, de eo singuli ipsi respondere possunt. Nos enim Concilijs suum debitum honorem, juxta Canones, tribuimus.* Et in ijsdem Comitijs, 8. Septemb. Cæsari ita responderunt, apud Chytræum, fol. 316. *Speramus etiam certò, V. Cæs. M. causas necessariæ nostræ protestationis & appellationis, pro sua pietate, & amore justitiæ clementer consideraturam: præsertim cùm ea appellatio simul ad Cæs. Suam M. & ad Generalem Synodum facta sit:*

Clementer itaque Cæsarea V. M. appellationi nostræ concedet, donec in Concilio generali iustificetur. Quod nos, flagitante ita necessitate, in Concilio legitime facturos esse pollicemur.

Quare Imperator in decreto Comitiorum, de Religione promulgato, dicit, apud Chytræum, fol. 405. Se, cùm ij, *qui nouas in Religione mutationes instituerunt, reuerenter & subiectissimè Concilium flagitarint, apud Sanctitatem Pontificiam instare & efficere velle, vt per Sanctitatem suam generale, & Christianum Concilium, infra sex menses post finem Comitiorum, loco opportuno indicatur.*

Respondeo, II. Talis appellatio ad Concilium dolosè à Confessionistarum Magistris suggesta est, vt Principes sibi addictos magis in noua sua doctrina confirmaret, pacem à Cæsare vsque ad celebrationem Concilij impetrarent, & plures incautos ad se pertraherent. Quis enim, nisi optimè in cognitione veræ fidei fundatus, non existimare potuisset, doctrinam Lutheranam non vsqueadeò repudiandam, quam ipse Auctor, & primarij eius Doctores Concilij generalis examini subijciebant?

Probatur autem: Quia postquam Cæsar, spe Controuersiæ in Concilio decidendæ, pacem Confessionistis dedisset, & fugato Solymanno Turca in Italiam Anno 1532. abijsset, acturus cum Clemente VII. de celebrando Concilio; Protestantes Cæsari gratias quidem egerunt, de suscepto pro Dei gloria & Reip. salute labore; tergiuersari tamen cœperunt, nec, contrà quàm ante polliciti erant, se Concilio absolutè subiectos esse posse, si vetere more & jam olim recepto celebraretur, asseuerarunt. Proinde Cæsari curandum esse, vt Pontifex, veritatem oppugnans, non sit simul Actor, Reus, & Iudex.

Defuncto autem Clemente, cùm successor eius Paulus III. Concilium Mantuæ celebrandum declarasset; ex Conuentu suo Anno 1535. 26. Decemb. hoc modo responderunt Protestantes: *Mantuam sibi non placere; neque perpessuros ipsos, vt in Concilio Pontifex sua auctoritate vtatur: quòd ille sit ipsorum aduersarius, qui dogmata ipsorum damnarit. Itaque eum Iudicem esse*

non

non posse; sed ex voluntate Cæsaris, Regum, & Principum deligendos idoneos viros, qui juxta verbum Dei causam cognoscant atque definiant.

Neque verò mirabitur hanc tantam in re grauissima inconstantiam, qui ingenium Lutheri, præcipui in hoc negotio directoris, ex similibus eius factis nouerit; ex quibus hic pauca adiungere visum est. Anno 1518. in libello, quo propositiones suas defendere conatus est, miram simulauit erga summum Pontificem Leonem X. humilitatem: *Inuitus*, inquit, *venio in publicum, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, vacuus eruditione. Sed cogit necessitas me anserem strepere inter olores, &c. Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus Tuæ B. offero, cùm omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide; voca, reuoca; approba, reproba, vt placuerit: vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam.*

Citatus deinde Romam, per Ducem Saxoniæ impetrauit, vt causæ cognitio Cardinali Caietano, Legato Apostolico in Germaniam, committeretur. Quamuis autem hic quoq; Iudex non faceret ad gustum Lutheri, comparuit tamen coram eo, licet inuitus; & cùm tria nomine Summi Pontificis illi proposita essent, videlicet vt errores suos agnosceret & reuocaret; vt promitteret imposterum eos se non ampliùs esse locuturum; vt omnibus, quibus Ecclesia turbari posset, abstineret: errores in specie agnoscere nolens, palam è scheda hanc professionem recitauit: *Ego F. Martinus Lutherus, Augustinianus, protestor, me colere & sequi S. Rom. Ecclesiam, in omnibus meis dictis & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quòd si quid contra vel aliter dictum fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo.* Legato autem vrgente, vt tria ista postulata præstaret, tergiuersari perrexit: &, impetrato per Ducem Saxoniæ saluo conductu, à Legato & Pontifice malè informato ad meliùs informandum appellauit: cùmque appellationem suam palàm affigi iussisset, clàm Augustâ excessit. Et quamuis longè aliter erga Pontificem & Legatum esset animatus, blandissimam tamen ad illum scripsit epistolam; in qua hæc verba leguntur: *Omni*

humilitate supplico, Reuerendißima Paternitas tua dignetur ad Sanctißimum Dominum N. Leonem X. istam causam referre: vt per Ecclesiam, his dubijs determinatis, ad iustam vel reuocationem vel credulitatem poßim compelli. Nihil enim aliud cupio, quàm Ecclesiam audire & sequi.

Postquam autem Wittenbergam peruenit, virulentum animum, quem ante hypocriticè texerat, totum euomuit; & scripto edito ad se citauit omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, secum disputaturos. Et An. 1520. à Papa tanquam Antichristo, ad Concilium appellauit. Cùm autem Leo X. 41. Articulos eius publicâ Bullâ damnasset, contra ipsum tamen Lutherum nihil seueriùs statuisset; libellum edidit, cum hac inscriptione. *Aduersus execrabilem Antichristi Bullam*: in quem, præter alias multas calumnias, etiam hæc verba coniecit. *Ego, quisquis fuerit huius Bullæ auctor, eum pro Antichristo habeo &c. Deinde assero tota fiducia spiritus mei articulos per eam damnatos, asserendosque pronuntio omnibus Christianis, sub pœna æterna maledictionis.*

Eò verò tandem furoris progressus est, vt instar noui Papæ Bullas edere non erubuerit. Nam An. 1522. contra Bullam Cœnæ Domini aliam promulgauit, cum hoc introitu: *Martinus Lutherus Sanctißimæ sedi Romæ, & toti eius Parlamento meam gratiam & salutem imprimis. Sanctißima sedes, crepa & non frangere, ob hanc nouam salutationem, in qua nomen meum primo & supremo loco pono, osculandorumque pedum obliuiscor.* Et post recitatam Pontificis Bullam ait: *Ego autem dico ad Papæ & Bullæ huius minas istud: Qui præ minis moritur, ad eius sepulturam compulsari debet crepitibus ventris &c. Et regimen Papæ in corpore, bonis, & anima decies peius est, quàm Turca. Et si Turcam expugnare velimus, à Papa incipiendum nobis est.*

Præterea in lib. quem eodem Anno hoc titulo scripsit, *Aduersus falsò nominatum Ecclesiasticorum statum Papæ & Episcoporum*, talé bullam posuit: *Doctoris Lutheri Bulla & Reformatio. Quicumque opem ferunt, corpus, bona & famam in hoc impendunt, vt Episcopatus deuastentur, & Episcoporum regimen extinguatur, hi sunt dilecti filij Dei.*

Ex

Ex his omnibus patet, quàm ficto & malitioso animo Lutherus obedientiam erga summum Pontificem simulauerit, & ad Concilium à Pontifice cõvocandum appellauerit; atque deinde Anno 1535. ad Petrum Paulum Vergerium Legatum Apostolicum dixerit: *Agite, Concilium cogite, vbicumque placuerit; siue Mantuæ, siue Paduæ, siue Florentiæ: veniam, Deo volente, licet scirem me à vobis combustum iri.*

QVAESTIO IV.

Quale Concilium petiuerint Confeßionistæ?

RESpondeo, Confessionistas non petiuisse tale Concilium, in quo ex auctoritate, & more semper in Ecclesia recepto, per Ordinarios Ecclesiæ Pastores & Doctores Controuersiæ deciderentur; & si quid contra veritatem ipsi tenerent, damnari possent. Sed in quo, contra perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, præsideret Imperator, & jus decidendi haberent etiam Laici docti, atque ipsi sub saluo conductu quiduis dicere possent, nec tamen vllo Concilij decreto ad mutandam sententiam obligari. Quis autem de tali Concilio audiuit vnquam, in quo reus, nisi ipse velit, condemnari, aut ad reuocationem compelli non possit? In quo ipse qui Controuersiam mouit Ordinarios Iudices respuat, & eos qui in possessione ante fuerunt, de facto deturbare præsumat, atque totius causæ non alium tandem Iudicem postulet, quàm seipsum? Et hæc omnia sub isto titulo, quòd leges vniuersas pro se contra aduersarios, militare existimet. Quid est actorem simul, reum, & Iudicem agere, si hoc non est? An verò non fuit talis processus Confessionistarum, quando ante Concilij celebrationem causam adhuc Controuersam, tanquam jam decisam, mordicùs tenuerunt. Lutherus enim talem titulum Articulorum Smalcaldicorum posuit: *Articuli Christianæ doctrinæ, qui in Concilio Mantuæ, vel alibi celebrando ex nostra parte proponendi fuissent: & quid suscipere aut concedere poßimus, nec ne.* Et in præfatione ait: *Vt denuò ad rem reuertar, libentißimo sanè animo verum Christianum Concilium viderem, vt pluribus hominibus succurri*

curri

curri posset. Non quòd nos Concilio indigeamus; nostra enim Ecclesia, per Dei gratiam, puro Dei verbo, & legitimo Sacramentorum vsu, variorum statuum cognitione, & operibus ita illustratæ & constitutæ sunt, vt nostrâ causa Concilium non curemus, & in his punctis nihil melius à Concilio sperare vel expectare possimus. Et post recitatos articulos ita concludit. *Hi sunt Articuli, in quibus stare debeo, & stare volo vsque ad mortem, volente Deo: neque possum quidquam in illis mutare.*

Qualecumque ergo tandem Concilium celebratum fuisset, quæ potuisset esse respectu Confessionistarum vtilitas, qui jam certò concluserant, in nullo se puncto à Doctrina sua recessuros, & nullius alterius judiciū, vt vel in minimo recederent, ipsos obligaturum? Vt autem clariùs constet de pertinaci hac mente Lutheri, & Lutheranorum (si eiusdem cum illo fuerunt, & etiamnum sunt animi: de quo non dubito, ideò enim articulos istos supra citatos sæpiùs excudi curarunt) aliquot adhuc Lutheri loca in eandem sententiam scripta, adducam, & quidem eo tempore scripta, quo in multis, ipsorum Lutheranorum judicio, errauit; quamuis se certum glorietur, doctrinam suam nihil aliud esse, quàm verbum Dei.

Libro contra Regem Angliæ, quem An. 1522. scripsit, hunc in modum loquitur: *Ego aduersus dicta Patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum, pono, non antiquum vsum, non multitudinem hominum; sed vnius Maiestatis æternæ Verbum, Euangelion, quod ipsimet coguntur probare. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho. Hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferi: nedum dictis hominum, quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei Verbū est super omnia: Diuina Maiestas mecum facit, vt nihil curem, si mille Augustini, si mille Cypriani, si mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent. &c. Deinde solius* inquit, *Christi sumus: quis est iste stolidus Rex, qui suis mendacijs nos Papæ facere molitur? Nos non sumus Papæ; sed Papa noster est. Nostrum est, non judicari ab ipso; sed ipsum judicare: spiritualis enim à nemine judicatur, & ipse judicat omnes.*

Item in libro contra Ecclesiasticos: *Volo*, inquit, *doctrinæ meæ*

meã rationem ostendere coram Vniuerso mundo, eamque habere ininudicatam à quolibet; etiam à cunctis Angelis. Cùm enim de ea certus sim, volo per eam & vester, & Angelorum quoq;, vt Paulus ait, Iudex esse: vt quisquis doctrinam meam non acceptauerit, saluari non possit. Dei enim, non mea est.

Item in libro pro erigendis scholis Christianis, quem Ann. 1524. composuit: *Quisquis*, inquit, *obedierit mihi; is procul dubio non mihi, sed Christo obedit: & quisquis mihi non obedierit; is non me, sed Christum contemnit.*

Et libro quem *Fidelem admonitionem ad omnes Christianos pro seditione & rebellione cauenda* inscripsit: *Ego*, inquit, *vtique certus sum, verba mea non mea esse, sed verba Christi: oportet igitur & os meum illius esse, cuius verba loquitur.* Cùm tamen in eodem libro se falsum Prophetam probauerit, quando prædixit, si adhuc duobus annis prædicaret, totum Papatum instar fumi dispariturum. Non duobus enim tantùm, sed viginti quatuor post libri huius scriptionem vixit & prædicauit annis: Scriptus enim est An. 1522. & ipse obijt. Anno 1546.

Præterea post exhibitã Confessionẽ Aug. An 1530, ab amico rogatus, cur ad locũ Rom. 3. vbi Paulus ait: *Hominem justificari per fidem, sine operibus legis*, addidisset vocabulum, *Solam*, Respondit: *Si Papista tuus multum vult garrire de hac voce, Sola, ei dicito sic: Doctor Martinus Luther vult sic habere, & dicit Papistam & asinum esse rem vnam: Sic volo, sic jubeo. &c. Nolumus enim Papistarum scholares, aut discipuli esse; sed Magistri, ac Iudices.* Ac ne Conciliorũ & Ecclesiæ Catholicæ judiciũ admittere cogeretur, in quodam libello, quẽ, teste Cochlæo, An. 1523. edidit, quosuis de plebe facit Papæ, Episcoporũ, Conciliorum, antiquitatis &c. judices. *Nihil*, inquit, *prorsus attendere oportet hominũ leges, jura, mores, vsum, consuetudinẽ, &c. siue à Papa, siue ab Imperatore, à Principibus, aut Episcopis ita statutum sit. An mundus totus, aut dimidius ita tenuerit. Siue vno, aut mille annis durauerit. Anima enim hominis res æterna est, super omne quod temporale est: ideò æterno dumtaxat verbo regi debet.* Item, *Hominum Verba, ac doctrinæ constituerunt & ordinauerunt, judicium super doctrinis*

committendum esse Episcopis, Doctoribus, & Concilijs. Quidquid illi concluserint, totum mundum accipere debere pro jure, & pro articulo fidei. Vide autem, ista gloriatio eorum, qua vniuersum mundum sub jugum miserunt, quàm impudenter ac stultè pugnet contra legem ac verbum Dei: Christus enim directè contrarium statuit, auferens ab Episcopis doctisque & Concilijs vtrumque, nempe jus & potestatem judicandi doctrinas; ac tribuens vtrumque vnicuique & omnibus Christianis vniuersaliter, quando ait Ioan. 10. Oues meæ non sequuntur alienos, sed fugiunt ab eis, quia non cognoscunt vocem alienorum. Item: *Quotquot venerunt fures sunt & latrones, oues autem illos non audiunt. Hic clarè vides, cuiusnam sit jus judicandi doctrinas. Episcopus, Papa, Docti, & vnusquisque habet potestatem docendi; oues autem judicare debent, an doceant vocem Christi, an alienorum.*

Et quæ non tandem barbaries vniuersam occupabit Ecclesiam, si hæc Lutheri doctrina in animos hominum semel admittatur?

ARTICVLVS II.

DE PECCATO ORIGINALI.

QVAESTIO I.

In quibus circa hunc articulum conueniamus in quibus discrepemus?

RESpondeo. I. Conuenimus in illo, quòd omnes homines naturali modo ex Adamo propagati, ordinariâ lege nascantur in peccato originali, juxta illud Rom. 5. 12. *In Adamo omnes peccauerunt.* Ita vt sint peccatores non imitatione tantùm; sed etiam propagatione peccati. Et illud Ephes. 2. 3. *Eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri.*

Item quòd peccatum originale sit verè & propriè peccatum, damnans omnes eos, qui non renascuntur per baptismum

mum & Spiritum Sanctũ, juxta illud Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in Regnũ Dei.* Et consequenter peccatum illud non posse tolli humanis viribus, sed per gratiam Dei & meritum vnius Mediatoris Domini nostri Iesu Christi. Hæc autem omnia docet Concil. Trid. Ses. 5. in Decreto de peccato originali.

Respondeo II. in tribus potissimùm nos à Confessionistis dissidere: I. in eo quòd dicunt, nasci in peccato originali esse nasci sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, sine notitia Dei &c. II. Esse nasci cum concupiscentia. III. Peccatum originale post baptismum verè manere, & tantùm non imputari. De quibus per subiectas quæstiones breviter videbimus.

QVAESTIO I.

Vtrùm nasci in peccato originis sit nasci sine metu, & notitia Dei, &c.

Respondeo cum Catholicis Principibus ad hunc Articulum, declarationem illam peccati originalis esse omnino reijciendam: Isto enim loquendi modo magis significantur actualia peccata adultorum, quàm originale eorum, qui rationis vsu nondum pollent. Probatur I. Quia etiam parvuli baptizati sunt sine metu, & notitia Dei (quòd sine miraculo non sint capaces istarum rerum, per ætatem enim *boni ac mali ignorant distantiã*, Deut. 1. 39) Et tamen non sunt ampliùs in peccato originali: Ergo esse in peccato originali, non est esse sine metu, aut notitia Dei; sed esse sine habitu justitiæ originalis, quæ necessariò non complectitur actus timoris fiduciæ, aut notitiæ Dei; sed tantùm naturales animæ vires eleuat, vt tales actus elicere possit, si aliunde nihil obstet; sicut in infantibus obstat carentia vsus rationis.

Probatur II. Confessionistas hic magis actualia peccata commemorare, quàm originale describere, quia in Apolog. Art. 2. his verbis se explicant: *Cùm aduersarij de peccato originis loquuntur, grauiora vitia humanæ naturæ non commemorant:*

 scilicet

scilicet ignorantiam Dei, contemptum Dei, vacare metu & fiducia Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium &c. Hos morbos, qui maximè aduersantur legi Dei, non aduerterunt Scholastici. Et paulò post: *Hæc sunt præcipua vitia naturæ humanæ, pugnantia propriè cum prima tabula decalogi.* Quis autem non videt verbis istis non significari peccatum originale; sed actualia, quæ ex originali, & propria cuiusque voluntate mala nascuntur, & quidem inæqualiter in diuersis, cùm peccatum originale sit æquale in omnibus?

Quòd si verò hoc tantùm dicerent, peccatum originale, & carentiam iustitiæ originalis complecti carentiam virium ad actus virtutum supernaturalium notitiæ, timoris, fiduciæ, amoris Dei eliciendos, nihil reluctaremur. Est enim hæc consentiens omnium Catholicorum doctrina, hominem ordinariâ viâ ex Adamo genitum, nisi renascatur ex aqua & Spiritu sancto, ineptum esse ad vllam virtutem supernaturalem eliciendam. Idque Concilium Trid. indicat, quando loco cit. dicit, *totum Adamum* (cum suis scilicet posteris) *per præuaricationis offensam, secundùm corpus & animam in deterius commutatum fuisse.*

QVAESTIO III.

Vtrùm fomes concupiscentiæ sit peccatum originale, & inuoluntarij eius motus peccata actualia?

RESpondet Confessio August. affirmatiuè: & hanc doctrinam non esse nouam, neque alienam ab Ecclesiæ Catholicæ sensu ait: neque enim Apostolum tantùm, præsertim Rom. 7. eam manifestè tradere; sed etiam Augustinum per concupiscentiam peccatum originis definire solere. Thomam quoque Aquinatem, Bonauenturam, & alios Scholasticos concupiscentiam vocare peccatum. Quæ omnia videre licet in Apolog. Art. 2.

Nota, peccatum latè sumi pro quacumque declinatio-

ne à rectitudine, quæ rei cuicumque in integritate sua constitutæ conuenit: sic monstra, quia à recta naturæ regula & integritate deficiunt, peccata naturæ vocantur: sic omnis hominum infirmitas, quæ in se nihil aliud est quàm peccati propriè dicti pœna, vt ignorantia, morbi, cruciatus, fames, sitis, mors &c. aliquâ ratione peccata dici possunt, quia à perfectione illa deficiunt, in qua homo originaliter conditus est. Et hoc sensu explicari posset Paulus, quando Christum secundùm carnem peccatum appellat: quia monstro simillima res est, Filium Dei naturalem subijci afflictionibus, supplicijs, & morti. Quanquam communior sententia est, Christum appellari peccatum, id est hostiam pro peccato.

Conclusio I. Fomes concupiscentiæ, neque secundùm Apostolum, neque secundùm Ecclesiæ Doctores, est propriè, sed in latiore tantùm significatione peccatum originale. Vocatur tamen peccatum propter tres maximè causas: I. quia est inordinata dispositio ad rebellionem partium inferiorum animæ contra superiores. II. quia ex peccato originali nascitur. III. quia ad peccata actualia instigat, & ideò ab Apostolo meritò malum appellatur; quia si quis illi obediat, in peccatum, quod est malorum omnium maximum, incidit.

Probatur I. non alium esse sensum Apostoli, quia per gratiam Christi, quæ in baptismo confertur, verè tollitur peccatum originale: Rom. enim 5. 19. dicitur: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obeditionem justi constituentur multi.* Et c. 6. 2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Et v. 8 *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo.* Vbi ipse Philippus in commentario à Luthero edito ait: *Cum Christo mori, est peccati vitam occidi.* Atqui omnes qui renati sunt per baptismum, cum Christo mortui sunt, juxta illud Rom. 6. 3. *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Ergo in renatis mortuum, siue omnino sublatum ab illis est peccatum, vt infra pluribus dicetur.

 Objicit

Obijcit Apologia Confess. Paulus ait: *Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces:* Ergo concupiſcentia manens in renatis eſt propriè dictum peccatum, quia eſt præuaricatio legis.

Reſpondeo, Hoc loco non intelligi fomitem peccati per concupiſcentiam, ſed actum concupiſcendi voluntarium, qui præcepto prohibitus eſt. Nam præcepto illo non prohibetur peccatum originale aut fomes concupiſcentiæ; quia poſt lapſum hominibus datum eſt, & ideò non prohibet id, quod nemo euitare poteſt; ſed neceſſariò omnes contrahunt. Prætereà concupiſcere non ſignificat, fomitem concupiſcentiæ habere; quia fomitem ſemper habemus, non tamen ſemper prohibita concupiſcimus. Ergo hîc tantum prohibetur, ne mala concupiſcamus, obediendo videlicet concupiſcentiæ prauæ, juxta illud Rom. 6. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius:* Non autem, ne concupiſcentiæ fomitem habeamus, quem citato Rom. 7. ipſe ſe Paulus habuiſſe teſtatur.

Et confirmatur I. Apoſtolum non intelligere fomitem concupiſcentiæ, quando illi opponit legem iſtam: *Non concupiſces:* quia immediatè poſt ſubiungit: *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnē concupiſcentiam:* ſed concupiſcentia, quam peccatum per mandatum, ſiue cognitionem mandati, operatum eſt in Paulo, non erat fomes concupiſcentiæ; quia illum non eſt operatus Paulus, ſed traxit à primo parente. Ergo ibi non agitur de originali fomite concupiſcentiæ, ſed de fœtu eius, ſiue de actibus cōcupiſcendi.

Confirmatur II. Quia id inſinuat hîc Paulus, quod Chriſtus Matth. 5. Iudæis exprobat, cùm non motus internos, ſed exteriora tantùm opera mala pro peccatis reputarent. Cuius ſententiæ fuit etiam Ioſephus lib. 12. Antiquitatum cap. 13. de Antiocho dicens: *Nam qui nullatenus egit peccatum, ſed tantùm cogitauit, nullo reatu tenebatur.* Vnde & Lutherus, in magno Catechiſmo docet, hoc præceptum: *Non concupiſces*, Iudæis potiſſimùm datum eſſe, quòd exiſtimarent, ſe legem impleſſe,

Digitized by Google

impleſſe, ſi externa tantùm opera feciſſent, vel nõ feciſſent. Sẽſus itaq; Apoſtoli talis eſt: Ego more aliorũ ignoraſſem, concupiſcere aliena eſſe peccatum; niſi lex diceret: *Non concupiſces.* Sed ſola me lex, de qua vos Iudæi ſola gloriamini, adeò juuare non potuit, vt illius occaſione grauiùs peccauerim: quia videlicet cognitionem peccati contulit, vires autem ad abſtinendum à peccato conferre non potuit.

Probatur concluſio II. de mente Sancti Auguſtini: Quia quamuis Apologia dicat, hunc Patrem per peccatum originale intelligere concupſcentiam, nullum tamen eius teſtimonium adducit, cùm nos quàm plurima adducere poſſimus in contrarium: Vt ex lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia c. 23. *Concupiſcentia,* inquit, *jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur.* Et l. 6. contra Iulianum c. 5. *Tu autem, qui putas, quòd, ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur, multum erras: omni enim peccato caret, non omni malo: quod clariùs ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Nunquid caret corruptione corporis? An non eſt malum quod aggrauat animam, & errauit qui dixit: Corpus enim corruptibile aggrauat animam? Nunquid caret ignorantia malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala?* Et lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 13. ait: *Dicimus enim, baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auſſerre crimina, non radere: nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata.* Et ſermone 6. de verbis Apoſt. *Quidquid,* inquit, *illa concupiſcentia carnis egit in nobis præteritorum peccatorum, ſiue in factis, ſiue in dictis, ſiue in cogitationibus, totum deletum eſt ſacro baptiſmate: omnia debita deleuit vna indulgentia. Reſtat ergo cum carne conflictus, quia deleta eſt iniquitas, ſed manet infirmitas, ineſt, titillat delectatio illicita concupiſcentiæ: Pugna, reſiſte, noli conſentire, & impletur hic: Poſt concupiſcentias tuas non eas.*

Oſtendit etiam lib. 1. de nuptiis & concup. c. 23. cur

concupiſcentia in renatis vocetur peccatum, his verbis: *Sed quia modo quodam loquendi, peccatum vocatur, quòd & peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit reum, reatus eius valet in regenerato. Quem reatum Chriſti gratia, per remiſſionem omnium peccatorum in regenerato, ſi ad mala opera ei quodammodo iubenti non obediat, valere non ſinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, cum iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum: ſicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. Itemq; ſic vocatur peccatū, quia peccatū, ſi vincit, facit: ſicut vocatur frigus pigrū, non quòd à pigris fiat, ſed quod pigros faciat.* Eodem modo lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. c 13. ait: *Concupiſcentia, etiamſi vocetur peccatum, non vtique quia peccatum eſt; ſed quia peccato facta eſt ſic vocatur: ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit.*

Probatur III. De mente S. Thomæ & Bonauenturæ, hos videlicet Eccleſiæ Doctores non ſenſiſſe, concupiſcentiam quæ manet in renatis eſſe propriè dictum peccatum, aut ante regenerationem peccatum originale conſiſtere in concupiſcentia. S. enim Thomas 1. 2. q. 82. art 3. tantùm dicit, Concupiſcentiam in peccato originali ſe habere inſtar materialis; formalem autem eius rationem conſiſtere in defectu iuſtitiæ originalis. Sicut ergo corpus ſeparatâ animâ non eſt ampliùs homo, ita, ex mente S. Thomæ, concupiſcentia, ſublato iuſtitiæ defectu, non eſt ampliùs peccatum. Et confirmatur, quia art. 4. dicit, peccatum originale eſſe æqualiter in omnibus; concupiſcentiam autem eſſe inæqualem, ſecundùm diuerſas hominum complexiones.

Eadem eſt mens S. Bonauenturæ, qui in 2. ſent. diſt. 30. q. 1. de quidditate peccati orig. dicit: *Concedendum eſt igitur, ſicut rationes oſtendunt, & Magiſter dicit in littera, quòd originale peccatum eſt concupiſcentia, & hæc non quæcunque, ſed concupiſcentia prout claudit in ſe debitæ iuſtitiæ carentiam.* Et diſt. 32. q. 1. *Ad illud*, inquit, *quod obijcitur, quòd concupiſcere poſt baptiſmum eſt peccatum, dicendum quòd verum eſt; ſed ex hoc non ſequitur, quòd illa concupiſcentia, quæ prouocat ad concupiſcendum,*

Digitized by Google

sit peccatum; sed sufficit, quòd sit peccatum, aut ex peccato relicta. Quando ergò dicitur, quòd quales sunt actus, tales sunt habitus, hoc intelligitur de habitibus generatis ex actibus frequentatis, si ut de habitibus consuetudinalibus: concupiscentia verò illa, quæ post baptismum remanet, non est generata ex frequenti concupiscibilitate, sed ex carnis corruptione: & ideò non habet rationem culpæ, sed pœnæ. Quia verò ad malum inclinat, potiùs vitiositas, quàm pœnalitas appellari debet.

Neque vllum ex antiquis auctoribus Catholicis adducent vnquam, qui sensu Lutherano dixerit, concupiscentiam, post baptismum in homine manentem, esse peccatum, idest, veram peccati mortalis naturam retinere, & tantùm à Deo non imputari. Aut qui ex hac doctrina talia duxerit corollaria, qualia Lutherus, Philippus, & horum discipuli deducunt: videlicet, *Omnia hominum etiam iustorum opera, propter imperfectionem suam, esse peccata mortalia: Neminem esse iustum iustitia interna, sed tantùm extrinsecùs imputatâ: Mandata Dei esse seruatu impossibilia, &c.* De quibus infra videbimus.

Conclusio II. Involuntarij concupiscentiæ motus non sunt propriè dicta peccata. Probatur I. ex illo ipso loco Pauli, quem contra nos adducunt aduersarij, hoc modo: Omne peccatum actuale, quo committitur aliquid contra legem Dei, est ipsius peccantis opus, vt patet: sed involuntarij concupiscentiæ motus, si verè peccata sunt, committuntur contra illud præceptum: *Non concupisces*: Ergo debent esse opera eius, qui tales motus in se percipit. Atqui hoc negat Apostolus, Rom. 7.16.17. *Si autem quod nolo illud facio, consentio legi quoniam bona est: Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

II. Lex Dei hominibus renatis non est impossibilis, vt infra ostendemus: sed si innoluntarij concupiscentiæ motus essent propriè dicta peccata, lex Dei foret impossibilis: quia nemo quantumuis sanctus, citra singulare priuilegium, habet in potestate sua tales motus, vt constat exemplo Pauli: Ergo, &c.

III. Nul-

III. Nullum peccatum propriè dictum est tantùm in corpore (anima enim propriè peccat, non corpus) sed inuoluntarij concupiſcentiæ motus ita reperiuntur in corpore, vt non afficiant animam, vt cit. loc. v. 23. inſinuat Paulus, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et v. 25. *Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.*

IV. De ratione peccati eſt, vt ſit voluntarium: quod quamquam Apologia huius articuli dicat, intelligendum de iudicio ciuili, non de iudicio Dei; Eccleſiæ tamen Doctores de iudicio etiam Dei ſemper intellexerunt: quia videlicet lex Dei data eſt libero arbitrio vtentibus, & ideò contra legem Dei non peccant, qui rationis vſu ſunt deſtituti. Sed inuoluntarij concupiſcentiæ motus non cadunt ſub liberum arbitrium: Ergo lege Dei per ſe prohibiti non ſunt. Rectè enim S. Auguſt. lib. de vera relig. c. 14. ait: *Vſque adeò peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Cùm ergo concupiſcentiæ motus non ſint peccata in pueris, amentibus, & dormientibus, quia non eſt in eorum poteſtate non concupiſcere, vt docent S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. c. 30. S. Proſper. lib. 3. de vita contemplatiua. c. 6. S. Ambroſius lib. 1. de off. c. 21. etiam in vigilantibus adultis motus, qui in poteſtate eorum non ſunt, propriè dici peccata non debent. Rectè enim S. Auguſt. lib. 1. de Ciuit. Dei. c. 25. ait: *Illa concupiſcentialis inobedientia quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?*

Ne autem aduerſarij dicant, quod dicit Kemnitius, S. Auguſtinum poſteà retractaſſe ſententiam iſtam, videamus quid in libris Retractationum dicat: Lib. 1. c. 15. *Poteſt etiam putari,* inquit, *falſa eſſe iſta ſententia, qua diximus, nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum: quia dixit Apoſtolus: Si autem quod nolo, hoc facio, iam non ego operor illud; ſed quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum vſque adeò non eſt in voluntate, vt dicat, quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nuſquam eſt niſi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum, de quo ſic locutus eſt Apoſtolus, ideò*

Digitized by Google

ideò peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur: Quod aperit in consequentibus dicens: Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum : velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Perfectio quippe boni est, vt nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem quando benè viuitur non consentit voluntas: verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas. Cuius concupiscentiæ reatus in baptismate soluitur; sed infirmitas manet, cui, donec sanetur, omnis fidelis, qui benè proficit, studiosissimè reluctatur. Et lib. 2. c. 53. *Bonitatem defendimus nuptiarum, ne putaretur earum esse vitium, concupiscentia carnis & lex in membris repugnans legi mentis: quo malo libidinis benè vtitur ad filios procreandos pudicitia coniugalis.* Si autem libidinis siue concupiscentiæ malo benè vtuntur coniugati, quis dicat cælibes, qui concupiscentiæ motus tantùm sentiunt, & constanter reluctando, per Dei gratiam, ijs non consentiunt, malè operari?

QVAESTIO IV.

Vtrùm peccatum originale in baptizatis verè maneat, & tantùm non imputetur?

DE hac quæstione ita loquitur Apologia: *Hic flagellant aduersarij etiam Lutherum, quòd scripserit peccatum originis manere post baptismum. Addunt hunc articulum iure damnatum à Leone X. Sed Cæs. M. in hoc loco manifestam calumniam deprehendet. Sciunt enim aduersarij, in quam sententiam Lutherus hoc dictum velit, quòd peccatum originis reliquum sit post baptismum. Semper ita scripsit, quòd baptismus tollat reatum peccati originalis, etiamsi materiale, vt isti vocant, peccati maneat, videlicet concupiscentia. Ad eundem modum loquitur & August. qui ait: Peccatum in baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non reputetur. Et hæc sententia adeò placuit superioribus, vt recitata sit & in Decretis. Et contra Iulianum inquit Augustinus: Lex ista, quæ est in membris, remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne*

mortali: remissa est, quia reatus solutus est sacramento quo renascuntur fideles: manet autem, quia operatur desideria, contra quæ dimicant Fideles: Sic sentire ac docere Lutherum sciunt aduersarij, & cùm rem improbare non possint, verba tamen calumniantur, vt hoc artificio innocentem opprimant.

Ostendemus ergò I. Lutherum à Leone X. iure damnatum. II. S. August. non ita sensisse, vt vult Confessio. III. In renatis non manere peccatum originale propriè dictum, & non imputari.

Conclusio I. Lutherus à Leone X. & posteà à Concil. Trid. optimo iure damnatus est, quòd peccatum originale post baptismum manere docuerit. Probatur, quia Philippus falsò extenuat doctrinam Lutheri, quasi nihil aliud voluerit quàm materiale peccati originalis post baptismum remanere. Hæc enim sunt verba Lutheri, Art. 2. à Leone X. damnato: *In puero, post Baptismum, negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.* Et quid per peccatum intelligat, satis indicat in Assert. huius art. his verbis: *Scio, quid hîc multi oppositur sint; scilicet, omnia, quæ dicta sunt, probare, non peccatum, sed defectum, seu infirmitatem relinqui post baptismum (sic enim fomitem, & passiones carnis vocant.) Respondeo, si sola nos verbi controuersia haberet, facilè admitterem, vt defectum vocarent, quidquid illud est mali, quod in prædictis scripturæ verbis relinqui in nobis probatum est: frustra enim certatur de nomine, cùm de re constiterit. Verùm quòd defectum sic appellant, vt peccatum esse negent, & non culpam, sed pœnam tantùm peccati esse velint, admittere non possum, &c. Non enim pœna est, sed culpa, quando dicit: Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces. Ergo qui concupiscit (sicut omnis facit baptizatus) scit se lege magistrà, contra quam facit, verè peccare.*

Quomodo ergo verè dici potest, Lutherum nihil aliud docere, quàm reatum peccati originalis tolli per baptismum, & concupiscentiam manere: atque ideò nos rem improbare non posse; verba nihilominùs calumniari?

Certè si nihil aliud docuisset, neminem habuisset vnquã

ex nostris contradicentem, multo minùs Summum Pontificem sensisset condemnantem. Illud itaque voluit Lutherus, quod adhuc discipuli eius defendunt: Concupiscentiam, post baptismum manentem, esse propriè dictum peccatum, & tantùm non imputari renatis, propter merita Christi. Frustra ergo citatur in Apologia locus ille S. Augustini contra Iulianum pro sententia Lutheri, cùm pro illa nihil faciat, sed Catholicum sensum habeat.

Conclusio II. Sanctus Augustinus non sensit, peccatum originale post baptismum manere in renatis. Probatur I. ex ijs locis, quæ quæstione superiore citata sunt.

II. Quia sententia, quam pro suæ doctrinæ probatione adducit Apologia, non habetur in operibus Sancti Augustini. Non enim dicit, *Peccatum in baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non reputetur*: sed lib. 1. de nuptiis & concupis. c. 25. ita loquitur: *Si autem quæritur, quo modo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo vniuersorum facta est remissio peccatorum: quandoquidem per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles parentis, etiam baptizati: aut certè si in parente baptizato potest & esse, & peccatum non esse; cur eadem ipsa in prole peccatum sit? Ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.* Et paulò post addit, nihil remanere peccati in baptizato, quod non remittatur: concupiscentiam autem, quæ manet, esse instar infirmitatis & languoris.

In Decretis autem, siue iure Canonico, non inuenio vsquam illam sententiam, quam Apologia eò relatam vult: sed de Consecratione Dist. 4. Capitis 2. titulus talis est: *In baptismate concupiscentia extinguitur, non vt non sit, sed vt non obsit.* Sumpta est autem sententia huius capitis ex S August. lib. 1. de peccat. meritis & remiss. c. 39 & ita sonat: *Per baptismum Christi id agitur, vt euacuetur caro peccati: Euacuatur autem, non vt in ipsa viuente carne concupiscentia conspersa & innata repentè absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ oberat nato. Nam nec grandibus hoc præstatur in baptismo, nisi fortè miracu-*

la ineffabili omnipotentissimi Creatoris, vt lex peccati quæ inest in membris, repugnans legi mentis, penitus extinguatur, & non sit; sed vt quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum fuerit, cùm eidem concupiscentiæ subiecta mente seruiret, totum aboleatur, &, velut factum non fuerit, habeatur.

Cùm autem, teste Cochlæo, Philippus in colloquio Wormat. ab Eckio conuictus, confiteri debuerit, se locum ex S. August. malè citasse; videant Confessionistæ, quanta possit esse Confessionis Augustanæ auctoritas, quæ tanquam Augustini sententiam, ad noui dogmatis Lutherani confirmationem adducit, quam ille nunquam protulit, sed cui tam multis locis tam manifestè contradixit.

Conclusio III. Peccatum originale in homine verè manere non potest, quin à Deo imputetur: Probatur, quia vt Apostolus Rom. 2. 2. dicit: *Iudicium Dei est secundùm veritatem*: Ergo quoscunque Deus in peccatis videt, hos tanquam peccatores iudicat; & consequenter imputat peccata, quamdiu in hominibus, siue fidelibus, siue infidelibus, manent. Quia, vt ibid. v. 11. dicitur: *Non est acceptio personarum apud Deum.* Imò vt SS. Patres communiter docent, cæteris paribus, grauiùs damnabuntur fideles, si à Deo inueniantur in peccatis, quàm infideles: tum ob maiorem peccatorum notitiam, & gratiam ad ea vitanda vberiorem; tum ob maiorem, quam peccando committunt, ingratitudinem. Ergo sine fundamento dicunt aduersarij, idipsum esse peccatum, & vt tale infidelibus imputari: quod in fidelibus tale quidem est & manet, sed vt tale non reputatur. Vide plura Art. 6. de Iustificatione, q. 4.

Dices, Rom. 4. 7. Ex Psalmographo dicit Apostolus: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*: Ergo peccatum originale in homine manere potest, & per extrinsecum Dei fauorem tegi.

Respondeo, Hic non disputari quid per absolutam Dei potentiam fieri possit, sed quid ex ordinaria lege reipsa fiat. Cùm ergo ex Scriptura discamus, non aliter tegi à Deo peccata,

cata, quàm dum ea verè tollit; & ideò passim dicantur deleri, auferri, mundari, proijci in profundum maris, & longè remoueri ab hominibus, quantum distat ortus ab occidente; sequitur Deum ordinariè non tegere peccata, quasi conniuendo, &, quamuis verè insint, ea non imputando; sed ita tegere, vt in ipsius Dei conspectu non appareant. Quid enim iuuaret coram omnibus creaturis tecta esse peccata nostra, si in oculis Dei manifesta manerent? Cùm ergo *omnia nuda & aperta sint oculis Dei,* non aliter teguntur peccata quælibet, quàm per veram & realem eorum abolitionem. Aliàs iustificati à Christo, *similes essent sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia*: vt iustitiam pharisaicam describit Christus, Matth. 23. 27. Quia exteriùs tantùm, propter imputationem iustitiæ Christi, viderentur iusti; in corde autem grauissima peccata retinerent, quæ omni spurcitia longè magis coram Deo fœtent. Atqui iustitia Christianorum non potest esse talis, quia Christus, Matth. 5. 20. dicit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: Ergò, &c.

QVAESTIO V.

De calumnijs quibus hic articulus Confess. Catholicos denigrare conatur.

NOta, Confessionem August. passim per iniuriam quorundam nobis Scholasticorum opiniones, tanquam totius Ecclesiæ sententias, obijcere: quasi omnes Catholici in cuiuscunque Scholastici verba iurassemus; cùm tamen Confessionistæ ignorare non possint, plerosque Scholasticos habere quasdam sententias, quas vel non amplectimur omnes, vel etiam ipsi non aliter proponunt, quàm vt probabiles & fallibiles opiniones, in iis plerumque quæstionibus assertas, quas citra fidei læsionem in vtramque partem disputare licet. Sed hoc intolerabile est, quòd ipsas eorum quos allegant sen-

tentias sinistrè, & contra eorummet mentem, qui eas docuerunt, interpretantur: &, tanquam nobis de manifesto errore conuictis, vanissimè triumphant. Cuius rei in primo statim Articulo inter nos & ipsos controuerso specimen hîc datur.

Dicitur enim primò in Apolog. Scholasticos extenuare peccatum originis, dum fomitem concupiscentiæ prauam corporis qualitatem esse dicunt. Cùm Scholastici maiorem peccati originalis grauitatem agnoscant, quàm Confessionistæ, quando dicunt, peccatum illud, quamdiu hominibus inest, constituere ipsos mortis æternæ reos: Confessionistæ enim volunt, peccatum illud in omnibus renatis manere, & tamen iis nihil quidquam nocere.

II. Grauissima calumnia est, quando Apolog. dicit: *Scholasticos tribuere humanæ naturæ integras vires ad diligendum Deum super omnia, ad facienda præcepta Dei quoad substantiam actuũ, nec videre se pugnantia dicere: nam proprijs viribus posse diligere Deum super omnia, facere præcepta Dei, quid aliud est,* inquit, *quàm habere iustitiam originis? &c. Quorsum autem opus est gratia Christi, si nos possumus fieri iusti propriá iustitiá? Quorsum opus erit Spiritu Sancto, si vires humanæ per se possunt Deum super omnia diligere, & præcepta Dei facere? Quis non videt quàm præposterè sentiant aduersarij?* Nam inprimis citra calumniam Catholicis, sine discrimine, absurda hæc dogmata adscribi non possent, tametsi vnus aut alter Scholasticus ita docuisset; cùm Philippus hæc scribens probè calluerit, communem esse in Catholica Ecclesia fidem, quam posteà Concil. Trid. sess. 6. can. 3. tradidit, his verbis: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Deinde nullum vnquam Scholasticorum ostendent, qui aliquando ista docuerit, quæ hîc in communi Scholasticis tribuuntur: cùm potiùs constans sit inter ipsos hæc sententia: Tametsi homo solis naturæ viribus totam Dei legem impleret, adhuc eum per sua opera coram Deo non fore iustum, eâ iusti-

iustitia, qua ius ad hæreditatem æternam consequatur. Quia *cùm fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis,* iubemur dicere: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus,* Luc. 17. 10. Neque enim qui, quod facere debet, fecit, hoc ipso iustificatur, id est, ius ad gloriam æternam sibi indebitam acquirit.

Disputant autem Scholastici, quantum homo post lapsum solis naturæ viribus facere possit: Gregor. Arim. adeò vires hominis extenuat, vt dicat per eas naturaliter, sine speciali Dei auxilio, ne quidem cognosci posse, quid moraliter bonum sit, quid malum: & multo minùs fieri. Sanctus autem Thomas docet: Hominem cum generali Dei auxilio, sine specialis gratiæ infusione, per lumen rationis cognoscere posse actus diuina lege præceptos; & etiam facere, non quidem ita, vt totam legem constanter impleat; sed vt, quoad substantiam, eiusdem naturæ actus eliciat, cum iis, quos per Dei gratiam alius elicit: Sed neque S. Thomas, neque alius quisquam Sholasticorum docet, hominem tales actus eliciendo vel iustificari, vel mereri iustificationem. Neque sententia S. Thomæ quidquam alienum dicit vel à doctrina S. Pauli, qui Rom. 2. 14. ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*: vel ab ipsa Confessione August. quæ Art. 18. docet, Hominem per liberum arbitrium, sine speciali gratia Spiritus Sancti, posse exercere ciuilem iustitiam, quæ Rom. 13. vocatur bona. Quomodo autem cum hac doctrina conueniat, quod Philippus in Locis communibus docet, *tam fructus carnis fuisse virtutes Pauli, quas exercuit antequam Christum cognosceret, quàm adulteria Clodij,* ipse viderit.

Sed ne longior sim in defendendis ab hac calumnia Scholasticis, ipsa illos Apologia, se falsitatis accusans, defendit, quando paulò post supra positam accusationem ita loquitur: *Carentia iustitiæ detrahit non solùm obedientiam inferiorum virium hominis; sed etiam detrahit notitiam Dei, fiduciam erga Deum, timorem & amorem Dei; aut certè vim ista efficiendi detrahit. Nam & ipsi Theologi in Scholis tradunt, ista non effici sine certis donis & auxilio gratiæ.*

Ex

Ex his iudicet æquus Lector, an non iure in Confessionem August. retorqueri possit, quod Apologia initio huius articuli dicit: *Hic in ipso statim vestibulo deprehendet Cæs. Maiestas, non solùm iudicium, sed etiam candorem istis defuisse, qui confutationem scripserunt.*

De hac autem calumnia, quam ad nauseam multoties repetit Confessio & Apologia, infra, Art. 6. de Iustificatione, plura erit dicendi locus.

ARTICVLVS III.

DE INCARNATIONE VERBI.

AD hunc articulum ita respondent Catholici Principes: *In III. Art. nihil est quod offendat, cùm tota Confessio cum symbolo Apostolorum, & cum certa fidei regula conueniat: Filium Dei scilicet esse incarnatum, humanam naturam assumpsisse in vnitate personæ, natum ex Maria Virgine, verè passum, crucifixum, mortuum, descendisse ad inferos, resurrexisse tertia die, & sedere ad dexteram Patris.*

Neque ego quidquam hîc adderem, si Lutherani, recipiendo doctrinam de Vbiquitate humanitatis Christi, nihil in hoc articulo mutassent.

Status controuersiæ de Vbiquitate humanitatis Christi.

QVantum fuerit inter Lutheranos de Vbiquitate bellum; non est operæ pretium commemorare, cùm passim apud auctores videri possit, in quam varias sectas circa hunc vnũ, vt vocant, capitalem Articulum dissecti fuerint. Nos contra modernos tantùm acturi, qui communiter, quantum ex scriptis illorum colligitur, librum Concordiæ, à multis Lutheranis

Digitized by Google

nis damnatum, recipiunt; ex libro isto, & additis Apologiis breuiter proponemus & refutabimus, quod in hac materia docent aduersarij.

Dicunt ergo auctores libri Concordiæ, per mysterium Incarnationis non hoc tantùm factum esse, vt Deus dicatur homo, & homo Deus; vtq; omnes proprietates cuiuscumq; naturæ de Christo, siue Deo, siue homine in concreto affirmentur, v. g. vt Christus Deus dicatur natus, passus, mortuus, sepultus, &c. Et Christus homo vocetur omnipotens, omnipræsens, Creator cœli & terræ, &c. Sed vt etiam in abstracto de humanitate omnipotentia Dei, & immensitas prædicari possit, id est, vt ipsa humanitas sit, & dicatur omnipotens, omnipræsens, &c. Non tamen vicissim diuinitas dici possit finita, loco circumscripta, &c. Quòd diuinitas immutabilis sit, & deprimi nequeat; humanitas autem mutabilis, & exaltabilis ad gloriam Dei, per vnionem hypostaticam cum Verbo, & sessionem ad dexteram Patris.

Deinde asserunt, hanc gloriam humanitati datam esse in primo conceptionis instanti, ipsam tamen in statu exinanitionis non illâ semper, sed pro libitu suo aliquando esse vsam, v. g. cùm miracula patrauit.

Addunt prætereà, humanitatem Christi non esse per totum mundum corporaliter extensam; sed hunc modum esse spiritualem, & ineffabilem. Item communicationem hanc attributorum infinitorum non facere humanitatem infinitam, nec diuinitati æqualem: eò quòd non fiat per transfusionem realem & physicam, vt subiectiuè, habitualiter, & formaliter humanitati insint attributa diuina; sed tantùm personaliter. Nam, inquiunt, anima corpori suas qualitates tribuit, quando illi vnita est; & tamen non sequitur vel corpus esse animam, vel æquale animæ: & ferrum ignitum accipit proprietates ignis, & tamen manet ferrũ instructum proprijs suis qualitatibus. Ergo etiã humanitas Christi, per inseparabilem cum Verbo vnionem, attributa diuinitatis accipere potest, & tamen diuinitati non esse æqualis, sed manere vera humanitas.

H Porrò

Porrò non hîc quærimus, an Christi Corpus per diuinam potentiam non tantùm in pluribus, sed etiam in omnibus totius mundi locis esse possit; quod sæpissimè vrgent Apologiæ libri Concordiæ: quia non negamus, Deum humanitati Christi præsentiam in omnibus locis conferre posse; finitam tamen, quòd natura humana, cùm finita sit, non sit capax proprietatis simpliciter infinitæ, & diuinæ, vt posteà dicemus. Sed in eo versatur controuersia: vtrùm humanitati Christi per vnionem hypostaticam, & exaltationem ad dexteram Patris, de facto collata sit Vbiquitas: & illa non creata, sed increata: sicut & omnipotentia, ac similia attributa infinita Dei. Circa quam ponemus quatuor Quæstiones: I. Vtrùm Confessionistæ, asserendo Vbiquitatem, conueniant cum Art. 3. Confessionis August. II. Vtrùm ex doctrina vbiquitaria sequatur, humanitatem Christi in diuinitatem esse conuersam, & contrà. III. Vtrùm confessionistæ ex scriptura sacra habeant firma pro Vbiquitate fundamenta. IV. Vtrùm Vbiquitarijs consentiant Patres orthodoxi.

QVAESTIO I.

Vtrùm doctrina Confeßionistarum de Vbiquitate conueniat cum articulo tertio Confeßionis August.

AFfirmat Apologia libri Concordiæ contra Prædicantes Bremenses: quia, inquit, Articulus tertius confess. August. non est contra Articulum decimum; atqui in decimo affirmatur præsentia realis corporis & sanguinis Christi in Cœna, quæ non fit per transubstantiationé, vt Papistæ volunt; Ergo per omnipræsentiam carnis Christi, quam ex vnione cum Verbo consequitur. Cùm enim Corpus Christi sit realiter in Cœna præsens; si non esset vbique, tot deberent constitui Christi corpora, quot loca in quibus Cœna celebratur.

Sed hæc argumentatio Scripturæ, & aduersariorum confessioni repugnat. Constat enim ex scriptura, Christum ante passionem

passionem suam instituisse Sacramentum Eucharistiæ: Ergo Corpus & Sanguis Christi verè & realiter erant in hoc Sacramento: & tamen non erant vbique, quia, vt liber Concordiæ, & moderni Lutherani docent, Christus secundùm humanitatem post exaltationem primùm de facto cœpit esse vbique. Ergo nulla est ista consequentia: Corpus Christi est in omnibus locis, vbi Cœna celebratur; ergo est vbique: aut, ergo tot sunt corpora Christi, quot loca, in quibus Cœna celebratur. Nam S. Chrysost. ab Apolog. lib. Concord. citatus, homilia 17. in Epist. ad Heb. hanc obiectionem ponit: *Quoniam in multis locis hoc sacrificium offertur, multi Christi sunt?* Et respondet: *Nequaquam, sed vnus vbique est Christus; & hic plenus existens, & illic plenus: vnum corpus, & non multa corpora.* Quare ex Art. X. Confess. non rectè concluditur, corpus Christi esse vbique, præsertim cum in germanico insinuetur, realem corporis Christi præsentiam in Cœna fieri per transsubstantiationem. Per totam autem Confessionem, latinam & germanicam, nihil quidquam dicitur, ex quo Vbiquitas humanitatis Christi colligi possit.

CONCLVSIO I. Liber Concordiæ, & eius Apologiæ, Art. III Confessionis August. manifestè repugnant: Probatur, quia, qui negat Christum verè conceptum in vtero Virginis, verè natum, passum, mortuum, sepultum, &c. repugnat Articulo III. Confess. August. vt constat: Liber Concordiæ & eius Apologiæ, asserendo Vbiquitatem, omnia ista negant: Ergò, &c. Probatur minor, quia qui reipsâ asserit, Christi humanitatem à primo conceptionis suæ momento semper fuisse vbique, etiamsi verbotenus contra protestetur, omnia ista mysteria, in articulo tertio posita, negat: Liber Concordiæ reipsâ asserit, Christi humanitatem à primo conceptionis momento semper fuisse vbique: Ergo omnia mysteria in Art. III. posita negat. Probatur maior ex Apologia supra cit. quæ concedit, quòd Christi humanitas, si à prima conceptione sua semper fuisset vbique, non magis fuisset concepta in vtero Virginis, quàm in vtero Herodiadis: neque ex Virgine

fuiſſet verè nata; quia, antequam naſceretur, fuiſſet extra vterum, & poſt natiuitatem manſiſſet in vtero: & ſimilia concedit de paſſione, morte, ſepultura, deſcenſu ad inferos, aſcenſione ad cœlos, &c. Atque ideò docet, Chriſtum, antequam crucifigeretur, non vbique, ſed vno tantùm in loco, corpori ſuo commenſurato, extitiſſe.

Probatur autem Minor ſupra poſita, huic doctrinæ è diametro contraria: Qui ad probationem Vbiquitatis ea argumenta adducit, quæ aut nihil probant, aut probant Chriſti humanitatem ſemper fuiſſe vbique, ille reipſa aſſerit, humanitatem Chriſti à primo conceptionis momento fuiſſe vbique; quia id aſſerit, quod argumenta quæ proponit aſſerunt: ſed plurima libri Concordiæ argumenta aut nihil probant, aut Chriſti humanitatem ſemper vbique fuiſſe probant, id quod inductione quorundam argumentorum oſtendo:

I. Liber Concordiæ, tit. de Perſona Chriſti, ex magna Confeſſione Lutheri de Cœna, tale argumentum proponit: *Chriſtus Deus homo eſt vna indiuiſibilis perſona: Ergo vbicunque naturaliter & perſonaliter Deus eſt, ibi eſt etiam homo. Si enim locum oſtenderes, in quo Deus eßet, & non homo; diuiſa eſſet perſona Chriſti: verè enim dicere poſſem, hic eſt Deus, qui nec homo eſt, nec vnquam homo factus.* Atqui Chriſtus à prima ſui conceptione fuit vna perſona indiuiſibilis: Ergo ſi hæc ratio aliquid probat; Chriſtum ſecundùm humanitatem ſemper vbique fuiſſe probat.

II. In eundem ſenſum dicunt defenſores lib. Concord. in Apolog. contra Bremenſes: *Quicumque negat totum Chriſtum in ſua indiuiſa perſona, & conſequenter ſecundùm humanam naturam, maximè poſt exaltationem ad dexteram Dei, implere omnia, aut omnibus creaturis præſentem eſſe; is Chriſti perſonam diſtrahit.* Ergo qui Chriſtum ante paſſionem vbique fuiſſe negat, ſimiliter diſtrahit perſonam Chriſti: quia æquè tunc erat vna perſona indiuiſa, atque poſteà.

III. Paulò poſt tale ponitur argumentum: *Æterna Filij Dei diuinitas & aſſumpta humanitas inſolubili vinculo vnitæ*

ſunt:

ſunt: Ergo neceſſariò ſequitur, ibi eſſe humanitatem, vbicunque diuinitas eſt, hoc eſt, vbique. Sic enim ſubſumo: Sed ante exaltationem diuinitas humanitati indiſſolubili vinculo vnita erat: Ergò vbicunque erat diuinitas, ibi & humanitas, hoc eſt, vbique.

Similiter in altera Apologia contra negantes Vbiquitatem defenditur hæc propoſitio: *Naturæ diſſoluuntur, ſi poſt factam vnionem vna dicatur in cælo eſſe & in terra, altera tantùm in cælo*: Ergo non minùs ante exaltationem diſſolutæ fuerunt, ſi vna tantùm fuit in terra; altera in cœlo ſimul & terra. Et conſequenter ſi hæc propoſitio vera eſt, vtraque ſemper debuit eſſe vbique.

CONCLVSIO II. Quamuis Confeſſioniſtæ nihil aliud docerent, quàm Christi humanitatẽ poſt exaltationem ſuam cœpiſſe omnibus locis eſſe præſentem, adhuc tamen Art. III. Confeſſionis ſuæ repugnarent: Probatur, quia in fine huius art. dicitur: *Idem Chriſtus palàm eſt rediturus, vt iudicet viuos & mortuos, &c. iuxta ſymbolum Apoſtolorum.* Et Apolog. lib. Concord. contra Bremenſes dicit, Chriſtum verè ad cœlos aſcendiſſe, & rediturum ad iudicium, verè ſcilicet & realiter, ſicut ad cœlos aſcendit, iuxta illud Act. 1. 11. *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Sed ſi Chriſti humanitas poſt aſcenſionem in cœlum cœpit eſſe vbique, & ſemper deinceps fuit & erit vbique; verè & propriè ad extremum iudicium non veniet: ſicut enim propriè non aſcendiſſet in cœlum, ſi ibi ante fuiſſet; ſic ad homines propriè non deſcendet, ſi cum illis ante futura eſt.

Confirmatur I. Quia in Apolog. ſæpiùs cit. dicitur: Stare, ambulare, loco contineri, & conſequenter loco moueri, eſſe proprietates corporis naturalis: Chriſti autem corpus iam ſpirituale eſſe. Si enim ideò more aliorum corporũ de loco in locum moueri non poteſt, quia ſpirituale eſt; multo minùs mouebitur, ſi vbique eſt.

Confirmatur II. Quia ſi in die iudicij ita tantùm de-

scensurus est Christus, vt se palàm hominibus ostendat, quibuscum ante fuerit; similis erit descensus humanitatis Christi ad iudicium, descensui Spiritus sancti in specie columbæ: Atqui descensus ille non fuit realis & proprius, sed tantùm apparens: Ergo nec Christi descensus ad iudicium realis erit.

QVAESTIO II.

Vtrùm Doctrina de Vbiquitate repugnet doctrinæ de vera Diuinitate & Humanitate CHRISTI?

ARticulo III. Confessionis Augustanæ contra Eutychetis hęresin rectè docetur, duas esse naturas in Christo, diuinam & humanam, in vnitate personæ inseparabiliter coniunctas, ita vt per hanc coniunctionem constituatur vnus Christus, verè Deus, & verè homo. Videndum ergo est, vtrùm doctrina de vbiquitate Catholico huic dogmati consentanea sit.

Nota. Eutychetem, ne Nestorio, duas in Christo persona, asserenti, consentiret, asseruisse, vnicam fuisse in Christo naturam, per conuersionem diuinitatis in carnem: iuxta illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est*: & ideò diuinitatem Christi verè natam, passam, mortuam esse dicebat: existimans Nestorium, qui Deum pro nobis natum, passum, mortuum negabat, aliter refutari non posse.

Confessionistæ in lib. Concord. & annexis Apologiis, ne Eutycheti consentire videantur, triplicis generis enunciationes in Christo ponunt. I. Cùm proprietates cuiusque naturæ de tota Christi persona prædicantur: vt cùm Christus dicitur passus, & mortuus pro nobis. II. Cùm Christi Mediatoris & Redemptoris nostri officia de persona Verbi in concreto efferuntur, vt cùm Dominus gloriæ dicitur crucifixus. III. Cum attributa diuina, ineffabili modo humanitati communicata, de eadem in abstracto prædicantur: vt cùm ipsa humanitas vocatur omnipotens, immensa, &c. Non quod humanitas

Digitized by Google

manitas in diuinitatem conuersa sit, aut attributa diuina in illam physicè transfusa; sed quòd per vim personalis vnionis eam afficiant, sicut, inquiunt, ferrum ignitum accipit proprietates ignis, & tamen manet ferrum, & proprietates ferri retinet: & sicut anima corpori suas qualitates communicat, & tamen à corpore distincta manet, vt & corpus ab anima. Quas similitudines sæpissimè inculcant.

CONCLVSIO I. Quidquid contra clamēt Confessionistæ, ex doctrina Vbiquitatis sequitur, humanitatem Christi in diuinitatem esse conuersam. Probatur: quia qui ipsi humanitati proprietates diuinas tribuit, ille ex humanitate diuinitatem facit: Confessionistæ humanitati diuinas proprietates tribuunt: Ergo ex humanitate diuinitatem faciunt.

Probatur maior: quia proprietatibus diuinis naturæ humanæ ita communicatis, vt de illa in abstracto prædicentur, non potest aliud dici, quàm diuinitatem similiter esse communicatam; vt si humanitas dicitur & est omnipotens, immensa, &c. Sequitur Christum secundùm eandem dicendum esse Deum: de quo enim attributa diuina prædicantur, de eo ipsa diuinitas, quæ ab attributis non distinguitur, prædicari debet: sed aduersarij dicunt, humanitati ita communicatam esse infinitam Dei potentiam, immensitatem, & alia attributa diuina, vt ipsa per illa sit omnipotens, immensa, &c. Ergo similiter Christus secundùm humanitatem Deus erit.

Probatur autem minor, quia in Apologia contra Bremenses dicitur: *Nestorianismus est, Christi humanitati creatas tantùm qualitates esse communicatas, & non diuinam potentiam, & omnipotentiam.* Item posito titulo de diuina omnipotentia Christi, subiungitur: *Non hic disputatur, vtrùm Christus sit omnipotens; sed vtrùm secundùm humanam naturam, propter Vnionem personalem, omnipotentiam diuinam acceperit.* Et paulò post tale ponitur argumentum: *Cùm incapacitas naturæ humanæ impedire non potuerit, quò minùs eam Deus in vnitatem personæ suæ assumeret, neque ideò humanam naturam in diuinam mutare debuerit; pari modo non sequitur, humanam naturam in diuinam esse commutatam,*

commutatam, quamuis diuina illi Maiestas, & potestas communicata sit.

Sed respondeo: Vnionem personalem non ita afficere humanitatem, vt de ipsa prædicari possint attributa diuina; sed tantùm vt in vnitate diuinæ personæ subsistat, & finitas suas qualitates in se retineat. Hinc enim factum est, vt homo verè sit, & dicatur Deus; non tamen, vt humanitas ita appellari possit. Ergo quamuis etiam ad omnipotentiam, immensitatem, & alia Filij Dei attributa personaliter vnita sit humanitas; ipsa tamen omnipotens, vel immensa dicenda non est; sed de Christo homine hæc, & alia Dei attributa rectè prædicantur. Ergo propositionis huius: *Humanitati Christi omnipotentia diuina, & immensitas collata est*, duplex sensus esse potest: I. Hæc attributa ita collata sunt humanitati, vt ipsa in se sit omnipotens, & immensa; & hic falsus est. II. Ita collata sunt attributa Dei humanitati, vt ipsa cum illis in vnitate personæ diuinæ subsistat; & hic sensus verus est. Non autem significat, humanitatem per attributa Dei ita affici, vt de illa in abstracto prædicari possint (sicut nec diuinitas ab attributis humanitatis ita afficitur) sed tantùm diuinitatem & humanitatem, per vnionem hypostaticam, vnam & indiuisam personam ineffabili modo constituere.

Obijcies: Doctrina Confessionistarum non est, omnipotentiam vel omnipræsentiam Dei in humanitatem ita esse transfusam, vt eam physicè & formaliter, instar subiecti, afficiat; sed vt humanitati in tempore personaliter communicata sit: & vt ipsa verè sit, & dicatur omnipotens & omnipræsens; essentiales nihilominùs qualitates suas in se retinens. Id quod duæ similitudines supra positæ, & ab orthodoxa antiquitate passim vsurpatæ, declarant: Nam sicut ferrum non mutatur in ignem, quamuis illi ignis, per suam cum eo vnionem, qualitates lucendi & vrendi verè communicet; & sicut anima rationalis corpori suas qualitates verè & realiter tribuit, corpus tamen non mutatur in animam, aut vnius fit essentiæ cum anima; ita quamuis diuina Filij Dei natura assumptæ humani-

manitati per vnionem perſonalem & exaltationem verè & realiter attributa ſua concedat; ipſa tamen humanitas in diuinitatem non conuertitur, aut diuinitati exæquatur.

Reſpondeo I. Si Confeſſioniſtæ nihil aliud dicerent, quàm attributa Dei humanitati perſonaliter communicata eſſe; nihil noui, aut contra nos dicerent, vt ſupra oſtenſum eſt: Cùm autem dicant, humanitatem ab attributis Dei ita affici, vt ipſa in abſtracto verè ſit & appelletur omnipotens, omnipræſens, &c. neceſſariò dicere debent, eam ab attributis diuinis non perſonaliter tantùm, ſed formaliter etiam affici. Vnio enim perſonalis non facit, vt de altero vnitorum alterius attributa eſſentialia prædicari poſſint: quia quamuis ferrum & ignis in vna ſubſiſtentia coniuncta eſſent; tamen nec eſſentialia attributa ferri de igne, nec ignis de ferro dicerentur. Eodem modo attributa eſſentialia animæ de corpore, & corporis de anima non dicuntur; quamuis hæc duo vnam hominis perſonam conſtituant: nam nec anima corporea, vel mortalis, nec corpus immortale, aut ſpirituale dici poteſt; quamuis anima cum corpore mortali, & corpus cum anima immortali arctiſſimo vinculo cõiungantur. Pari ergo ratione de humanitate omnipotẽtia, omnipræsẽtia, & alia Dei attributa eſsẽtialia prædicari non poſſunt; quamuis ipſa cum omnipotente & omnipræſente Deo vnam & indiuiſam perſonam conſtituat.

Reſpondeo II. Qualitates, quas ferrum ab igne, & corpus ab anima accipit, formaliter afficere ferrũ & corpus, tanquã ſubiecta: nam ſi formaliter ea nõ afficerent, non redderent ea verè talia qualia ſunt, neq; de illis prædicarentur. v. g. Ferrũ non eſſet, neq; dici poſſet lucidũ, niſi fulgorẽ ab igne in ſe recepiſſet: neq; corpus vivum, niſi vitã illi anima formaliter cõtuliſſet: aliæ enim qualitates animæ, quas corpori non contulit, de corpore prædicari non poſſunt, quamuis ſint in anima, cui corpus vnitũ eſt. Cùm ergo Confeſſioniſtæ dicant, attributa diuina humanitati phyſicè, formaliter, vel habitualiter non eſſe collata; ſed perſonaliter tantùm; ſequitur humanitatẽ in abſtracto ab attributis illis denominari nõ poſſe.

Respondeo III. Similitudinem ferri candentis nihil ad hoc propositum facere: quia contra omnem rationem est, dicere, substantias ferri & ignis se inuicem penetrare, ita vt ferrum luceat, & vrat, non per qualitates sibi inhærentes, sed in igne existentes. Et tametsi se ferrum & ignis inuicem penetrarent; adhuc non posset dici vrere ferrum, sed ignis, nisi ferrum qualitatem vrendi in se haberet. Quia dici non posset, ferrum est ignis, & ignis est ferrum, sicut in hoc mysterio, de quo agimus, dicitur, Deus est homo, & homo Deus: Ergo quod ignis per suam qualitatem faceret, non posset dici ferrum facere, quod maneret omnino ab igne diuersum, & vim faciendi in se non haberet. Præterea ferrum candens qualitates suas connaturales, qualitatibus quas ab igne accepit cõtrarias, non habet amplius: Ergo similiter Christi humanitas nõ potest suscipere infinita attributa Dei, ita vt per illa sit omnipotẽs, omnipræsens, &c. nisi attributa sua finita relinquat.

Respondeo IV. Similitudinem animæ & corporis non tantùm contra Vbiquitarios pugnare, ob dictam rationẽ, quia qualitates propriæ animæ non possunt dici de corpore, neque corporis de anima; sed etiam quia commentum Vbiquitatis, pro quo explicando adducitur, manifestè confutat: sicut enim anima realiter est vnita corpori, & tamen ibi non est totum corpus, vbicumque tota anima est: nec vbique est membrum corporis, vbi anima, quamuis cum tota anima coniunctum sit: v. g. tota anima est in capite, vbi totum corpus non est; & tota est in pede, vbi caput non est: proindeque latiùs patet præsentia animæ, quàm præsentia capitis: neque tamen dici potest: Anima est separata à capite, quia est in pede, vbi caput non est. Ita quamuis præsentia diuinitatis latiùs se extendat, quàm præsentia humanitatis; concludere tamen non licet, diuinitatem ab humanitate separatam esse, quia alicubi diuinitas est, vbi humanitas non est.

Respondeo V. Sanctos Patres his similitudinibus non esse vsos, aut vti potuisse, eo fine, quo Vbiquitarij illas adducunt: sed ferri candentis similitudine vsi sunt, quia sicut ferrum per con-

Digitized by Google

consortium ignis non destruitur, sed perficitur; ita humanitas, per vnionem hypostaticam cum Filio Dei, in proprietatibus suis essentialibus destructa non est, sed innumeris donis supernaturalibus ineffabiliter perfecta, & super omnes creaturas exaltata. Similitudine autem animæ & corporis vsi sunt, vt contra Nestorianos ostenderent, Deum & hominem vnam esse personam Christi, sicut corpus & anima vna est persona hominis, vt constat ex symbolo S. Athanasij.

CONCLVSIO II. Si propter vnionem hypostaticam humanitati collata sunt attributa diuinitatis, propter eandem diuinitati collatæ sunt proprietates humanitatis. Quia communicatio idiomatum mutua & reciproca est: Ergo si per vnionem hypostaticam humanitati communicata est omnipotentia, immensitas &c. Diuinitati per eandem collatæ erunt qualitates finitæ humanitatis. Neque tamen hinc ex sententia Vbiquitariorum sequetur, diuinitatem non ampliùs fore diuinitatem: sicut enim humanitas non desinit esse humanitas, quamuis per vnionem hypostaticam fiat omnipotés, & immensa; ita diuinitas manebit diuinitas, quamuis fiat finita, corporea, mortalis, &c. Quia hæc omnia non habebit physicè, formaliter, & habitualiter; sed tantùm personaliter, prout de humanitate ipsos philosophari supra ostēdimus.

Et confirmatur, ex sententia Confessionistarum diuinitati proprietates humanitatis esse collatas: quia in Apologijs sæpè citatis docetur: Christum secundùm vtramque naturam esse Mediatorem, & Pontificem nostrum, & opus redemptionis nostræ executum. Sed esse Mediatorem & Pontificem est proprium Christo secundùm humanitatem, quæ inter Deum & homines media est, & seipsam in hostiam pro peccatis nostris obtulit. Item executio redemptionis nostræ facta est per passionem, & mortem Christi: Ergò si hæc omnia Christo secundùm vtramque naturam conueniunt, diuinitati communicatæ sunt proprietates & officia humanitatis, vt ipsa fuerit media inter Deum & homines, ipsa Deo tanquam superiori sacrificauerit, ipsi conuenerit passio, mors, &c.

Dices I. Quando docemus, Christum secundùm vtramque naturam executum esse opus redemptionis nostræ, non volumus, vnam naturam alterius proprietates accepisse; sed nudam humanitatem ita pro nobis passam non esse, quin simul concurrerit diuinitas: quamuis hæc in se passa non sit, sed in, cum, & per humanitatem.

II. Quamuis nuda humanitas nos non redemerit, sed homo Deus; ipsa tamen diuinitas non potest dici passa, vel mortua pro nobis; quia impassibilis, immortalis, & immutabilis est. Natura autem humana mutabilis exaltari in dignitate, & deprimi potest. Quare non repugnat ipsam dici omnipotentem, immensam. &c. Quia per vnionem hypostaticam, & exaltationem suam ad gloriam dexteræ Dei eleuata est.

Respondeo I. rectè dicere S. Paulum de hominibus in errore suo pertinacibus, 1. Timoth. 1. *Conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Concedimus enim, nudam humanitatem pro nobis passam non esse, id est, puram creaturam; sed humanitatem, quæ in hypostasi diuina ita subsistebat, vt illa patiente, ipse Deus verè pati diceretur. Diuinitas tamen secundùm se ad passionem, qua passio fuit, concurrere non potuit: quia omnino impassibilis est. Et ideò dum diuinitatem in, cum, & per humanitatem passam esse affirmant, vel ipsam mediante humanitate passam intelligunt, & hoc impossibile est; vel solam humanitaté sustinuisse passionem, diuinitatem tamen, ob personæ vnitatem, in concreto ab ea denominari (quia vt S. Damasc. Lib. 3. de fide orthod. c. 3 ait: *Verbum, ea quæ humanitati conueniunt, sibi vendicat: ipsius enim sunt, cùm sanctæ ipsius carnis sunt*) Et hoc ipsum est, quod docemus. Sicut autem de diuinitate affirmari non possunt qualitates & passiones naturæ humanæ, quia eas in se non recepit; ita attributa diuina de humanitate prædicari nequeunt, quia physicè, & formaliter humanitati communicata non sunt: Vt ex ore Confessionistarum supra diximus.

Respon-

Digitized by Google

Respondeo II. Diuinitatē quidem omnino immutabilem esse, humanitatem mutabilem; & proinde hanc exaltari posse, non illam deprimi: sed sicut diuinitas ideò deprimi non potest, quia impossibile est, vt Deus non sit Deus; ita humanitas eò exaltari non potest, quin maneat in se, & omnibus qualitatibus suis creatura. Et ideò sicut humanitas non potest esse diuinitas; ita non potest esse omnipotens, omnipræsens, per omnipotentiam, & omnipræsentiam diuinam: quia attributa illa de nullo dici possunt, de quo non potest dici ipsa diuinitas.

QVAESTIO III.

Vtrùm Confessionistæ habeant firma Scripturæ fundamenta pro Vbiquitate?

Confessionistæ locis sæpè citatis dicunt, in hoc mysterio captiuandum esse intellectum nostrum, & quia Scriptura manifestè asserit, Christum post exaltationē suā esse vbiq;, hoc simpliciter, sine vlteriore scrutatione, credi debere. Sed quia Spiritus S. Eccl. 19.4. ait: *Qui credit citò, leuis est corde*; indignè ferre non poterunt, si dogmati tam incredibili fidē non dederimus, donec manifestis Scripturæ testimoniis cogamur ad captiuandū intellectum nostrum in Vbiquitatis fidē. Asserentis enim est rem tam inauditam firmiter probare, vt certam fidem mereatur. Videamus ergo, an Scriptura sacra de præsentia humanitatis Christi dicat, quod dicunt Confessionistæ.

CONCLVSIO. Nullum est Scripturæ testimonium, asserens Christum secundùm humanitatem per diuinam omnipræsentiam esse vbique, vel omnipotentiam Dei, cum aliis attributis diuinis, eo sensu quo Confessionistæ volunt, consecutum: Probatur I. De illis testimoniis quæ specialiter pro Vbiquitate adferuntur: Christus Ecclesiæ se suæ perpetuò adfuturum esse promittit. Matt. 18.20. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt.

 28.20.

28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi, &c.* Sed si hæc loca de præsentia reali intelligantur; qua ratione probabunt, Christum de præsentia humanitatis esse locutum? Cùm Ioan. 3. 13. diceret: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis, qui est in Cælo*: dicere non voluit, se tunc secundùm humanitatem in cœlo fuisse præsentem; quia, vt Confessionistæ admittunt, humanitas tunc tantùm erat in terra: quid ergo obstat, quò minùs loca, perpetuam Christi præsentiam promittentia, de præsentia diuinitatis eius intelligamus? Certè vt S. Augustinus, Tract. 28. in Ioan. iure reprehendit Arrianos, quòd dicta de Christo homine, de Christo Deo intelligerent; ita reprehendi possunt Confessionistæ, quòd loca, de attributis Dei loquentia, de Christi humanitate interpretentur. Præsertim cùm Matt. 18. de præsentia sua etiam ante passionem loquatur Christus: quia enim tunc humanitas eius non erat vbique, manifestum est, de præsentia diuinitatis loqui, si præsentiam entitatiuam intelligere velimus. Deinde quamuis concederemus, loca supra posita de Christo, etiam vt homine, intelligenda; quomodo probarent de præsentia humanitatis Christi entitatiua ibi sermonem esse, & non potiùs de præsentia per gratiam, quam in membra sua instillat? Nihil profectò clarius est, quàm Christum de speciali præsentia loqui, qua adest congregatis in nomine ipsius, non aliis: Ergò tametsi secundùm humanitatem entitatiuè foret vbique, hoc tamen ex illis locis probari non posset: quia per hanc præsentiam nō magis adesset congregatis in nomine ipsius, quàm in nomine dæmoniorum. Vt autem gratiam suam diffundat, aut spiritualiter operetur, non requiritur realis præsentia humanitatis: quia Centurionis seruum, Matt. 8. & Reguli filium, Ioan. 4. absens sanitati restituit.

Prætereà quomodo ostendent loca quæ Christum omnia implere dicunt, vt Ephes. 1. & 4. de impletione entitatiua humanitatis, & non potiùs de impletione gratiæ intelligenda, de qua loquitur Baptista Ioan. 1. 16. *De plenitudine eius nos omnes*

mnes accepimus, & gratiam pro gratia? Nam illud Ephes. 4. 10. *Ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia*, de impletione entitatiua intelligi non potest: tum quia ascendere non debebat, vt ita impleret omnia, sed in terra manere, & per omnia se diffundere: tum quia ex ipso textu colligitur, Paulum de impletione gratiæ Euangelicæ, & donorum spiritus S. loqui: statim enim subiungit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas &c. Ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Et paulò ante dicit: *Vnicuiq; nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi: propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Cui consonat quod Christus ante passionem suam dixit, Ioan. 16. 7. *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Prætereà ex ijs locis in quibus Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, vt psalmo 109. 1. Matt. 26. 64. Act. 2. 34. Ephes. 1. 20. &c. non efficaciter hunc in modum argumentantur: Christus secundùm humanitatem eleuatus est ad omnipræsentem dexteram Dei: Ergo secundùm eandem est omnipræsens. Quia tametsi concedamus, per dexteram Dei intelligi gloriam, potentiam, & maiestatem diuinam: & sedere ad dexteram Patris idem esse, quòd pari potentia cum Patre omnia regere, & iudicare (quia Christus, ad probandam suam cum Patre æqualitatem, hoc loco Dauidis vsus est, Matt. 22. 44. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis.* & Paulus Heb. 1. 3. *Purgationem*, inquit, *peccatorum faciens sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim aliquando dixit Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et v. 10. *Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Et v. 13 *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum*

dum tuorum?) Cùm tamen liber Concordiæ neget, humanitatem Christi ad æqualitatem cum diuinitate esse exaltatam, non potest ea dici ita esse ad dexteram Dei, vt per omnipotentem Dei dexteram in se verè sit omnipotens, aut per immensitatem omnipræsens, & consequenter, vt Christus secundùm humanitatem sit Deus: sed vt Christi humanitas ita Dei sit, vt in concreto dici possit: Hic homo est Deus æqualis Deo Patri. Et quamuis hæc gloria ab initio Conceptionis Christo collata fuerit, iuxta illud Ioan. 1. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Post eius tamen in cœlum ascensionem perfectè primùm manifestata est, glorificato etiam eius corpore, iuxta illud ad Philipp. 2. 8. *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.*

Denique tametsi non negemus, Christum post suam in cœlum ascensionem Discipulis visibiliter aliquando apparuisse in terra, vt constat ex Act. 23. 11. & 1. Cor. 15. 8. ideò tamen dicere non debemus, eius tunc humanitatem vbique fuisse: sed in cœlo simul, & in terra, siue in pluribus simul locis. Id quod inuisibiliter, & realiter in Sacramento Eucharistiæ quotidiè fieri firma fide credimus.

II. Probatur CONCLVSIO de iis locis, quæ pro omnipotentia Dei, humanitati communicata, adferre solent, & hoc modo argumentari: Quidquid datum est Christo in tempore, id illi secundùm humanitatem datum est: sed omnipotentia diuina Christo in tempore data est, iuxta illud Matt. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et c. vlt. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Ioan. 13. 3. *Omnia dedit ei Pater in manus, &c.* Ergo omnipotentia diuina secundùm humanitatem Christo data est. Sed quàm infirma sit hæc illatio, exinde constat, quòd loca ista non necessariò de temporali collatione omnipotentiæ intelligantur; sed de ea, quàm per

Digitized by Google

per æternam generationem à Patre accepit, explicari possint: quemadmodùm illud, Ioan. 5. 26 *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Et ita istud Ephes. 1. 22. *Omnia subiecit sub pedibus eius,* intelligit S. Ambros. in explanatione eius loci, inquiens: *Patrem dicit Filio omnem creaturam subiecisse, vt quia omnia per ipsum fecit, ipse omnium caput sit & Dominus. Tunc illi omnia subiecit, quando illum ante omnia genuit, vt per ipsum fierent, quæ non erant.* Quòd si tamen de temporali omnipotentiæ communicatione loca ista accipiatur, duplici id sensu rectè fieri potest: I. enim Christus secundùm humanitatem omnipotentiam diuinam accepit, quia per vnionem hypostaticam Filius hominis omnipotens Deus factus est, quando se Deus personaliter humanitati communicauit. Hinc tamen non sequitur, humanitatem in abstracto omnipotentem dici posse, per omnipotentiam diuinam, nisi velimus, eam in diuinitatem esse conuersam. II. Accepit Christi humanitas omnem potestatem in cœlo, & in terra; quia Christus secundùm eam constitutus est caput hominum & angelorum, & Dominus omnis creaturæ: hæc autem humanitatis Christi potestas, vt omnium creaturarum potestatem longè excellit, ita diuina potestate inferior est: Si enim diuinæ æqualis esset, sequeretur humanitatem diuinitati æquandam, quod Confessionistæ negant.

III. Probatur CONCLVSIO de iis locis, quæ adferunt, vt ostendant, attributa diuinitatis de Christo secundùm humanitatem prædicari, vt illud ad Colos. 2. 9. *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ioan. 5. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat; ita & Filius, quos vult, viuificat: Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio: vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hæc enim, & alia Scrip. loca, inquiunt, attributa diuina Christo in tempore collata esse significant, videlicet plenitudinem diuinitatis, potestatem iudicandi, viuificandi, & alia miracula edendi, remittendi peccata, &c. Et proinde talem adorationis cultum Christo homini tribuendum, qualis Deo Patri tribuitur,

Inprimis enim locus ad Colosſ. nullo modo dicit, Christum ſecundùm humanitatem attributa diuina conſecutum, ita vt ipſa humanitas ſit omnipotens, omnipræſens, &c. cùm enim de diuinitate loquatur Apoſtolus, ex ſenſu aduerſariorum ſequeretur, Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe Deum, & conſequenter humanitatem eſſe diuinitatem. Corporaliter ergo Chriſto inhabitat plenitudo diuinitatis; quia non ſolam eius animam, ſed etiam corpus inhabitat: Item corporaliter, ideſt, verè, realiter, & ſubſtantialiter; non tantùm per vmbram, aut repræſentationem: ſicut habitauit in tabernaculo, propitiatorio; vel in Prophetis, aut Angelis, perſonam Dei gerentibus. Nam eodem c. v. 17. corpus opponitur vmbræ. Item non per accidentaria tantũ dona habitat in Chriſto diuinitas, prout habitat in omnibus Sanctis; ſed ſubſtantialiter, cum humanitate corporea conſtituens vnam & indiuiſam perſonam. Sicut ergo ex hoc loco deducere duas in Chriſto perſonas (quod inter inhabitantem diuinitatem, & inhabitatam humanitatem ponatur diſtinctio) Neſtorianum eſt; ita humanitati attributa diuina ſic corporaliter tribuere, vt ipſa in abſtracto ſit, & dicatur omnipotens, immenſa, &c. Eutychianum eſt. Quia nihil aliud hinc colligi debet, quàm in Chriſto, ſecundùm quandam proportionem, ita ſe rem habere, vt in homine, ex corpore & anima compoſito: ſicut enim anima realiter inhabitat corpus, & vnam cum illo perſonam conſtituit: ita diuinitas corporaliter inhabitat humanitatem (Nam inhabitandi vocabulo non vtitur Paulus, ad ſignificandas duas perſonas, ſed duas naturas impermixtas, & inconfuſas) Et ſicut anima propria ſua attributa non ita corpori confert, vt de corpore prædicari poſſint (Nam corpus non poteſt dici intelligens, rationale, immortale, &c. ſed homo corporeus hæc omnia dici poteſt) ita diuinitas attributa ſua eſſentialia non ita communicat humanitati, vt de ea prædicari debeant, vel poſſint: quamuis de homine veriſſimè prædicentur. Quid quòd ex ſententia Confeſſioniſtarum ſequeretur, omnia diuinitatis attributa ipſi corpori eſſe communicata,

nicata, vt de illo tales enuntiationes fieri possint: Corpus Christi est omniscium, omnia operans secundùm consilium voluntatis suæ, &c. quas absurditates aduersarij, vt opinor, non admittent.

Deinde loca illa, quæ Christo potestatem viuificandi, judicandi, miracula patrandi, peccata remittendi, &c. tribuunt, dupliciter intelligi possunt: videlicet vel de Christo secundùm diuinitatem; & tunc potestatem simpliciter infinitam, & Deo propriam significant: vel secundùm humanitatem, & potestatem diuinam formaliter significare non possunt, sed personaliter tantùm, id est, non ipsa humanitas dicenda est in se potens ista patrare, quæ solius omnipotentiæ diuinæ sunt; sed Homo Christus omnia illa infinito modo potest per diuinitatem: per humanitatem autem modo participato, & longè inferiori: quia hæc opera supernaturalia, vt instrumentum Dei, ineffabili modo ipsi coniunctum, exequitur humanitas.

Porrò Christum hominem eadem adoratione latriæ, qua Deus adoratur, colendum credimus, juxta decretum Concilij Ephesini Can. 8. & V. Synodi. generalis, Can. 9. in quo non tantùm Nestorius, duas adorationes, alteram hominis, alteram Verbi introducens; sed etiam Eutyches, ex confusione Deitatis & humanitatis vnam naturam statuens, damnatur. Quia firmiter tenemus id, *quod Sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est*, vt loquitur idem Canon, videlicet Christū hominem non adoptiuum, sed Filium Dei naturalem esse: B. Virginem, eius Matrem, verè genuisse Deum, ideòque θεόθοκον appellandam: & consequenter Christo homini, & Beatæ Virginis Filio eum cultum deberi, qui Filio Dei naturali tribuendus est. Hinc tamen non sequitur, ipsam humanitatem, seorsim consideratam, diuino cultu afficiendam esse: nisi cum Eutychete dicere velimus, eam in diuinitatem esse conuersam.

Adeò ergo Scripturæ loca non conuincunt, Christum secundùm humanitatem consecutum esse omnipræsentiam

per immensitatem diuinam, vt contrarium asserere debeamus, nisi in manifestum Eutychianismum incurrere velimus.

QVAESTIO IV.

Vtrùm antiqui Patres senserint, Christum secundùm humanitatem esse vbique?

ETsi aduersarijs, manifesta Patrum testimonia pro Vbiquitate adferentibus, responderi posset, quod ipsi in Apolog. lib. Concordiæ Bremensibus respondent: *Patrum testimonia non esse oracula Spiritus sancti*; quia tamen maxima apud nos est SS. Patrum, vnanimi consensu antiquæ Ecclesiæ doctrinam tradentium, auctoritas; fatemur nos aduersarijs, in Art. de Vbiquitate humanitatis Christi consensuros, si antiquos Patres in eadem cum illis sententia fuisse demonstrent. Sin autem contrarium ex Patribus ostenderimus, fateri debebunt, se causâ cecidisse: quantumuis enim aliàs doctrinæ Patrum parùm tribuant; quia tamen in dicta Apologia ad orthodoxam antiquitatem multoties appellant, eius judicium admittere debent.

CONCLVSIO I. Nullus antiquorum Patrum docuit, Christum secundùm humanitatem esse omnipotentem, omnipræsentem &c. Probatur: Quia ne vnicus quidem eorum, quos Apologia libri Concordiæ citat, vel in terminis dicit, Christum secundũ humanitatem esse omnipræsentem, aut omnipotentem; vel ita loquitur, vt ex verbis eius efficaciter concludi possit, hanc esse ipsius mentem quæ Vbiquitariorum est.

I. enim plurimi Patres nihil aliud dicunt, quàm Christum verè & realiter secundùm humanitatem suam in sacra Eucharistia contineri, & Sacramentum hoc sumentibus communicari: vt Cyril. lib. 10. in Ioan. c. 13. dicens: *Christum non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, in nobis esse; verùm etiam participatione naturali.* Et lib. 11. in Ioan. c. 26. & 27. *Christum non tantùm spiritualiter, participatione diuinæ naturæ,*

verùm

verùm etiam corporaliter, corporis sui vnione, & participatione nobis coniungi & vniri. Et Augustinus in sententijs Prosperi: *Hoc est quod dicimus, & modis omnibus approbare contendimus: Sacramentum hoc duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. &c.* Nos autem dicimus, adeò hanc Christi in Eucharistia præsentiam nihil pro Vbiquitate facere, vt ei etiam plurimùm repugnet. Neque enim singulari Christi institutione, ad communicandum corpus & sanguinem suum in Eucharistia, opus fuisset; neque nos singulare quid in hoc Sacramento sumeremus, quod non in quolibet alio cibo contineretur; si corpus Christi verè & realiter non tantùm esset in Eucharistia, sed etiam in pane communi, carne, & alijs obsonijs, quibus quotidiè vescimur.

II. Quandoque SS. Patres humanitatem Christi exaltatam dicunt, vt S. Athanasius orat. 2. *Non substantia,* inquit, *Verbi exaltata est; sed ad humanitatem hoc spectat.* Et de suscepta humanitate. *Non altissimus, sed caro altissimi exaltatur.* Cyril. l. 2. ad reginas. *Accipere,* inquit, *gloriam, potestatem, & regnum super omnia, referendum est ad conditiones humanitatis.* Vigilius contra Eutych. l. 5. *Diuina natura non indiget honoribus sublimari, dignitatis profectibus augeri, potestatem cæli & terræ obedientiæ merito accipere: secundùm carnis naturam igitur adeptus est, qui secundùm naturam Verbi horum nihil eguit aliquando. Nunquid enim potestatem & dominium creaturæ suæ conditor non habebat, vt nouissimis temporibus muneris gratia his potiretur? &c.* Sed hæc & similia, vt etiam supra de testimonijs Scripturæ diximus, si de gloria, & potestate humanitati collata intelligantur, quibus ipsa sit & appelletur gloriosa, & potens; necessariò de attributis infra proprietates Dei constitutis intelligenda sunt: nisi dicere velimus, humanitatem, cum attributis diuinis, ipsam diuinitatem esse consecutam: & sicut per gloriam diuinam gloriosa dicitur, ita per diuinitatem Deum esse dicendam.

III loco adducunt eos Patres, qui Christo secun-

dùm humanitatem attributa diuina aſſignare videntur, vt Athanaſ. contra Arrianos dicentem: *Ratione corporis humanitas exaltari & accipere nomen memoratur, eò quòd corpus illa recipiat, quæ verbum ſemper poßidebat.* Et de Arriana & Catholica Confeſſione: *In ſeipſo, quam aſſumpſit, glorificabat naturam, vt humana infirma & mortalis caro, diuinam profecerit in gloriam: ita, vt omnem poteſtatem in cælo & in terra habeat, quam antequam à Verbo aſſumeretur non habebat.* Et illud S. Baſil. in Pſal. 21. *Natura aſſumpta diuinitati aſſumenti eam vnita eſt, eiuſdemque gloriæ & honoris particeps & conſors facta.* Et S Cyril. lib 12. theſauri c. 15. *Natura à Filio Dei aſſumpta menſuram ſuam exceßit, & in conditionem aſſumentis eam per gratiam translata.* Item illud S. Ambros. lib. 3. de Spiritu S. c.12. *Per terram caro Chriſti intelligitur, quam hodiè in myſterijs adoramus* (Notent Confeſſioniſtæ, olim in Euchariſtia adoratam eſſe carnem Chriſti) *& quam Apoſtoli in Domino Ieſu adorabant* Eiuſdem ſententiæ eſt illud, quod ex S. Auguſt. in Pſal 98. citant: *Nemo carnem Chriſti manducat, niſi priùs adorauerit.*

Sed hæc & ſimilia teſtimonia, gloriam & proprietates diuinas humanitati aſſignantia, non poſſunt intelligi de communicatione formali, & habituali; ſed de perſonali: ne tranſmutationem naturæ humanæ in diuinam concedamus, vt ipſi aduerſarij fatentur. Iam verò perſonalis communicatio non facit, vt de natura humana, in vnitatem perſonæ diuinæ aſſumpta, prædicari in abſtracto poſſint ea, quæ diuinitati propria ſunt; ſicut de diuinitate prædicari non poſſunt, quæ ad humanitatem pertinent, quamuis ea illi per vnionem hypoſtaticam perſonaliter communicata ſint. Dicimus prætereà, gloriam & maieſtatem Chriſto ſecundùm humanitatem, poſt eius in cælum aſcenſionem, tribui; quia tunc primùm gloriæ ſuæ manifeſtam & perfectam poſſeſſionem inchoauit: quamuis ea pro libitu etiam ante vti potuerit. Sicut Confeſſioniſtæ volunt, Chriſto vbiquitatem in actu primo ab initio conceptionis ſuæ collatam fuiſſe, quamuis ea in actu ſecundo non fuerit vſus. Et in hunc ſenſum dicit S. Ambroſ. in explanatione

Digitized by Google

tione capitis primi ad Ephes. *Pater, volo vt vbi ego fuero, & hi mecum sint, & videant gloriam meam. Hoc propter incarnationem Filij Dei, vt etiam homo factus super omnes cœlos esse dicatur, & super cunctam creaturam, sedens ad dexteram Dei: habens nomen Dei per naturam, non per adoptionem: vt cognoscant illum esse Filium Dei, qui illum crucifixerunt. Honor enim, quem illi dedit Pater per generationem, tunc manifestatus est, cùm natus homo passus est, ascēdens vnde descenderat super omnes cœlos. Vnde dictum est: Quia veritas de terra orta est.*

Deinde ad adorationem quod attinet, de qua S. Ambros. & August. loquuntur, dicimus, vt etiam supra dictum est, humanitatem Christi, secundùm se in abstracto sumptam, cultu latriæ adorandam non esse: sed quatenus vnam cum Filio Dei personam constituit: quia, vt loco proximè citato dicit S. Ambros. Dei Filius homo factus habet nomen Dei per naturam non per adoptionem. Et loco supra citato insinuat, Christum hominem non alia adoratione colendum, quàm Christum Deum: *Neque enim*, inquit, *diuisus est Christus: neque cùm adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur.* Sicut autem humanitas in se spectata cultu latriæ adorari non potest; quia non est eius excellentiæ, cuius Deus est, à quo in vnitatem personæ assumpta est: ita in se omnipotentiam, omnipræsentiã &c. non recepit; vt verè sit, & in abstracto dici possit omnipotens, omnipræsens &c. aliàs enim diuinitas simili modo de illa prædicari posset, vt sæpè dictum est.

DICES: Confessionistæ fatentur, humanitatem non esse omnipotentem, omnipræsentem &c. formaliter & habitualiter; sed personaliter & instrumentaliter, quia videlicet Deus per illam exercet virtutem suam: Damascen. enim lib. 3. c. 17 ait. *Caro Domini aucta & locupletata est diuinis operationibus, propter perfectissimam & arctissimam eius ad Verbum vnionem, quæ est hypostatica.* Et c. 19. huius rei rationem reddit: *Propterea quòd diuinæ operationes tanquam per organum corporis perficiãtur.* RESPONDEO, Quamuis in multis actionibus diuinis caro Christi sit organũ diuinitatis; non tamẽ sequi, ipsam virtutem

diuinam

diuinam & alia attributa Dei carni sic esse communicata, vt de ea in abstracto prædicari possint: tum quia attributa propria causæ principalis non possunt de causa instrumentali dici: tum quia non omnia Dei attributa in operatione consistunt, vt infinitas, simplicitas, immutabilitas &c. tum deniq; quia contradictionem implicat, attributa Dei ita carni esse communicata, vt de ipsa in abstracto verè & propriè prædicentur: neque enim caro Christi in se potest esse omniscia, infinita, simplex, spiritualis, immutabilis, &c. Quis enim non videt carnem, si talis esset, simul fore carnem, & non carnem; sed Deum? Ergo nec attributum omnipræsentiæ, aut omnipotentiæ carni ita conuenire potest, vt ipsa sit & dicatur omnipotens, omnipræsens. Sicut enim carni Christi non communicatur, vt ipsa omnia sciat, quamuis omnia scienti Deo sit vnita hypostaticè; ita non communicatur, vt per immensitatem Dei sit, vbicumque Deus est; quamuis cum omnipræsente Deo realiter vnam personam constituat.

CONCLVSIO II. Orthodoxi Patres, quandocumque de præsentia Christi secundùm carnem expressè loquuntur, docent, eam non esse vbique, vbi Deus est: Probatur ex aliquibus eorum testimonijs: S. August. Tract. 50. in Ioan. in illud Ioan 12. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis: Loquebatur,* inquit, *de præsentia corporis sui. Nam secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi. Secundùm carnem verò, quam Verbum assumpsit, secundùm id quòd de Virgine natus est, secundùm id quòd à Iudæis comprehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus; non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundùm corporis præsentiam quadraginta diebus cum Discipulis suis, & eis deducentibus, videndo, non sequendo, ascendit in cælum, & non est hic.*

Item Tract. 78. in illud Ioan. 14. *Vado ad Patrem, quia Pater*

Digitized by Google

Pater maior me est: *A quibus*, inquit, *homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus homo & Deus. Ergo & ibat, per id quod homo erat; & manebat per id, quod Deus erat. Ibat per id, quod vno loco erat; manebat per id, quod vbique erat.* Et paulò pòst: *Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem, à quo venturus est viuos & mortuos iudicaturus. Per illud autem, in quo æqualis est gignenti vnigenitus, nunquam recedit à Patre: sed cum illo est vbique totus, pari diuinitate, quam nullus continet locus.*

Item epist. 57. ad Dardanum: *Et sic*, inquit, *venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum: id est, in eadem carnis forma, atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus vbique diffusus: Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique, vt Deus: nam & de nobis veracissima Scriptura dicit: quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus: nec tamen sicut ille, vbique sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo: vna enim persona Deus & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus: vbique per id quod Deus est; in cælo autem per id, quod homo.*

Cyrillus Hiero. Cat. 14. *Non enim*, inquit, *quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quòd spiritu medio hic non adsit, audiens quæ de illo dicuntur, & videns quæ tu cogitas, & scrutans corda & renes.*

Cyrillus Alex. lib. II. in Ioan. c. 21. *Putabant*, inquit, *Discipuli absentiam Christi (vt hominis dico, Deus enim vbique est) multorum eis incommodorum causam futuram &c. Cùm Deus & homo Christus verè sit, oportuit intellexisse ineffabili Dei potestate vnà cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset.*

Theodoretus dialog. 2. *Corpus*, inquit, *dominicũ surrexit quidem à corruptione & interitu alienũ, & impaßibile, & immortale, & diuina gloria glorificatũ, & à cælestibus potestatibus: Corpus tamen est, & habet, quam priùs habuit, circumscriptionem.* Et dial. 3. *Atqui*

post resurrectionem visum est circumscriptum, & habens manus & pedes, & alias corporis partes, & tangi poterat, & sub aspectum cadebat, vulneraque & cicatrices habebat, sicut ante resurrectionem. Duorum ergo alterum dicere necesse est, vel diuinæ etiam naturæ esse has partes tributas, siquidem corpus in diuinitatis naturã conuersum has partes habuit; vel fateri corpus mansisse, in suæ naturæ finibus.

Leo sermone 2. de Ascensione: *Ineffabili*, inquit, *modo per ascensionem cœpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.*

Vigilius lib. I. contra Eutych. *Sed & nobiscum est*, inquit, *& non est nobiscum: quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit neque deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis in cœlum, absens est nobis; per formam Dei, qua à nobis non recessit, præsens est nobis.* Et lib. 4. *Deinde si Verbi & carnis vna natura est, quomodo, cùm Verbum vbique sit, vbique non inueniatur & Caro? Namque quando in terra fuit, non erat vtiq; in cœlo: & nunc quia in cœlo est, non est vtiq; in terra.*

Ex his paucis facilè judicabit æquus lector, ab vtra parte in hoc certamine stet orthodoxa antiquitas.

DICES ex Apologijs libri Concordiæ: Patres agere contra Eutychianos, qui humanitatis & diuinitatis vnam naturam esse asserebant: & proinde nihil aliud velle, quàm humanitatem non habere proprietates illas sibi naturales, quas diuinitas habet, quod asserebat Eutyches. Librum autem Concordiæ docere, humanitati Christi vbiquitatem, & alia Dei attributa conuenire per gratiam, & liberam communicationem; non per naturam. Vel Patres de visibili præsentia loqui, per quam Christi humanitas localiter & circumscriptiuè alicubi existit.

RESPONDEO I. Patres, quando Eutychianos oppugnãt, vti hoc, inter alia, fundamento, quòd Christi diuinitas vbiq; sit, humanitas non sit vbique: Ergo liber Concordiæ, vbiquitatem humanitatis Christi asserens, destruit hoc Patrum fundamentum.

II. S. Augustinus Epist. cit. ad Dardanum, agens de

eo

eo, quod humanitati non ex natura, sed ex vnione hypostatica conuenit, negat eam esse vbique: Ergo simpliciter negat vbiquitatem humanitatis, non tantùm illam quæ sit eius proprietas naturalis.

III. Non possunt SS. Patres de visibili tantùm carnis Christi præsentia loqui, quando eam negant esse vbiq;: quia frustra de eo disputarent, de quo nemo dubitare potest. Et cùm carnis præsentiam præsentiæ diuinitatis opponentes dicant, diuinitatem esse vbique, carnem autem non esse vbique; de præsentia spirituali & inuisibili manifestè loquuntur: nam vt diuinitas visibiliter nobis præsens non est, ita humanitatem præsentem non esse, experientiâ constat. Posito autem quòd aduersarij verè asserant, carnem Christi inuisibiliter esse vbique; falsum erit, quod SS. Patres simpliciter aiunt, eandem carnem non esse vbique: & quòd attributum illud soli diuinitati conuenire affirmant.

Sed quia pro instituta breuitate diutiùs his immorari non licet; finem facio: loco coronidis grauissimam in hac materia calumniam adiungens: Ministri Saxonici in *Pupilla oculi* dicunt, Papistas mutatâ sententiâ, sex annis post confœderationem Passauiensem, in hoc capitali articulo ad Caluinistas transiisse, idque ita probant: Quia Catholici Doctores Augustæ confessi sunt, in articulo de persona Christi nullam esse inter se & Lutheranos cõtrouersiã. Et posteà Ioannes Hoffmeisterus publicè dixit, & scripsit, in tertio articulo Confessionis Augustanæ Catholicos Lutheranis, contra Zvvinglium, consentire: ac proinde nos esse nouatores, quòd ab antiqua doctrina nostra recesserimus. Nam in primis, ostendant vel vnicum scriptorem Catholicum, qui ante tempus illud, quod notant, Vbiquitatem contra Zvvinglianos defenderit. Nos autem ex plurimis ostendere possumus, dogma de Vbiquitate semper à Catholicis scriptoribus damnatum fuisse: vt enim alios innumeros omittam, Natalis Beda in Annotationibus contra Stapulensem, An 1526. editis, ad propositionem 114. eius quæ talis est: *Corpus Christi, id est, assumpta humanitas cœlum*

implet & terram; hoc modo loquitur: *Nouum omnino hoc dogma est: non enim illum sanctus aliquis Doctorum istud docuit; sed errorus spiritus, vt quod nullus vnquam verus sapuit Theologus, damnabili singularitate agitatus mundo asserret: quod planè & hæreticum est, & blasphemum: quodque rident & expuunt vel theologicæ scholæ tyrunculi.*

Porrò Catholici ideò ore & calamo testati sunt, se de persona Christi totum illud credere, quod Confessio Augustana Art. 3. continet, nō quia Zvvinglius Christi humanitatem negabat esse vbique; sed quia negabat, Christum verè descendisse ad inferos: & descendere ad inferos idem esse dicebat, quod mori & sepeliri, vt ex iis constat, quæ dictus Ioannes Hoffmeisterus ad Art. 3. Confes. August. scripsit. Faciliùs autem ex pumice lac expriment, quàm ex verbis Articuli tertij colligere possint, Christum secundùm humanitatem esse vbique. Tametsi verò hoc Lutherus ante docuerit, Catholici tamen iure existimare potuerunt (si tamen de hac Lutheri doctrina cogitarunt) erroris eum sui pœnituisse, sicut & in aliis multis Articulis sibi persuaserunt. Et quamuis plerique Theologi huius rei mentionem in confutatione faciendam duxerint; Principes tamen, vt faciliùs in pacem cum Catholicis Lutherani coirent, omnia omittenda censuerunt, quæ ante Lutherus aliter docuerat: & ea sola examinanda, quæ in Confessione proposita reperiebantur. De qua re Cochlæus, qui, teste *Pupilla oculi*, interfuit, in Actis Lutheri Anno 1530. hunc in modum scribit. *Cæsar examinandæ & confutandæ illius Confessionis curam negotiumque Theologis Catholicorum Principum demandauit: Qui cùm intra paucos dies benè acrem copiosamque responsionem adornassent, in qua non solùm quæ erronea erant, Scripturis & rationibus confutarunt, verùm etiam circa ea quæ recta erant ostenderunt, Lutherum suis cum complicibus anteà longè aliter docuisse, atque scripsisse; exhibuerunt eam Cæsari, Cæsar Principibus Catholicis. Quoniam verò auidi pacis & concordiæ omnes erant, visum est leniùs respondendum, atque omittendum quidquid illorum Concionatores anteà docuissent ac scripsissent aliter, quàm*

eorum

eorum habebat Confessio. Dum autem mutaretur confutandi modus, abierunt dies aliquot.

ARTICVLVS IV.

DE CAVSA PECCATI.

AD hunc Articulum, qui in Confessione August. decimus nonus est, & ita sonat: *De causa peccati docent, quòd tametsi Deus creat & conseruat naturam; tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum: quæ, non adiuuante Deo, auertit se à Deo, sicut Christus ait, Ioan.* 8. *Cùm loquitur mendacium, ex seipso loquitur,* cum Catholicis Principibus respondeo: *Articulus decimus nonus probatur & acceptatur: Deus enim summè bonus, non est auctor malorum; sed voluntas rationalis defectibilis causa est peccati. Quare nullus scelera sua & facinora imputet Deo, sed sibi, iuxta illud Ierem.* 2. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Et illud Oseæ* 13. *Ex te perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum, &c.*

Sed quia Lutherus & Philippus passim oppositum docuerunt, videamus vtrùm moderni Lutherani non æquè illos in hoc, atque in aliis sequi possint.

QVAESTIO VNICA.

Vtrùm Moderni Lutherani non æquè Deum causam peccati statuere possint, atque humanitatem Christi vbique?

RESPONDEO affirmatiuè: Probatur, quia Theologi Saxonici in *Pupilla oculi* f. 135. probant, se posse Vbiquitatem defendere, quòd eam Lutherus ante exhibitam Confessionem August. docuerit: Sed idem non minùs docuit Deum esse causam peccati: Ergo & hanc blasphemiam defendere suo iure poterunt.

Minor ex multis Lutheri ſcriptis probari poteſt; ſed vt par illud nobile fratrum, Lutherum & Philippum, Confeſſionis Auguſt. Architectos coniungamus, ſolis Annotationibus in Epiſt. Pauli ad Rom. contenti erimus: has enim Philippus compoſuit, Lutherus in lucem edidit, & ita laudauit, vt in præfatione ſcripſerit, antiquorum auctorum Commentaria meras eſſe nugas & ineptias, ſi cum his Annotationibus comparentur. Et Philippum, non quidem ſuperiorem aut æqualem, proximum tamen Paulo dicendum: addens: *Ego ſcio, quo ſpiritu & iudicio ſic de te pronuntio.* Quæ ergo in his Annotationibus docentur, reiicere non poſſunt Lutherani, niſi ſpiritum Lutheri tanquam atrum reijcere velint.

Atqui in Annotationibus iſtis ex inſtituto multis docetur, Deum eſſe cauſam peccati, vt patet ex his quæ ad cap. 8. Rom. dicuntur: *Conſequitur itaque ridiculum eſſe commentum liberum arbitrium: quia voluntas noſtra adeò non eſt libera, vt eò tantùm feratur, quorſum à Deo impellitur.* Ergo etiam impellitur à Deo in peccatum, cùm Confeſſio Auguſtana dicat, voluntatem creatam, ne adiuvante quidem Deo, peccare. *Præterea*, pergit Philippus, *Stultum quidem carni videtur, Deum omnia facere, & in his tam multa friuola & mala. Sed hîc humanis cogitationibus imperandum eſt, & adoranda illa incomprehenſibilis maieſtas.* Item; *Sit hæc*, inquit, *certa ſententia, à Deo fieri omnia, tam bona, quàm mala.* Item, *Nos verò dicimus, non ſolùm permittere Deum creaturis vt operentur; ſed ipſum omnia propriè agere, vt ſicut fatentur proprium Dei opus fuiſſe, Pauli vocationē; ita fateantur, opera Dei propria eſſe, ſiue quæ media vocantur, vt comedere, bibere, communia cum brutis; ſiue quæ mala, vt Dauidis adulterium.*

Nihil autem obſtat, quòd hæc doctrina Confeſſioni Auguſt. cõtraria ſit: tum quia in aliis non verentur huic Confeſſioni contraria docere, vt ex dictis colligitur, & ex dicendis clariùs patebit: tum quia maior debet eſſe apud Confeſſioniſtas Scripturæ Sacræ, quàm Confeſſionis Auguſt. auctoritas. Hæc enim à Philippo ex ſcriptis Lutheri (ſi tamen vnquam Lutherus poſt ſuam à Catholicis defectionem id ſcrip-

ſit,

fit, quod hîc Confessio Augustana docet) collecta est: Ergo alicubi errare potest, sicut ipse Philippus, & Lutherus in scriptis suis multoties errarunt.

Iam verò si articulus hic solis Scripturæ sententiis decidatur, multò plura, & clariùs in speciem dicentia, Deum esse causam peccatorum, occurrent, quàm Christi humanitatem esse vbique. Cùm ergo Scripturæ prætextu asserant, hunc esse capitalem articulum simpliciter credendum, & vlteriùs non scrutandum; quomodo illum contra Lutherum & Philippum, plurima Scripturæ testimonia proferentes, tam securè damnare possunt? Quid enim clarius apparet illis, quæ loco citato adducit Philippus: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Rom. 11. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Prouerb. 16. *Ego Dominus, & non alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Esa. 45. *Operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12. *Non hominis via eius, nec viri vt dirigat gressus suos.* Ierem. 10. *Propterea non poterant, credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum; vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur.* Ioan. 12. *Non volentis, neq; currentis; sed miserentis est Dei: dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in Vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Rom. 9. &c. *Ergo non est*, inquit Philippus, *cur frigidum glossema recipiamus, Deum mala permittere, non etiam facere: nam illa ipsa mala, quæ fiunt, ipse ordinat ad suam gloriam.*

Iudicent ex his Aduersarij, an non eodem jure dicat Philippus: *Hoc esse mysterium inexplicabile, quòd Deus & velit peccata; & tamen ea verè odio habeat: quòdque sensus carnis, qui illi refragatur, Scripturis frangendus & mortificandus sit*; quo ipsi dicunt: Vbiquitatem humanitatis Christi esse mysterium inscrutabile, & simpliciter credendum, propter Scripturæ testimonia; quæ & pauciora sunt, & tantam speciem non habent, quantam ea, quæ causam peccati in Deum referre videntur.

Quid

Quid quòd verisimile admodum est, Philippum non ex animo contrarium huic doctrinæ suæ Articulum in Confessionem August. retulisse; sed tantùm vt Catholicis illuderet, ne Confessionistas in tam multis Ecclesiæ Rom. repugnare existimarent, prout in scriptis suis Theologi nostri multoties conquesti fuerant. Quo etiam fine in eadem Confessione dicit: Missam apud Lutheranos non esse abolitam; sed magna cum reuerentia celebrari: Confessionem priuatam retineri: adeòque nihil contra Rom. Ecclesiam doceri, exceptis paucis quibusdam abusibus. Nam cùm tam diligenter blasphemum istum errorem, quòd Deus sit causa peccatorum, Scripturæ testimoniis confirmauerit; pro contraria & vera sententia vnicum tantùm locum ex cap. 8. Ioannis adducit. *Cùm loquitur mendacium, ex seipso loquitur*: qui à contrarij erroris patronis facilè eludi potest.

ARTICVLVS V.
DE LIBERO VOLVNTATIS HVMANAE ARBITRIO.

HVnc quoq; Articulum, qui in Confess. August. decimus octauus est, prout in originali cõtinetur meritò approbãt Principes Catholici, quatenus id tradit, quod Ecclesia contra Manichæos & Pelagianos semper docuit; videlicet liberum arbitrium habere virtutem ad efficiendam ciuilem justitiam, & deligendas res rationi subiectas: sed non habere vim sine Spiritu sancto efficiendæ justitiæ Dei.

Tametsi verò hanc doctrinam tanquam Catholicam amplectimur; videndum tamen est, non tam, quâ constantiâ, de qua iam ante pauca insinuata sunt, quàm, qua fide tali tenore in Confessionem relatus sit Articulus iste.

QVAE-

QVAESTIO VNICA.

Vtrùm Philippus Articulum de libero arbitrio bona fide posuerit?

RESPONDEO negatiuè, I. Quia nomine Principum protestantium dicit, Ministros Lutheranos, in eorum ditionibus, de libero arbitrio vnanimiter ita docere, prout ipse in isto articulo docet; ita enim loquitur. *De libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem justitiam. &c.* Quò autem referendum sit verbum illud, *Docent,* constat ex omnium Articulorum contextu: ita enim incipit Articulus primus: *Ecclesiæ apud nos magno consensu docent Decretum Nicenæ Synodi, de vnitate essentiæ Diuinæ &c.* Articulus 2. 3. & alij subsequẽtes, hoc modo inchoãtur: *Item docẽt &c. Itẽ docẽt &c.* Ergo verbũ illud ad vnanimẽ Lutheranæ Ecclesiæ consensum refertur. Atqui in hac re non tantùm Catholicis, sed etiam protestantibus Principibus, contra manifestissimam veritatem illusit Philippus. Quid enim clarius, quàm Lutherum, ex cuius scriptis Confessio Augustana collecta dicitur, de libero arbitrio contrarium huic articulo passim docuisse, & scripsisse? Et similiter ipsum Philippum, aliosque eorum Collegas? Quomodò enim vnanimis consensus est inter hunc Articulum, & id quod in assertione Art. 36. à Leone X. damnati, inter multa alia, dicit Lutherus: *Perijt itaque hìc etiam generalis illa influentia, qua garriunt, esse in potestate nostra naturales operationes operari. Secus rem habere monstrat experientia omnium. Et vide nos insensatos; ipsam radicem operum, nempe vitam ipsam, quæ caput est omnium operum, scimus omnes nullo momento esse in manu nostra; & audemus dicere aliquam cogitationem esse in manu nostra. &c. Vnde non est dubium, Satana Magistro in Ecclesiam venisse hoc nomẽ, Liberum arbitrium, ad seducendos homines à via Dei in vias suas proprias. &c. Vnde & hunc articulum necesse est reuocare: malè enim dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo; sed simpliciter debui dicere: Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re.*

 Quia

Quia nulli est in manu sua quidpiam cogitare mali aut boni: sed omnia (vt Wiclephi Articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt. Quod & Poeta voluit, quando dixit: Certa stant omnia lege. Et circa finem hoc modo concludit: *In cæteris articulis, de Papatu, Concilijs, Indulgentijs, alijsq; non necessarijs nugis, ferenda est leuitas & stultitia Papæ, & suorum: sed in hoc articulo, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire.* Vide plura quæst. 5. procem. Similem in modum Philippus in Locis communibus loquitur: *In Christianismum receptum est impium de libero arbitrio dogma, & obscurata Christi beneficentia, per prophanam illam & animalem rationis nostræ sapientiam. Vsurpata est vox liberi arbitrij, à diuinis litteris, à sensu & judicio spiritus alienissima. Primùm ergo sic censemus: Intellectum humanum pro natura sua nihil intelligere, nisi carnalia; spiritualium prorsus ignorantem. Ita nihil affectat voluntas, præter carnalia bona. Proinde cùm tanta sit in lumine naturæ cæcitas, cùm talis ignoratio Dei, rerumque diuinarum, cùm in voluntate tantus sit contemptus Dei; quæ est hominis libertas? Quin si respicias affectus carnales, nec in his libertas est. Ex his intelligis insanire, qui pœnitentias, attritiones, & bona proposita fingi docuerunt; cùm non posit affectum assumere caro, aut ponere. Postremò libertatem homini adimit diuina prædestinatio: eueniunt enim omnia juxta diuinam prædestinationem, cùm externa opera, tum internæ cogitationes, in omnibus creaturis.* Ergone summo consensu Ecclesiæ Lutheranæ de libero arbitrio docuerunt, vt Confessio Augustana asserit, quando ista Ecclesiæ illius capita, & Confessionis Augustanæ parentes, tam manifestè & tam sæpè publicis scriptis, vel omnino non, vel non seriò refutatis, è diametro contrarium docuerunt? Scio quidem Melanchthonem, in Locis An. 1536. Argentorati editis. idem docuisse quod Art. 18. Confess. August. de libero arbitrio docet. Vbi insuper doctrinam Manichæorum, liberum arbitrium prorsus negantium, delitamentum, & horribile mendacium vocat: Sed quis credat Philippum, sententias suas toties mutantem, vt communi vocabulo cothurnus di-

ctus

ctus fuerit, ita seriò liberum arbitrium asseruisse, vt priorem sententiam suam ex animo damnârit; & non potiùs, sicut in aliis quoque fecit, tempori & hominibus se accommodare voluisse?

Sed quidquid sit de Philippo, maior est apud Confessionistas Lutheri auctoritas: tum quia certum est, Philippum non mansisse Lutheranum: tum quia hanc laudem ei tribuere nolunt, quòd ipse sit Confessionis Augustanæ auctor; sed amanuensem tantùm fuisse aiunt, qui ex scriptis Lutheri hanc Confessionem compilauerit. Atqui hoc ipsum signum est, Confessionem in hoc articulo mala fide ex scriptis Lutheri decerptam: Lutherus enim & immediatè fere ante Confess. August. videlicet An. 1528. in Confess. de Cœna Christi, liberum arbitrium omnino reiecit: & post oblatam Confessionem eundē errorē pertinacissimè defendit, vt supra diximus.

Porro in libro de seruo arbitrio (in quo Philippi libellum, de Locis An. 1520. editum, Liberum arbitrium omnino proscribentem, inuictum, & non tantùm immortalitate, sed etiam Canone Ecclesiastico dignum vocat) propè finem hoc modo Erasmum alloquitur: *In hoc te vehementer laudo, quòd solus præ omnibus rem ipsam es aggressus, hoc est summam causa; nec me fatigaris alienis illis causis, de Papatu, Indulgentijs, Purgatorio, ac similibus nugis potiùs; quàm causis, in quibus me hactenus omnes venati sunt frustra. Vnus tu, & solus rerum cardinem vidisti, & ipsum jugulum petiuisti.* Sed Erasmus nihil aliud defenderat, quàm quod Confess. August. de libero arbitrio docet: Ergo illa quoque jugulum Luthero petit; tantùm abest, vt bona fide ex illius scriptis collecta sit.

II. probatur CONCLVSIO: Quia quod Art. 18 asseritur, & in Apolog. hoc modo explicatur: *Habet humana volūtas libertatem in operibus & rebus deligēdis, quas ratio per se cōprehēdit: Potest aliquo modo efficere justitiā ciuilē, seu justitiā operū, potest loqui de Deo, exhibere Deo certū cultū externo opere, obedire magistratibus, parentibus in opere externo eligēdo, potest cōtinere manus à cæde, adulterio, furto. Cùm reliqua sit in natura hominis ratio, & judiciū*

de rebus sensui subiectis, reliquus est etiã delectus earũ rerũ, & libertas, & facultas efficiendæ iustitiæ ciuilis &c. Hoc ipsum in eadẽ Apolog. & Confess. An. 1531. variata, negatur, quando Scholasticorum doctrina vt Pelagiana damnatur, qua dicunt, per liberum arbitrium posse fieri præcepta Dei, quoad substantiam actuum. Neque enim vllus Scholasticorum docet, solis liberi arbitrii viribus posse fieri omnia Dei præcepta; sed aliqua tantùm eorum, quæ præcepta sunt: idque non omninò perfectè, sed quòad substantiam eorum actuum, qui præcipiuntur. Quod reipsa nihil aliud est, quàm quod Confess. August. dicit: Posse liberum arbitrium obedire magistratibus, & parentibus, continere manus à cæde, adulterio, furto &c. Imò Sanctus Augustinus, in verbis à Confess. August. citatis, docet, hominem solis naturæ viribus posse velle, quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam, & hoc ipsum bonum ex Deo & per Deum esse. Ergo bonum, quod solis naturæ viribus facit homo, est illud ipsum, quod vult, siue præcipit Deus: quamuis eâ perfectione non fiat, vt placeat Deo in ordine ad vitam æternam. Quomodò autem cum hac Sancti Augustini doctrina conueniat, quod in eadem Apolog. hîc dicitur: *Illud autem falsum est, non peccare hominem, qui facit opera præceptorum extra gratiam*; viderint Confessionistæ.

III. Non bona fide posita sunt illa verba in Confess. August. *Humana voluntas non habet vim sine Spiritu sancto efficiendæ iustitiæ Dei, seu iustitiæ spiritualis: quia animalis homo non percipit ea, quæ sũt spiritus Dei*: quia ad calumniandos Catholicos, quasi ipsi contra hanc doctrinã cum Pelagianis sentiant, posita sunt: & ideò in Confessione variata additur: *Damnamus Pelagianos, & similes* (videlicet Catholicos) *qui docent, quòd sine spiritu sancto, solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere. &c.* Idque pluribus explicatur in Apolog. huius Art. his verbis: *Articulum XVIII. recipiunt Aduersarij, de libero arbitrio. &c. Addunt & declamationem, quòd non sit nimium tribuendum libero arbitrio, cum Pelagianis; neque omnem ei libertatem adimendam esse, cum Manichæis. Præclarè sane: sed quid*

Digitized by Google

ntereſt inter Pelagianos, & Aduerſarios noſtros, cùm vtrique ſentiant, homines ſine Spiritu ſancto poſſe Deum diligere, & præcepta Dei facere quoad ſubſtantiam actuum, mereri gratiam ac iuſtificationem operibus, quæ ratio per ſe efficit, ſine Spiritu ſancto? Quam multa abſurda ſequuntur ex his Pelagianis opinionibus, quæ in ſcholis magnâ auctoritate docētur? Sed quàm manifeſta ſit hæc calumnia patet ex ijs, quæ Art. 2. quæſt. 5. dicta ſunt, & ex dicendis Art. ſequente magis eluceſcet.

Porrò dum Scholaſtici docent, hominem viribus naturæ poſſe Deum ſuper omnia diligere, de tali dilectione non loquuntur, quæ remiſſionem peccatorum mereatur; ſed de dilectione quadam naturali, qua ex cognitione Dei, tanquam ſummi boni, etiam Ethnici iudicarunt, eum eſſe ſuper omnia diligendum, & affectu quodam innato dilexerunt, vt ex libris ipſorum manifeſtum eſt. Interim affectus ille neque conſtans fuit (quia quem Deum eſſe cognouerunt, non ſicut Deum ſemper glorificauerunt, ſed pluribus peccatis offēderunt) neque perfectus fuit, & qualem in renatis Deus requirit; ſed qualem ex ipſa Confeſſionis Apolog. concedendum eſſe colligimus: quia vt ſupra relatum eſt, concedit, hominem per vires naturæ poſſe loqui De Deo, exhibere Deo cultum externo opere; quid nî & affectu interno, quamuis imperfecto & inſufficiente ad iuſtitiam ſpiritualem & ſalutem? Quandoquidem enim ſic ratiocinatur Apolog. loc. cit. *Cùm reliqua ſit in natura hominis ratio, & iudicium de rebus ſenſui ſubiectis; reliquus eſt etiam delectus earum rerum, & libertas, & facultas efficiendæ iuſtitiæ ciuilis.* Simili modo nos dicimus: Cùm in natura hominis reperiatur cognitio naturalis Dei (*Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, Rom. 1. 20.*) in eadem reperitur naturalis affectus, & facultas quædam, Deum vt ſummum bonum diligendi: quamuis non ea dilectione, quæ ad placandum Deum, vel illi placendum ſufficiat. Et oſtendant Aduerſarij vel vnicum Scholaſticum, qui tali modo Deum, ſolis naturæ viribus, diligi poſſe docuerit.

IV. Manifeſtam fraudem admittit Philippus, quando

positâ doctrinâ Art. 18. subiungit: *Hac totidem verbis dicit Augustinus.* Immediatè enim ante ait, Iustitiam spiritualem fieri in cordibus, cùm per Verbum Spiritus sanctus concipitur. Quæ verba cùm catholicum sensum habere possint, intellecta sunt à Philippo de iustificatione per fidem specialem, quam fingunt Lutherani, vt patet ex his verbis Confessionis variatæ: *Porro Spiritum sanctum concipimus, cùm verbo Dei assentimur, vt nos fide in terroribus consolemur: sicut Paulus docet, cùm ait: Vt promissionem Spiritus accipiatis per fidem. Hac totidem verbis dicit Augustinus, &c.* Neque enim vllam syllabam Sanctus hic Doctor loco illo pro speciali fide iustificante habet; sed tantùm pro explicatione facultatis naturalis liberi arbitrij, vt legenti facilè patebit. Ergo incautos seducere voluit Philippus, quasi Sancti Augustini testimonium, ab ipso productum, specialem fidem Lutheranam confirmaret.

Loco Coronidis nota, Ministros Saxonicos hanc clausulam articulo de libero arbitrio, tanquam in originali Confessione positam, adiungere: *Damnant Pelagianos, & alios &c.* cùm illa teste Andrea Fabritio, An. 1531. in editione Wittenbergensi à Philippo primùm sit addita. Cuius rei manifestum indicium est, quòd totius huius clausulæ, quæ integro Art. XIX. maior est, ne per verbum quidem mentio fiat in germanico exemplari, non tantùm illo, quod libro Concordiæ insertum est; sed etiam illo, quod in *Pupilla oculi* positum. Adeò nimirum certi sunt Confessionistæ, quænam verè sit originalis Confessio Augustana.

ARTICVLVS VI.

DE IVSTIFICATIONE.

HOc Art. præcipuum Lutheranæ fidei fundamentum tractatur, vt testatur Apologia, & Lutherus in Art. Smalcaldicis, vbi inter controuersos primum & capitalem vocat eum.

um, qui de Iustificatione agit: & ab ea doctrina: *Quòd sola des iustificet*, suos non posse discedere ait, nisi velint Papæ & Diabolo omne ius & victoriam concedere.

Quia verò in præcipua hac dissidij inter nos & Lutheranos causa, grauissimi nobis à Confessione Aug. impinguntur rrores, de quibus docendis nemo Catholicorum cogitauit nquam, per I. Quæstionem potissimas calumnias detegemus, c refutabimus. In II. inuestigabimus, vtrùm Lutherani cira iniuriam Pelagianismi, toties nobis imputati, accusari ossint. In III. vtrùm homo in prima sui à peccato ad iustitim conuersione merè passiuè se, habeat. In IV. vtrùm in iuificatione verè tollantur peccata, an tantùm non imputentur. n V. vtrùm iustitia sit donum internum, an tantùm exteriùs Deo imputatum. In VI. an & quomodo gratis iustificemur. n VII. an sola fides iustificet. In VIII. vtrùm per fidem iusticantem intelligenda sit specialis fiducia de remissione peccaorum. In IX. vtrùm vera fides cum peccato mortali stare ossit In X. vtrùm iusti de sua iustitia certi sint. In XI. vtrùm nandata Dei iustis sint impossibilia. In XII. vtrùm iusti sint beri à maledictione legis, quamuis eam non seruent.

QVAESTIO I.

e calumniis quas Confessio August. in hac grauissima causa Catholicis impingit.

CVm Lutherani passim dicant, se propter hunc potissimùm articulum diuortium ab Ecclesia Romana fecisse, debeat Confessio Augustana nostram de hac re sententiam bona de ponere; non autem erroneas opiniones, quas Ecclesia omana nunquam docuit, nobis affingere. Præsertim cùm Apologia huius articuli dicatur: *Non mouemus inanem λογομαχίαν de vocabulo; de magna re litigamus, vnde debeant pia entes certam spem salutis concipere.* Quàm enim non tantùm anam λογομαχίαν exerceat Confessio, dum quorundam cholasticorum sententias vel in alienos prorsus ab eorum mente

mente ſenſus torquet, vel vnius aut alterius Scholaſtici doctrinam, minùs probabilem, aut etiam erroneam, toti Eccleſiæ aſcribit; ſed etiam, quod ijs proprium eſſe ſolet, qui malæ cauſæ ſuæ non confidunt, mendaciis & calumniis aduerſarios ſuos premat, & fingat dogmata quæ oppugnet, demonſtrabunt hæc pauca, quæ ex plurimis excerpemus.

I. Art. 20. Confeſſionis dicit: *Cùm igitur doctrina de fide, quàm oportet in Eccleſia præcipuam eſſe, tamdiu iacuerit ignota, quemadmodùm fateri omnes neceſſe eſt, de fidei iuſtitia altiſsimum ſilentium fuiſſe in concionibus; tantùm doctrinam operum verſatam eſſe in Eccleſiis: noſtri de fide admonuerunt Eccleſias.* Sed cùm his verbis ſignificetur, de iuſtitia operum ſic in Eccleſia Rom: doctum fuiſſe, quemadmodum Philoſophi gentiles opera ſine fide commendarunt; quis non videt, hanc eſſe manifeſtam calumniam? neque enim quiſquam Catholicorum vnquam docuit, opera quantumuis ſpecioſa ſine fide iuſtificare, aut ad ſalutem prodeſſe poſſe. Et ideò ſimilia ſunt huic primo ſequentia pronunciata.

Scholaſtici, ſecuti Philoſophos, tantùm docēt iuſtitiam rationis, videlicet ciuilia opera; & affingunt quòd ratio ſine Spiritu ſancto poſſit diligere Deum ſuper omnia. Apolog. de iuſtif.

Docēt homines mereri remiſsionem peccatorum, faciendo quod in ſe eſt: hoc eſt ſi ratio dolens de peccato eliciat actum dilectionis. Ibidem. Quaſi verò dicamus, rationem citra Dei gratiam elicere poſſe veræ dilectionis actum. Vaniſſima proinde eſt hæc interrogatio, contra nos ibidem poſita: *Si iuſtificari poſſumus per rationem & opera rationis, quorſum opus eſt Chriſto, aut regeneratione?*

Item, *Ne Chriſtum omnino prætereant, requirunt notitiam hiſtoriæ de Chriſto: & tribuunt ei, quòd meruerit nobis dari quendam habitum, ſiue vt ipſi vocant, primam gratiam.* Ibidem. Quaſi verò fides, quam ad juſtificationem requirimus, ſit nuda notitia de Chriſto; & non potiùs firmus aſſenſus, qui à cognitione myſteriorum, tanquam donum Dei diuerſum, diſtinguitur, 1. Cor. 13. 2. Aut quaſi dicamus, Chriſtum primam

mam tantùm nobis gratiam meruisse, & non omnem gratiam, & gloriam quam consequimur, & consequemur. Adde quòd Confessio sibi contradicat: si enim docemus Christum meruisse nobis primam gratiam; quomodò verum est, quod doceamus, nos per justitiam rationis justificari, siue, vt alibi loquitur, nos justificare nos ipsos citra meritum Christi?

Item, *Aduersarij, prorsus sepulto Christo, fingunt nos habere accessum per propria opera, & per hac habitum dilectionis mereri, & postea dilectione habere pacem conscientiæ.* Ibidem.

Item, *Suis viribus conantur legem facere, & dicunt se de condigno mereri gratiam.* Procul dubio primam intelligit; quia, vt posteà ostendetur, gratiæ augmentum mereri nos posse non negat.

Item, *Aduersarij ratiocinantur, quòd Iacobus doceat, nos per opera nostra mereri remißionem peccatorum & gratiam: quòd per opera nostra habeamus accessum ad Deum, sine propitiatore Christo.*

Item, *Aduersarij nostri non perdiderunt operam in discenda Dialectica; sed habent artificium ratiocinandi ex Scripturis prorsus quidquid libet: Facite firmam vocationem vestram per bona opera: Igitur opera merentur remißionem peccatorum.* Apolog. de Traditionibus. Quis enim ex isto Apostoli loco sic argumentatus est, vt probare voluerit, opera naturalibus viribus facta mereri remissionem peccatorum?

Item, *Aduersarij nostri sunt suaues Theologi, intuentur secundam tabulam & politica opera; primam nihil curant; quasi nihil pertineat ad rem: aut certè tantùm externos cultus requirunt. Illam æternam legem, & longè positam supra omnium creaturarum sensum atque intellectum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, prorsus non considerant.* Apolog. de justificat. Quis enim vnquam ex Catholicis vel somniauit, sola secundæ tabulæ præcepta seruanda esse? Et quomodò ista cohærent: *Aduersarij non considerant præceptum de diligendo Deo*; Et, *docent, se sine Spiritu sancto posse diligere Deum super omnia, & ita justificari?*

Sed piget omnia eiusdem fere sententiæ axiomata referre, quæ si ex Confess. August. cum probationibus in contra-

rium tollas, pauca admodùm ad rem facientia, in hac de justificatione materia, supererunt. Vt quid enim opus erat tam multis probare, *Christum esse propitiatorem nostrum: Nos gratis, non ex dignitate operum nostrorum, justificari: Non posse nos nostris viribus sine Spiritu sancto legem Dei implere, &c.* Quasi ista negaremus, quæ nemo Catholicus negare potest? Constanter enim credimus omnes, quæ tribus Canonibus primis, Sess. 6. Concilium Trid. docet:

I. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absq; diuina per Iesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit.*

II. *Si quis dixerit, ad hoc solùm diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt faciliùs homo justè viuere ac vitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit; anathema sit.*

III. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

Sed DICENT fortè, Confessionem Aug. Concilio Trid. antiquiorem esse, & Catholicos, ipsorum argumentis conuictos, à priore sua sententia recessisse: cuius mutationis initiũ longè ante factum esse insinuat Confessio August. Art. 20. his verbis (quàm verè, viderint Confessionistæ) *Olim concionatores tantùm puerilia, & non necessaria opera vrgebant: vt certas ferias, certa jeiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorũ, rosaria, monachatum, & similia. Hæc aduersarij nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, vt olim. Præterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent nos non tantùm operibus justificari; sed coniungunt fidem & opera, & dicunt, nos fide & operibus justificari. Quæ doctrina tolerabilior est priore, & plus afferre potest consolationis, quam vetus ipsorum doctrina.* Et quis credat Confessionem August. de tam grauibus erroribus, coram Cæsare, & omnibus Imperij statibus, Catholicos accusaturam fuisse, nisi tenerà ita docuissent.

RE-

Digitized by Google

RESPONDEO I. Qui Confessionem August. è scriptis Lutheri collectam nouit, facilè credere potest, ipsam, cōtra manifestam veritatem, sæpè aduersarijs affingere errores, vt eos apud incautos & rei ignaros traducat. Eodem enim spiritu, contra tam expressas definitiones, calumniatur Kemnitius, Concilium Trid. docere, Philosophos sine agnitione & fide Euangelij sola lege naturæ fuisse saluatos.

RESPONDEO II. Quod vnus aut alter Scholasticus docuit, non posse citra calumniam omnibus indifferenter Scholasticis, & multo minùs toti Ecclesiæ Rom. tanquam indubitatum ipsius dogma, adscribi. Scholastici enim illi, quorum sententias, in alienum tamen sensum distortas, oppugnat Confessio, tantæ apud nos auctoritatis non sunt, quantæ apud Confessionistas vnus Lutherus est. Cùm ergo non singulis, quæ in scriptis Lutheri extant, sententijs premi à nobis velint; multo minùs nos quorundam Scholasticorum singularibus opinionibus premere debent. Quis enim nostrûm negat, quosdam subinde Scholasticos, in rebus etiam non leuibus, hallucinatos?

DICO ergo, sententiam Gabrielis Biel, & quorundam aliorum, qua docent hominem solis naturæ viribus posse diligere Deum super omnia, & ita de congruo mereri gratiam (quanquam longè alio sensu, quàm quo explicat Confessio) non esse sententiam Ecclesiæ Rom. Imò communi aliorum Scholasticorum sententiæ repugnare. Horum enim Princeps S. Thomas, quem alij communiter sequuntur, 1. 2. q. 109. a. 5. ita docet: *Homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, sed ad hoc exigitur altior virtus, quæ est virtus gratiæ: & ideò sine gratia homo non potest mereri vitam æternam. Potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale: sicut laborare in agro, bibere, manducare, &c.* Et Art. 6. *Quòd homo inquit conuertatur ad Deum, hoc non potest esse, nisi Deo ipsum conuertente.* Item, *Homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interiùs mouentis.* Item, *Conuersio hominis ad Deum*

fit quidem per liberum arbitrium, & secundùm hoc homini præcipitur, quòd se ad Deum conuertat. Sed liberum arbitrium ad Deum conuerti non potest, nisi Deo ipsum ad se conuertente, secundùm illud Hierem. 31. Conuerte me, & conuertar. Item, *Nihil homo potest facere, nisi à Deo moueatur, secundùm illud, Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Et ideò cùm dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundùm quod est motus à Deo.*

Anne sub istis loquendi formis vel minima vmbra continetur monstrosorum dogmatum, quorum in communi Scholasticos parentes facit Confessio?

Quid quòd ipsa Apologia, non satis sui memor, in hoc ipso Art. circa finem ait: *Habent & in Scholis quædam apophthegmata consentanea nostræ sententiæ: qualia sunt, quòd opera placeant Deo propter gratiam. Item, quòd sit confidendum gratiæ, &c. Iactatur & hoc, quòd bona opera valeant virtute passionis Christi. Rectè dictum, sed fidei mentionem fieri oportuit in his sententijs.* Quòd si autem hæc tunc in scholis tradebantur, quomodo Scholasticos paulò ante toties citra iniuriam accusat, quòd doceant, homines justificari & placere Deo per opera rationis, facta sine Spiritu sancto, sepulto prorsus Christo cum suis meritis?

DICES, Ex Apolog. hoc eodem loco: Scholastici fingunt, actus voluntatis ante & post habitum primæ gratiæ esse eiusdem speciei: Ergo fingunt voluntatem per se posse diligere Deum; sed habitum illum tantùm exstimulare, vt idem faciat libentiùs: & jubent mereri hunc habitum primum per præcedentia merita.

RESPONDEO: Hanc esse nouam calumniam; quia Scholastici non docent, actum dilectionis Dei, ex solis liberi arbitrij viribus productum, esse eiusdem speciei cum eo, qui ex habitu charitatis producitur: Sed qui eiusdem speciei actum supernaturalem ante & post justificationem ponunt; docent, eum, qui justificationem antecedit, per solas liberi arbitrij vires non elici, vt cauillatur Confessio; sed per auxilium gratiæ actualis, quæ nobis à Deo propter Christi merita confertur. Quanquam Philippus malitiosè abutitur

Schola-

Scholaſticorum ſententia: Vt enim Art. 2. q. 5. dictum eſt, quando Scholaſtici docent, præcepta Dei ſolis naturæ viribus fieri poſſe quoad ſubſtantiam actuum, non de actibus ſupernaturalibus, ſed de naturalibus, V. G. de honore parentum, de fuga homicidij, adulterij, furti, &c. loquuntur: & proinde nihil aliud volunt, quàm quod in Confeſſione Auguſt. Art. 18. conceditur, Liberum arbitrium habere vires ad efficiendam ciuilem juſtitiam.

Vt autem ſub compendio appareat, quanta nos iniuriâ afficiat Confeſſio Auguſt. hanc Catholicæ Eccleſiæ Confeſſionem calumnijs eius opponimus: *Homo neque per ſolas naturæ vires vniuerſam Dei legem implere poteſt; neque, tametſi eam impleret, per ſolam hanc impletionem, citra Dei promiſſionem, Chriſti merita, & gratiam Spiritus ſancti, juſtus eſſet eâ juſtitiâ, cui debeatur vita æterna. Adeò enim ſine Chriſto nihil quiſquam poteſt, vt nec juſtificari, nec in accepta juſtitia perſeuerare ſine ſingulari Dei adiutorio, & gratiâ, propter Chriſti merita conferenda, valeat. Imò nihil quidquam quocumque modo ad juſtificationem efficaciter conducit, quod non in ſpecialem Dei gratiam referendum ſit. Nam non minima tantùm cogitatio bona nobis adſcribenda non eſt, juxta illud 2. Cor. 3. 5. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt; ſed nulla etiam actio, vel res in ſua ſubſtantia naturalis, ſi ad actualem conuerſionem occaſionem præbeat, ſingulari Dei gratiâ vacua judicari debet. Vt quòd Eunuchus Philippum rogauerit, vt in currum ſuum aſcenderet, Act. 8. 31. Quòd S. Auguſtinus ad S. Ambroſium, quamuis ſolo eloquentiæ ſtudio audiendum, acceſſerit.*

Iudicet ergo ipſi Confeſſioniſtæ, quàm ſincerè de hac controuerſia dicat Apologia, Art. de Pœnit. *Profectò non delectant nos hæ diſſenſiones in Eccleſia. Quare niſi magnas & neceſſarias cauſas haberemus diſſentiendi ab aduerſarijs, ſumma voluntate taceremus. Nunc, cùm ipſi manifeſtam veritatem damnant, non eſt integrum nobis deſerere cauſam, non noſtram, ſed Chriſti & Eccleſiæ.*

QVAESTIO II.

Vtrùm Confessio August. citra iniuriam Pelagianismi accusari possit?

ERror Pelagianorum erat, hominem ad remissionem peccati, & ad perseuerandum in justitia non egere gratia Dei; sed suis eum viribus justum fieri, & in justitia perseuerare posse: licet quandoque gratia detur, ad opera justitiæ promptiùs exequenda. Semipelagiani verò tametsi ad iustificationem gratiam Dei requirerent, initium tamen eius in hominibus ponebant: quod alij volebant esse fidem, alij voluntatem credendi, alij desiderium salutis: & per hoc initium dicebant fieri distinctionem electorum à reprobis. Vt colligitur ex Epist. Prosperi, & Hilarij, & ex S. August. lib. de prædest. Sanct. & de bono perseu. Quia ergo per præcedentem quæstionem pro instituta breuitate sufficienter, vt arbitror, ab erroribus istis purgati sumus; videndum nunc est, quid de Confessione August. dici possit.

CONCLVSIO: Confessio August. multo veriùs de Pelagianismo accusari potest, quàm Ecclesia Catholica. Probatur I. Quia qui docet homines saluandos per suam se fidem, citra Dei prædestinationem discernere à damnandis, is manifestè pelagianizat (quia initium justificationis non tribuit gratiæ Dei, sed hominis voluntati) Confessio August. docet homines saluandos per suam se fidem, citra Dei prædestinationem, discernere à damnandis: Ergò manifestè pelagianizat. Probatur minor ex verbis Apolog. hoc loco. *Sed dicat aliquis, si per misericordiam saluandi sumus, quid interest inter hos, quibus contingit salus, & quibus non contingit? Num pariter sperabunt misericordiam boni & mali?* Et respondetur: *Quoties de misericordia dicitur, intelligendum est fidē requiri, & hac fides discrimen facit inter saluandos & damnandos, inter dignos & indignos.*

Hinc enim sic argumentor: Si fidei præsentia aut absentia discrimen facit inter eos, qui misericordiam consequuntur, vel non consequuntur; ergo ipsi se credentes à non credenti-

dentibus discernunt: non autem discernuntur per misericordiam Dei. Misericordiam enim non accipiunt, nisi priùs habeant fidem: Sed antequam misericordiam obtineāt, non possunt quidquam agere ex gratia Spiritus sancti, nondum ipsos inhabitantis: Ergo vel fide, quæ ex solis liberi arbitrij viribus proficiscitur, fit discrimen saluandorum à damnandis: vel si fides ex præuia misericordia, siue gratia, oritur; primum discrimen inter saluandos & damnandos non facit fides, sed misericordia, cuius effectus est fides.

II. passim in Confessione, & Apolog. dicitur, Spiritum sanctum dari per fidem: Ergo initium justificationis in homine non est à Spiritu sancto. Si enim prima fides, quæ initium justificationis est, esset à Spiritu sancto, Spiritus sanctus non daretur per fidem, sed ante omnem fidem homini inesset.

III. Confessionis Aug. mentē pluribus explicat Philippus, in Cōfes. variata Art. 20. vbi dicit: *Sicut Vniuersalis est pœnitentiæ prædicatio, ita & promißio gratiæ Vniuersalis est, & omnes credere iubet & accipere beneficium Christi, sicut Christus inquit: Venite ad me omnes, qui onerati estis. &c.* Et paulò post: *Non est hic opus disputationibus de prædestinatione, aut similibus: nam promißio est Vniuersalis.* Ex quibus sic argumentor: vel promissio ita vniuersalis est, vt ad omnes pertineat, si modò per suas naturæ vires credere velint; vel efficaciter mouente Spiritus sancti gratia credunt aliqui, alijs non credentibus. Si prius, initium justificationis solis liberi arbitrij viribus cum Pelagianis tribuitur: si posterius, promissio vniuersalis non tollit disputationem de prædestinatione: per hanc enim Spiritus sancti gratia, ex Dei beneplacito & singulari fauore, ita præordinata est certis hominibus, vt ipsi de facto credituri sint, cùm alij non sint credituri: tametsi per Dei gratiam credere possent, si vellent.

QVAESTIO III.

Vtrùm homo in prima sui Iustificatione merè passiuè se habeat?

Qui-

QVidam Lutherani docuerunt, hominem non ſine ſua cooperatione à Deo conuerti, vt patet ex controuerſis inter Lutheranos Articulis, libro Concordiæ inſertis, Art. de libero arbitrio. Idque Confeſſioni Auguſt. conforme eſt, quæ Art. 18. docens, Liberum arbitrium non habere vim ſine Spiritu ſancto efficiendæ juſtitiæ Dei; ſatis inſinuat, per Spiritus ſancti gratiam huius juſtitiæ efficiendæ vim habere. Item locis ſuperiore quæſtione citatis tradit, promiſſionem juſtificationis eſſe vniuerſalem, & omnes inuitari, vt per fidem veniant ad Chriſtum. Neque enim rectè inuitatur, qui nulla ratione venire poteſt, ſed inſtar ſaxi ab alio moueri debet.

Nihilominùs Concordiæ liber, & moderni Lutherani ex Luthero docent, hominem naturalibus liberi arbitrij viribus nihil quidquam cooperari Deo, dum conuertitur; ſed inſtar ſtatuæ, trunci, vel lapidis ſe habere: vt in eo, tanquam in ſubiecto merè patiente, Deus operetur juſtificationem. Vnde hanc S. Baſilij ſententiam: *Hominis voluntas in conuerſione non eſt otioſa, ſed agit aliquid*, tanquam ſanæ de gratia Dei doctrinæ contrariam damnant: vt videre licet in citato libro Concord. tit. de bonis oper. & de libero arb.

Contrà hoc modo definit Concilium Trid. Seſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet; neque poſſe diſſentire ſi velit: ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſiuè ſe habere; anathema ſit.* Vide etiam cap. 6. eiusdem Seſſ.

Nota, quæſtionem non eſſe de collatione gratiæ excitantis, vel infuſione gratiæ juſtificantis: quia fatemur, hominem horum reſpectu merè paſſiuè ſe habere: tum quia gratia excitans præuenit hominis operationem; tum quia gratia juſtificans à ſolo Deo in anima producitur, non concurrente homine actiuè ad eius productionem. Quæſtio ergo tantùm eſt, an homo adultus, vt juſtificetur, aliquid per gratiam Dei agere debeat; an verò otioſus omninò ſit, & merè paſſiuè ſe habeat.

CON-

CONCLVSIO: Homo adultus in prima sui justificatione non est otiosus; sed per fidei, timoris, spei, pœnitentiæ, &c. actus animā suam disponit ad recipiendā justificationem.

Vbi nota, quamuis hos actus ante justificationem ponamus, nos tamen non dicere, solis illos liberi arbitrij viribus produci, vt cauillantur aduersarij; sed ab excitante & adiuuante Dei gratia, quæ est exordium justificationis nostræ, ita pendere, vt sine illa vtiliter ad justificationē fieri non possint: juxta illud S. Augustini, de Eccles. dogmat. c. 44. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & in credendo veritatem; hæretico fallitur spiritu, non intelligēs vocem Dei in Euangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli: Non quòd idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Probatur autem Conclusio I. Quia Scriptura passim jubet peccatores pœnitentiam agere vt justificentur: Hierem. 18. 8. Ezech. 18. 21. &c. Præparare corda sua Domino: 1. Reg. 7. 3. 2. Paralip. 12. 14. Isa. 40. 3. Matt. 3. 3. &c. Facere sibi cor nouum: Ezech. 18. 31. Conuertere se: Act. 3. 26. Venire ad Christum vt reficiantur: Matt. 11. 28. Ad quid enim infinitæ tales adhortationes in vtriusque Testamenti scriptura reperiuntur, si homo nihil per Dei gratiam agit, sed tantùm patitur? Nemo profectò statuam monet, vt se conuertat, vt accedat, vel quocumque modo se moueat: quia eius nihil aliud est, quàm circumagi, trahi, & moueri. Si ergo, vt aduersarij volunt, hominis tantùm est conuerti; frustra omninò monetur, vt ipse se conuertat. Præclarè admodùm hac de re, tum aliàs sæpè, tum lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 5. loquitur Sanctus August. *Adiutor enim noster Deus dicitur; nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur: quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.*

O Probatur

Digitized by Google

Probatur II. ex doctrina Aduersariorum, qua tradunt hominem justificari per fidem: quamuis enim vera fides sit donum Dei, & Ioan. 6. 29. vocetur opus Dei; est tamen simul ipsius hominis opus, juxta illam Christi dicto loco adhortationem: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et cùm Iudæi rogarent: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Respondit: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Ergo fides simul opus Dei est, & opus hominis: opus Dei; quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est: opus hominis; quia tametsi nemo credat, nisi ante motus à Deo, vitali tamen actione credit: vnde ipsa Confessio August. tit. de bonis operibus ait: *Inter bona opera præcipuum est, & summus cultus Dei ipsa fides.* Si ergo juxta mentem aduersariorum justificamur, dum firmiter credimus peccata nobis remitti propter Christum, aliquid agimus in justificatione nostra; non omninò otiosi sumus, aut merè passiuè nos habemus.

DICES I. Conuersio hominis non tantùm tribuitur Deo in Script. sed etiam sæpè negatur homini: Ergo ipse homo non conuertit se, sed tantùm à Deo conuertitur.

II. Homo ante justificationem comparatur lapidi, & homini mortuo: Sicut ergo lapis seipsum emollire non potest, nec homo mortuus se se ad vitam reuocare, aut ad hoc quidquam cooperari; ita homo peccator nihil cooperari potest ad recuperandam vitam suam spiritualem, siue ad sui justificationem.

RESPONDEO I. Conuersionem dupliciter considerari posse: I. vt significat translationem hominis à statu peccati in statum gratiæ Dei; & ita soli Deo tribuenda est. II. Vt significat voluntariam auersionem à peccato, & recursum ad misericordiam Dei; qualem habuit Maria Magdalena, Publicanus, Latro in cruce &c. Et hæc conuersio siquando soli Deo tribuitur; phrasi hebraicâ soli causæ principali, in sensu videlicet comparatiuo, tribuitur, quod etiam minùs principali conuenit. Quo modo Christus, Ioan. 5. 34. dicit: *Ego non*

non ab homine testimonium accipio: cum nihilominùs c. 15. 27. dicat: *Vos testimonium perhibebitis de me.* Et c. 7. 16. *Mea*, inquit, *doctrina non est mea; sed eius qui misit me Patris.* Et Matt. 10. 20. *Non vos estis qui loquimini; sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

RESPONDEO II. Peccatorem lapidi comparari, non quia nihilo plus per Dei gratiam agit, dum conuertitur, quàm lapis dum emollitur; sed quia longâ peccandi consuetudine induratur, nec suis se viribus emollire potest. Quamquam tangente Deo cor lapideum, homo non emolliatur, nisi Deo liberè cooperetur: non quidem ad productionem eius mollitiei, quam sola gratia justificans operatur; sed ad efficiendam præparationem ad mollitiem, per timorem & pœnitentiam, juxta illud Ioel. 2. 13. *Scindite corda vestra.* Hierem. 4. 4. *Aufferte præputitia cordium vestrorum. &c.*

RESPONDEO III. Peccatorem comparari homini mortuo, quòd eam vitam amiserit, quam nisi recuperet, longè meliùs foret, nunquam fuisse natum. Non autem, quòd excitatus à gratia Dei nihil quidquam agere possit, quo seipsum præparet ad vitam illam recipiendam. Quàm enim absurda esset illa Pauli vox, Ephes. 5. 15. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*; si peccator mortuo per omnia æquandus esset? Christus in filio prodigo peccatoris viuam nobis imaginem expressit, Lucæ 15. Sed hic antequam stolâ primâ indueretur à patre, quamuis mortuus esset, juxta hoc testimonium patris, v. 24. *Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit*: non merè tamen passiuè se habuit; sed in se reuersus dixit. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hîc fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.*

QVAESTIO IV.

Vtrùm peccata in iustificatione verè tollantur, an tantùm non imputentur, siue tegantur?

LVtherani cum Confessione sua docent, neminem tam perfectè in hac vita iustificari, quin in eo maneant peccata ex se verè mortifera; quamuis de facto mortem non adferant, quòd Christi meritum credentibus imputatum faciat, vt peccata, tametsi verè insint, non imputentur tamen ad pœnam. Contrà Concil. Trid. Sess. 5. in Decreto de Peccato originali ait: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: anathema sit.* Quod simili modo de peccatis actualibus, & eorum remissione intelligendum est.

CONCLVSIO: Quando in iustificatione peccata homini remittuntur, non tantùm teguntur, vel non imputantur; sed penitùs tolluntur, & ab homine remouentur. Probatur ex Script. testimoniis, quæ passim docent, tolli, deleri, auferri peccata: 1. Paralip. 2. *Obsecro Domine, aufer impietatem serui tui.* Isa. 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Psal. 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Mich. 7. *Proyciet in profundum maris peccata nostra.* Matt. 1. *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

DICES, Peccata tolluntur ab homine quando reatus peccatorum tollitur; licet in hac vita peccata quædam ex natura sua mortalia in hominibus iustis permaneant.

RESPONDEO, Duplicem esse reatum peccati; culpæ videlicet, & pœnæ: reatus culpæ non tollitur, quamdiu ipsum peccatum in homine verè manet: reatus autem pœnæ quamuis tolleretur manente culpâ, peccatum tamen propriè non diceretur tolli: quia reatus hic non est formaliter peccatum, sed effectus peccati. Videant ergo Confessionistæ, vtrùm tam multis Script. locis, in quibus peccata tolli dicuntur, nomen peccati impropriè, pro reatu pœnæ accipere possint, cùm tam grauiter in nos inuehantur, quòd, propter rationes

tiones ſup. Art. de Peccat. Orig. inſinuatas, vno cap. 7. ad Romanos, dicamus, hoc nomen aliquoties impropriè ſumi.

Prætereà, quamuis reatus pœnæ tolleretur manente culpâ, non poſſet homo dici mundari in iuſtificatione: quia non per reatum pœnæ immundus eſt coram Deo; ſed per reatum culpæ. Atqui Script. dicit, hominem in iuſtificatione mundari: Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Pſ. 50. *Aſperges me Hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* 1. Ioan. 1. *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Act. 22. *Ablue peccata tua, inuocato nomine ipſius.* Heb. 1. *Purgationem peccatorum faciēs.* 1. Cor. 6. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis.*

Item, Rom. 5. 19. ait Apoſtolus: *Sicut per inobedientiã vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi*: Atqui per vnius Adami inobedientiam verè & realiter peccatores conſtituti ſunt multi, vt fatetur Confeſſ. Art. 2. Ergo per vnius Chriſti obeditionem, verâ & reali peccatorum abolitione, juſti conſtituuntur multi. Nam, vt eodem loco argumentatur Apoſtolus, potentior eſt gratia Chriſti peccato Adami: quòd hoc ſingulos vno tantùm peccato inficiat; illa autem à plurimis peccatis liberet. Si enim non liberaret verè, ſed tantùm imputatiuè; non tam potens eſſet gratia Chriſti, quàm fuit peccatum Adami.

DICES I. Cum Apolog. Art. de Peccat. orig. Homines etiam pij quandoque dubitant de ira Dei, indignantur, quòd Deus non ſtatim eripiat ex afflictionibus, fremunt quòd impij meliore fortuna vtantur quàm boni, incitantur ira, libidine, cupiditate gloriæ, opum &c. Sed hæc ſunt peccata ex ſe verè mortalia, tametſi perfectus conſenſus non accedat: Ergo in hominibus pijs ſiue juſtificatis remanent peccata mortalia.

II. Apoſtolus, 1. Ioan. 1. 8. Reprehendit eos, qui ſe mundos à peccatis aſſerunt: *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ergo juſtificati non ſunt ab omni peccato immunes.

Digitized by Google

RESPONDEO I. Quando peccata per justificationem tolli dicimus, non volumus, nihil omninò peccati in justificatis manere; neque enim tantùm concupiſcentiam, ſed etiam peccata venialia omnibus ordinariè juſtis ineſſe fatemur. Quia vt Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 11. ait: *Iuſtorum illa vox eſt & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra.* Cùm ergo motus citra noſtram nobis voluntatem oborientes non ſint peccata mortalia (quia omne peccatum mortale voluntarium eſſe debet, vt ſup. oſtenſum eſt) non ſequitur manere in juſtificatis peccata mortalia, quamuis tales in illis motus reperiantur.

RESPONDEO II. Ioannem, quamuis communiter de peccato veniali explicetur, de mortali tamen etiam intelligi poſſe: idque dupliciter; vel de mortali præterito, juxta id quod ibidem dicit: *Si dixerimus, quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum*: vel de mortali præſente; quia quamuis juſti mortalia peccata non habeant; cùm tamen de ſua juſtitia certi non ſint, vt infra oſtendetur, dicere non debent, ſe omni peccato mortali carere: quia hoc ipſo per ſuperbiam & præſumptionem peccarent. Et proinde rectè dicit Apoſtolus, tales ſeipſos ſeducere, & veritatem in illis non eſſe: quia veritas Euangelica requirit, vt cum timore & tremore operemur ſalutem noſtram.

QVAESTIO V.

Vtrùm juſtitia hominum ſit donum Dei internum, an extrinſeca tantùm imputatio juſtitiæ Chriſti?

DVpliciter intelligi poteſt hæc quæſtio: I. An iuſtitia Chriſti, hominibus imputata, ſit cauſa iuſtitiæ eorum, in genere cauſæ efficientis moralis, ſiue cauſæ meritoriæ. II. An in genere cauſæ formalis, ita vt homo formaliter in ſe veram juſtitiam non habeat, ſed per denominationem tantùm extrinſecam reputetur juſtus, propter juſtitiam Chriſti.

De vtroque hoc modo definit Concil. Trid. Seſſ. 6. can.

19.

10. *Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.* Et can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam qua justificamur esse tantùm fauorem Dei; anathema sit.*

CONCLVSIO I. Homines fieri & esse justos per imputationem justitiæ Christi, in genere causæ meritoriæ, indubitatum est. Quia *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri,* Act. 4.12. In quê locum inquit Apolog. tit. de justif. *Nomen enim hîc significat causam, quæ allegatur, propter quam contingit salus.* Et hanc Conclusionem probant omnia Scripturæ loca, quibus abutuntur Aduersarij, vt probent, non esse aliam justitiam formalem hominis, præter imputatam justitiam Christi: vt Act. 14. *Per hunc annuntiatur vobis remissio peccatorum ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Moysis justificari.* 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Et, *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficiamur justitia Dei in ipso.* Ad Ephes. 1. *Deus nos acceptos habuit in dilecto Filio suo, &c.* Particulæ enim, Per, In, &c. in his & similibus Scripturæ locis ponuntur ad significationem causæ efficientis, eo modo, quo Prouerb. 8. dicitur: *Per me Reges regnant.* Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Rom. 1. *Per quem accepimus Apostolatum.* Rom. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quia Christus infinitis meritis suis non tantùm pro totius mundi peccatis plenissimè satisfecit; sed etiam dat pignus justitiæ in cordibus hominum, vt de seruitute Diaboli liberati, efficiantur hæredes regni cœlestis.

DICES, Scriptura non tantùm asserit nos per Christum, & in Christo justificari; sed ipsum etiam esse justitiã nostram: vt 1. Cor. 1. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & justitia, & redemptio.* Ergò non est alia justitia nostra, quàm nobis imputata justitia Christi.

RE-

RESPONDEO, Christum dici justitiam nostram, sicut Deus dicitur *Fortitudo nostra*. Ps. 17. *Patientia nostra.* Ps. 70. *Salus nostra.* Ps. 26. Quod Ps. 36. ita explicatur: *Salus autem justorum à Domino.*

Item Christum in allata sententia dici justitiam nostram, sicut dicitur redemptio nostra: vt ergo non sumus redempti eâ redemptione, qua Christus redemptus est; sed eâ, quam nobis per merita sua impetrauit: ita non dicimur justi per justitiam, qua ipse justus est; sed per eam, quam nobis Deus propter ipsum, de cuius plenitudine omnes accipere debemus, infundit, vt ex dicendis clariùs patebit.

CONCLVSIO II. Homines non sunt formaliter justi propter extrinsecam tantùm imputationē justitiæ Christi. Probatur I. Quia quæcumque in contrarium ab Aduersariis adducuntur, in genere causæ efficientis intelligenda sunt, vt ostensum est. Et confirmatur: Quia cùm citato ad Cor. loco dicatur Christus redemptio nostra, sicut dicitur justitia nostra; si homines justi essent, quia censentur eam justitiam habere, quam Christus habet; etiam vocandi essent redemptores mundi, sicut Christus vocatur.

Item eodem loco dicitur Christus sapientia nostra: Atqui homo non est vocandus sapiens in Christo, si nihil quidquam sapientiæ in se recipiat: nisi Aduersarij velint, se sapientes esse in Christo, sicut in illo justi sunt, id est, quemadmodum reputantur justi, quamuis veram justitiam in se non habeant; ita reputari se sapientes, quamuis verâ sapientiâ careant, & parū de diuinis mysteriis intelligant. Quòd si ita est, non ægrè feremus, si tale de nobis judicium forment, quale de Theologis, Confessionem refutantibus, in Apolog. formatur, his verbis: *Quæ Aduersarij ex Paulo recitant, non magis intelligunt, quàm parietes intelligunt vocem, quam reddunt.* Concedemus etiam facilè, vt hac sua persuasione in sinu gaudeāt, quam in Apolog. de Pœnit. tradunt: *Nos scimus, hanc quam diximus veram & germanam sententiam Pauli esse; scimus, hanc nostram sententiam pijs conscientijs firmam consolationem adferre:*

sine

sine qua nemo consistere in judicio Dei queat. Cùm de Catholicis in Apolog. de justif. circa principium dicatur: *Aduersarij, cùm, neque quid remissio peccatorum, neque quid fides, neque quid gratia, neque quid justitia sit, intelligant; miserè contaminant hunc locum.* Et sanè qualis sapientia sit, qua quis præ se omnes alios desipere judicat, facilè quiuis æstimare potest.

Interim miror, tam sibi videri certos Aduersarios, & tam esse insensibiles, vt non aliquando tales cogitationes concipiant, qualibus sæpè Lutherus vexatus est, quantumuis aliàs se certum esse clamet, doctrinã suam esse de cælo. Nam libro de abrog. missa priuata ad FF. August. Wittenberg. in præfat. ait: *Sibi sæpè palpitasse cor tremulum, & reprehendens obiecisse: Tu solus sapis? Tanta secula ignorarunt? Quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas, damnandos æternaliter?* Quin & Philippus, in Locis, aliquot annis postquam Confessionem August. composuit, editis, satis ostendit, quàm de hac doctrina sua certus fuerit, dum in Epistola dedicatoria ad Regem Angliæ ait: *Ego ex animo veneror Ecclesiam Christi Catholicã, eiusque sententiam omni studio amplector. Nec velim vnquam à judicijs bonorum & doctorum in Ecclesia dissentire. Proinde hunc meum Commentarium exhibeo Maiestati T. non vt patronum mihi, si quid erro, sed vt in grauissimis controuersijs Censorem quæram.* Verùm de his satis.

Probatur Conclusio II. Si homines justi & filij Dei vocantur, quia justitia Christi illis imputatur; etiam Christus peccator, & quod Christianæ aures horrent, filius Diaboli vocandus erit, quia nostra illi peccata imputata sunt, juxta illud Isa. 53. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrûm.* 2. Cor. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Atqui nusquam in Script. vocatur Christus peccator; sed peccatum dicitur per tropum, id est, hostia pro peccato, vt explicat ipsa Apolog. Art. de missa. Et ad Galat. 3. 13. vocatur maledictũ, quia plurimis se maledictis, & opprobrio crucis pro nobis voluntariè subiecit. Passim autem appellatur Sanctus, innocens, impollutus, &c. Ergo si justi non aliter habent justi-

tiam, quàm Christus habuit peccatum, non possunt verè & propriè dici justi; sed absolutè dicendi sunt impij, scelerati, filij Diaboli, &c. Ratio huius est, quia cùm aliquis denominandus est ab aliqua contrariarum formarum, absolutè denominandus est à forma intrinseca, non ab extrinseca: vt quamuis æthiops sit alba veste indutus; absolutè tamen non albus, sed niger dicendus est. Ergo quamuis homo solo quasi pallio justitiæ Christi tectus esset, si tamen in se verè injustus maneret, absolutè talis esset appellandus.

DICES: Apostolus ad Ephes. 4. 24. ait: *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est*: Ergo non justificamur nisi justitiâ noui hominis, id est, Christi, extrinsecùs nobis imputatâ: hoc enim significat similitudo indumenti.

RESPONDEO, Similitudinem indumenti non extrinsecam, sed intrinsecam justitiam hîc significare: opponit enim Paulus hæc duo, induere nouum hominem, & deponere veterem: quia v. 22 dicit: *Deponite secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.* Sicut ergo verbis istis intrinsecam nos malitiam tollere jubet, ita illis in obiectione citatis intrinsecè nos vult renouari: ait enim: *Renouamini autem spiritu mentis vestræ & induite nouum hominem.* Atque idem ijsdem penè verbis repetit ad Colos. 3. 9. dicens: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundùm imaginem eius, qui creauit illum.* Et paulò post: *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, &c.* Quid enim absurdius, quam dicere, Apostolum non jubere vt hæc intrinsecùs nobis insint, sed extrinsecùs tantùm imputentur, quia similitudine indumenti vtitur?

Est autem hic modus loquendi secundùm phrasin hebraicam, qua aliquis indutus eo dicitur, quo maximè abundat: vt Iudicum 6. 34. dicitur Spiritus Domini induisse Gedeonem, quia copiosissimè in eum descendit: & Dauid, Ps. 108. 18. ait: *Induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit*

Digitized by Google

nit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius: & alibi paſſim: *Induantur*, inquit, *confuſione*, id eſt, impleantur.

Porro ſimilitudo indumenti juſtitiæ ſanctorum maximè conuenit, quamuis non in omnibus æquiparanda ſit; quia ſicut indumentum nobiſcum non naſcitur, ſed aliunde aduenit; ſic juſtitia coram Deo non eſt nobis connaturalis, ſed ab ipſo Deo ſupernaturaliter infunditur. Vnde S. Auguſt. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli rectè ait: *Sacerdotes induantur juſtitia. Veſtis accipitur, non cum capillis naſcitur: pecora de ſuo veſtiuntur.* Quæ etiam ratio eſt, cur juſtitia veſti nuptiali comparetur, Matt. 22. Et ſtolæ primæ, Lucæ 15.

CONCLVSIO III. Iuſtitia, qua homines ex filijs Diaboli conſtituuntur filij & hæredes Dei, eſt donum gratuitum, diffuſum in mentibus hominum, quo in conſpectu Dei verè ſanctificantur, non tantùm ſancti reputantur. Probatur I. ex illo Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Ad Titum. 3. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.* Item ex illo Ioan. 4. 14 *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et cap. 7. 38. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: & ſubiungit Euangeliſta: *Hoc autem dixit de ſpiritu, quem erãt accepturi credentes in eum.* Ergo Spiritus ſanctus per gratiam ſuam verè ineſt juſtis, & eſt in illis fons aquæ ſalientis in vitam æternam, id eſt, origo bonorum operum ducentium in vitam æternam.

II. Probatur ex ijs locis, in quibus gratia juſtorum comparatur pignori, ſigillo, vnctioni, ſemini; quæ omnia qualitatem intrinſecam ſignificant: 2. Cor. 1. 22. *Qui vnxit nos, & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris* 1. Ioan. 2. 27. *Vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* & c. 3. 9. *Qui natus eſt ex Deo, peccatũ non facit: quia ſemen eius manet in eo.*

Probatur III. ex ijs locis, in quibus homines dicuntur regenerari, ſanctificari, mundari, dum juſtificantur: vt cit. ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Ioan. 17.

15. 6. verba hebræa ita sonent: *Credidit Abraham Deo, & reputauit illam*, scilicet fidem, *illi Deus ad justitiam.*

RESPONDEO II. Fidem viuam Abrahæ reputatam esse ad justitiam, quia per illam verè, intrinsecè, & formaliter justificatus est. Cùm enim *judicium Dei sit secundùm veritatem*, Rom. 2. 2. quos Deus reputat justos, ij verè, & intrinsecè tales sunt. Nam verbum reputandi non ita hoc loco accipiendum esse, prout significat aliquid pro tali habere, quod tale non est (vt cùm dicimus: *Voluntas pro facto reputatur*) patet ex v. 8. cit. c. ad Rom. vbi peccata dicũtur imputari, quæ verè insunt homini: sicut & Deut. 24. 15. dicitur detentio mercedis alienæ reputari in peccatum.

RESPONDEO III. Apostolum in eadem Epist. c. 5. 11. satis ostendere justitiam hominum non consistere in solo fauore externo: *Gloriamur*, inquit, *in Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem nunc reconciliationem accepimus.* Quid enim sit accipere reconciliationẽ, explicat v. 17. *Abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes regnabunt in vita per ipsum.*

RESPONDEO IV. cum S. August. Gratiam Christi dici, non qua ipse Christus Deo gratus est; sed quam meritis eius acceptam referre debemus. Nam & fides nostra fides Christi dicitur, non qua ipse Christus credit; sed qua nos credentes facit. Neque tantùm gratiâ Christi hominis dicimur Deo grati; sed etiam justi justitia Dei: 2 Cor. 5. 21. *Vt nos efficiamur justitia Dei in ipso*: Sed nemo ideò dicit, homines esse justos per justitiam Dei illis imputatã, sed per justitiam à Deo collatam: Ergo non sequitur homines esse justos per solam justitiam Christi credentibus imputatam, ex eo, quòd justitia hominum vocetur justitia Christi.

COLLIGES ex dictis, justificationẽ non consistere in sola remissione peccatorum; sed multò magis in dono interno, quo homo ex hærede damnationis æternæ fit hæres regni cælestis, & vt loquitur S. Petrus, 2. Epist. c. 1. 4. *Diuinæ consors naturæ.* Nam quemadmodum Rex condonans reo culpam,

propter quam jure plecti posset, per hoc solum non constituit eum hæredem regni sui; ita Deus solâ peccatorum remissione culpam & pœnam æternam tantùm condonat; justificat autem hominem per speciale donum internum, cui hæreditario jure respondet gloria cœlestis: Et confirmatur illo Rom. 4. 25. *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Quo loco insinuatur, mortem Christi esse figuram & causam mortis peccatorum in nobis (ideoque in eadem Epist. sæpè dicitur, nos mortuos esse peccato, id est, peccatum per sui remissioné in nobis extinctum esse) Resurrectionem autem esse figuram renouationis internæ. Vnde S. August. Enchirid. c. 52. rectè ait: *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.*

QVAESTIO VI.

An, & quomodo gratis justificemur?

CONCLVSIO I. Certissimum, & inter nos & aduersarios indubitatum est, homines gratis à Deo justificari: Quia Script. hoc clarissimè sæpè tradit: vt Rom. 3. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Ephes. 3. 8. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Apoc. 22. 17. *Qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. &c.*

CONCLVSIO II. *Gratis justificamur* (vt Concil. Trid. Sess. 6. cap. 8. loquitur) *quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus, alioqui, vt idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.* Cui consonat, quod idem Apost. ad Tit. 3. ait: *Cùm autẽ apparuit benignitas & charitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos; sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt justificati gratia ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.*

DI-

Digitized by Google

DICES: Huic doctrinæ repugnant multi Scholastici, qui docent hominem vel per fidem, vel per opera justificationem præcedentia de congruo mereri justificationem. Imò quidam addunt, Deum homini ita congruè disposito necessariò dare gratiam, non quidem necessitate coactionis, sed immutabilitatis.

RESPONDEO I. Doctrinam de merito congruo non esse vniuersalem doctrinam Ecclesiæ nostræ, sed particularem quorundam Scholasticorum: & ideò, quidquid de hac doctrina sit, Ecclesiam Catholicam eâ premi non posse.

RESPONDEO II. Doctrinam de merito congruo non repugnare doctrinæ Pauli de justificatione gratuita: quia ipsum meritum de congruo gratiæ Dei, ex communi Scholasticorum sententia, tribuendum est: vnde quidquid eius intuitu confertur, gratuitum judicari debet. Quando verò quidam Scholastici docent, Deum, necessitate immutabilitatis, congruè dispositos justificare; nihil aliud volunt, quàm Deum ex mera misericordia decreuisse talibus conferre justitiam; & quia decretum suum mutare non potest, ex suppositione necessariò ita facere. Hoc autem gratuitæ justificationi nihil quidquam repugnat: quia S. August. vt alios omittam, singularis gratiæ Dei assertor, tale meritum ante justificationem agnoscit, dum Epist. 105. ait: *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat: neque enim nullum est fidei meritum.*

QVAESTIO VII.

Vtrùm sola fides justificet?

AFfirmat passim Confessio; hoc tamen sensu: quòd nullâ aliâ re coram Deo justificemur, quàm fide; tametsi per fidem justificatus opera bona exercere debeat. Fidem enim sine operibus mortuam esse; non quòd vitam suam fides ab operibus accipiat; sed quòd fidei viuæ effectus & fructus sint bona opera. Vnde colligere liceat, non esse fidem viuam in eo, qui bona opera non exercet; sicut colligere

ligere licet, hominem esse mortuum, in quo nullæ reperiantur actiones vitales. Per nihil autem aliud justificari posse hominem, quòd omnia quæ ante justificationem facit mala sint. Hinc enim dicit Apologia, absurdam esse sententiam Catholicorum, quòd justificemur per actum illicitum dilectionis. Addunt tamen, vt loquitur Confess. variata, Art. 20. *Cùm dicimus: fide justificamur, non hoc intelligimus, quòd justi simus propter ipsius virtutis dignitatem; sed hæc est sententia, consequi nos remissionē peccatorum, & imputationem justitiæ per misericordiam propter Christum. Verùm hæc misericordia non potest accipi, nisi fide.*

Contrà hoc modò definit Concil. Trid. Sess. 6 can. 9. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari; ita vt intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit.*

CONCLVSIO I. Certum est, fidem veram ita justificare coram Deo, vt citra illam nemo justificetur: Quia id passim asserunt Scriptores Sacri, præsertim Paulus in Epist. suis, vt ad Rom. 3. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Et v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius.* Rom. 5. 1. *Iustificati ex fide pacem habemus ad Deum.* Heb. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

CONCLVSIO II. Nihilominùs per solam fidem non justificamur. Probatur I. Quia in peccatoribus præter fidem, antequam justificentur, requiritur pœnitentia: Ergo non justificantur per solam fidē. Probatur consequentia: Quia si per solam fidem justificarentur, ante pœnitentiam justificarentur; vera enim pœnitentia est fide & justificatione posterior, vt docēt Lutherani. Probari autem potest antecedens ex plurimis Script. locis, vt illo Sap 11. 24. *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Hierem. 18 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eā; agā & ego pœnitētiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Ezech, 18. 21. *Si impius*

Digitized by Google

pius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. Vita viuet, & non morietur. Et c. 33. 15. *Si autem dixero impio: morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, &c. Vita viuet, & non morietur: quæ peccauit non imputabuntur ei.* Luc. 13. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Si enim Deus dissimulat peccata propter pœnitentiam; si remittit malum, quod inferre cogitauit, sub conditione pœnitentiæ; & sub eadem non imputat peccata; ita vt citra illam omnes perituri sint; manifestum est hominem per solam fidem non justificari: aliàs enim sine pœnitentia, quæ, vt dixi, secundùm Lutheranos fide posterior est, justificaretur.

Adde I. quòd nusquam Script. moneat peccatores, vt credant sibi remissa esse peccata, & ita justificetur; sicut monet, vt pœnitentiam agant: Nam Matt. 3. 2. summa totius prædicationis Ioannis describitur fuisse talis: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Et idem fuisse initium prædicationis Christi, docetur Matt. 4. 17. Similiter Apostolos statim post vocationem suam prædicasse vbique vt pœnitentiam agerent, testatur Marcus c. 6. 12. Et Lucas c. 24. tradit, Christum aperuisse Discipulis suis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixisse: *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum*: per pœnitentiam videlicet acquirendam. Nam vt 2. Cor. 7. 10. dicit Apostolus: *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et Act. 11. 18. dicitur: *Et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Adde II. Exempla eorum, qui post peccata indulgentiam & justificationem, non per fidem specialem, quâ certò statuerent, sibi remissa esse peccata; sed per pœnitentiam, videlicet per agnitionem peccatorum, per dolorem de illis, & per lachrymas à Deo quæsiuerunt: vt Petrus, Matt. 26. Maria Magdalena, Luc. 7. Publicanus, Luc. 18. Latro in cruce, Luc. 23. &c.

II. probatur conclusio ex illo. 1. Cor. 13. 2. *Si habuero*

omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero; nihil sum. Tametsi enim concederemus aduersariis, Apostolum hîc conditionem impossibilem ponere, eò quod vera fides non possit esse sine charitate; tamen cum Caluino in antidot. non rectè hunc in modum Philosopharentur: Quêadmodùm calor solis non potest esse sine splendore, solus tamen calefacit; ita fides non potest esse sine charitate, sola tamen justificat. Si enim de calore solis verè diceretur: Tametsi terra omnem in se calorem reciperet, splendorem autem non haberet, non foret vlla ratione calida: sequeretur terram non per solum calorem calefieri; sed etiam per splendorem: ita cùm dicat Apostolus, nihil esse hominem, si omnem fidem habeat, charitatem autem non habeat (siue fides esse possit sine charitate, siue non possit) sequitur non solam fidem facere, vt homo sit aliquid coram Deo. Nam sicut falsa est ista locutio de calore solis, quia splendor calorem efficit, non quà splendor, sed quà virtualiter calor est: & ideò si terra calorem haberet citra splendorem, adhuc esset verè calida. Ita falsa esset locutio Pauli, si sola fides justificaret: quamuis enim fides esse non posset sine charitate; falsò tamen diceretur: Si per impossibile sola fides esset sine charitate, non justificaret. Ergo ex mente Apostoli sola fides non justificat; sed cum ea, & magis quàm ea, justificat charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur. Hanc enim ob causam charitatem loco citato fidei præfert Apostolus. Et rectè S. August. lib. de nat. & grat. c. vlt. ait: *Inchoata charitas, inchoata justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est.*

III. Quod est tantùm initium & fundamentum justificationis nostræ, hoc solum non justificat: Fides est tantùm initium & fundamentum justificationis nostræ, juxta illud Heb. 11. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Id est, prima motio, per quam homo incipit Deo appropinquare, est fides. Ioan. 1. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ergo qui Christum

Digitized by Google

lum receperunt per fidem, per hoc ſolum non fuerunt filij Dei; ſed poteſtatẽ acceperunt, vt fierent filij Dei: vt valdè probabiliter Theophylact. & alij exponunt. Vnde cit. Heb. 11. 1. vocatur fides *ſperandarum ſubſtantia*, ſiue fundamentum *rerum.* Quibus conſonant SS. Patres: Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. c. 9. *Ianua*, inquit, *& via ad vitam fides erit.* Ignatius Epiſt. ad Philipp. *Principium vitæ eſt fides; finis verò eius dilectio: ambæ autem ſimul junctæ, & in vnitate factæ hominem Dei perficiunt.* Clemens Alex. lib. 2. Stromat: *Præcedit fides, timor autem ædificat, perficit autem dilectio.* Ambroſius ſerm. 20. in Pſal. 118. in tractans illud: *Principium verborum tuorum veritas. Fides,* inquit, *principium Chriſtiani eſt; plenitudo autem Chriſtiani, juſtitia eſt.* Auguſtinus ſerm. 16. de verb. Apoſt. *A fide incipit homo; ſed quia & Dæmones credunt, neceſſè eſt addere ſpem & charitatẽ.* Et ſerm. 22. *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Quarè meritò dicit Apoſtolus, Rom. 5. 5. Spem ſiue fiduciam in Deum non confundere, *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Id eſt, ſpem noſtram, quæ fidem ſupponit, inanem fiduciam eſſe, niſi charitas Dei ſit in nobis.

IV. Sicut vita juſti fundamentaliter conſiſtit in fide, juxta illud Rom. 1. 17. *Iuſtus ex fide viuit*; ita ipſius fidei vita totaliter conſiſtit in charitate, ſine qua *mortua* dicitur, Iacob. 2. 17. Et *fides per charitatem operatur*, ad Galat. 5. 6. idque in ſenſu paſſiuo, vt idem ſit, quod agitur vel mouetur: ſicut corpus agitur & mouetur ab anima. Quia græcè habetur ἐνεργουμένη, quod vocabulum occultam vim, & energiam, quam charitas fidei tribuit, ſignificat. Quare ita verti poſſet: *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, per charitatem animata & efficax.*

V. Sola fides, in homine poſt peccatum, & ante juſtificationem exiſtens, non eſt opus bonum, ſecũdùm Confeſſioniſtas; ſed opus diſplicens Deo, & magis ex ſe damnans. Ergo ſola fides juſtificare non poteſt. Probatur antecedens: Quia omnia opera, ante juſtificationem ab homine facta, mala ſunt, vt ſæpiùs in Confeſſione dicitur: Actus fidei, per

quam justificari dicunt hominem, exercetur ante justificationem (quia est instrumentum justificationis acquirendæ) Ergo actus talis malus est, & consequenter magis damnat, quàm justificat. Itaque sicut Apolog. tit. de justif. dicit: *Hoc imprudentissimè scribitur ab aduersarijs, quòd homines, rei æternæ iræ, mereantur remissionem peccatorum, per actum illicitum dilectionis* (quamquam hoc falsissimum est) ita nos argumentamur, contra omnē rationem dicere Lutheranos, quòd peccatores justificentur per solam fidem, cùm actus fidei, ante justificationē productus, secundùm ipsos illicitus sit, & damnabilis.

Obijcies ex Apolog. loc. cit. I. *Non potest offendere particula illa, Sola, cùm Paulus dicat: Arbitramur hominem justificari fide; non ex operibus, Rom. 3. Item ad Ephes. 2. Dei donum est, non ex vobis, ne quis glorietur. Rom. 3. Gratis justificati. Si displicet exclusiua, Sola; tollant etiam ex Paulo illas exclusiuas, Gratis, Non ex operibus, Donum est. Excludimus autem opinionem meriti; non excludimus verbum aut Sacramēta, vt calumniantur aduersarij.*

II. *Consequi remissionem peccatorum est justificari, juxta illud: Beati quorum remissa sunt iniquitates. Sed sola fide in Christum consequimur remissionem peccatorum: Ergo sola fide justificamur. Probatur minor: Quia sola fide vincuntur terrores peccati, & mortis æternæ, juxta illud Rom. 5. Per ipsum habemus accessum ad Patrē per fidē. Huic omnes Prophetæ testimoniū perhibēt, remissionem peccatorū accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Quomodò potuit clariùs dicere? Remissionem peccatorum accipimus, inquit, per nomen eius, hoc est, propter eum. Ergo non propter nostra merita, non propter nostram contritionem, attritionem, dilectionē, cultus, opera. Et addit: Cùm credimus in eum: Requirit igitur fidem.* Et paulò pòst plurima citantur Script. loca, quibus homo per fidem justificari, & saluari dicitur.

III. *Certum est, remitti peccata propter Christum, Rom. 3. Quem posuit Deus propitiatorem per fidem. Itaque nobis prodest hic propitiator, cùm fide apprehendimus promissam in eo misericordiam, & opponimus eam iræ ac judicio Dei. Et in eandem sententiam scriptum est ad Heb. 4. Habentes Pontificem accedamus cum fiducia.*

Iubet

Digitized by Google

Iubet enim accedere ad Deum, non fiduciâ nostrorum meritorum; sed fiducia Pontificis Christi. Requirit igitur fidem.

IV. *Remissio peccatorum est res promissa propter Christum: Igitur non potest accipi nisi sola fide, Rom. 4. Ideò ex fide, vt sit firma promissio secundùm gratiam. Quasi dicat: si penderet res ex meritis nostris, incerta & inutilis esset promissio. Ideò Paulus ait, Galat. 3. Conclusit Deus omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus.*

V. Veteres Scriptores Ecclesiastici docuerunt, solam fidem justificare: *Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est à Deo, vt, qui credit in Christum, saluus sit sine opere, solâ fide; gratis accipiens remissionem peccatorum.* Ita Confessio, Art. 6.

RESPONDEO I. Neminem ante Lutheri tempora offensum ijs Patrum testimoniis, quibus docent, solam fidem justificare: quia nimirum hoc eodem sensu docent, quo Apostolus in obiectione citatus dicit, nos gratis, non ex operibus nostris justificari. Et si nihil aliud vellent Aduersarij, quam per particulam, *Sola*, excludere operum meritum ante justificationem, vt Confessio subdolè insinuat; neque offenderemur eorum doctrinâ, neq; quidquam contrà diceremus. Nunc autem quia ita sola fide justificari docent hominem, vt ipse justitiam internam non habens, sed per fidem justitiam Christi apprehendens, & certò statuens sibi propter Christum remissa esse peccata, reputetur coram Deo justus; quamuis in se verè peccator maneat, & odio Dei, ac æterna damnatione dignus; meritò offendimur. Id enim hac doctrina persuadere volunt, quod nusquam Scriptura, nusquam orthodoxi Patres docent. Et quia Lutherus, vt nouæ doctrinæ suæ colorem aliquem induceret, antiquum Pauli textum, Rom. 3. deprauauit (Nam vbi Paulus ait: *Arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis*; Lutherus ex additione sua legit: *Arbitramur justificari hominem per solam fidem*) non possumus non offendi.

RESPONDEO II. Quamuis justificari non est tantùm remissionem peccatorum consequi, sed etiam interiùs per

Spiritum ſanctum renouari, vt ex dictis conſtat; quia tamen ſimul iuſtificantur homines, quando peccata ipſis remittuntur; per ſolam fidem, ſenſu Lutherano, non remitti peccata: ſed licet ex ſola miſericordia Dei & meritis ſatisfactoriis Chriſti remittantur; ex parte tamen noſtra, vt alia omittam, requiri pœnitentiam, & dignam Sacramentorum ſuſceptionem. Pœnitentiam quidem, vt in concluſione probatum eſt; Sacramentorum autem ſuſceptionem, vt in obiectione prima fatetur Apologia. Scripturæ autem teſtimonia, quæ fidei iuſtificationem tribuunt, nihil contra nos faciunt: quia neque dicunt, per ſolam nos fidem iuſtificari; neque nos negamus, fidem eſſe cauſam juſtificationis; quamuis ſenſu Lutherano non ſola juſtificet: hoc enim Scriptura nuſquam aſſerit.

RESPONDEO III. Non eo ſolo nos juſtificari, quo promiſſionem Dei apprehendimus; ſed quo res à Deo promiſſa nobis applicatur. Res autem promiſſa eſt juſtitia & ſalus æterna, quæ non applicatur nobis per ſolam fidem, vt ex dictis cõſtat. Fatemur tamé nos judicio Dei nec fidé, nec opera, neque adeò juſtitiam noſtram, tanquam pro peccatis ſatisfactoriam, opponere poſſe: ſolius enim Chriſti merita ſunt propitiatio pro peccatis noſtris. Hæc autem propitiatio nobis applicatur, quando ex vera fide ad miſericordiam Dei confugimus, & pœnitentiam agimus: non in pœnitentia noſtra, tanquam ex ſe remiſſione peccatorum dignâ, ſed in Chriſti meritis confidentes. Præter hæc enim nihil quidquam cogitari poteſt, non tantùm in homine peccatore, ſed etiam in juſtiſſimo, vel ſupremo Angelo, quod dignè ſatisfaciat pro minimo peccato mortali. Videant ergo Aduerſarij, quanta ſit calumnia, qua nos docere dicunt, hominem conſequi remiſſionem peccatorum per vires naturales, per propria opera, ſepulto Chriſto cum ſuis meritis. &c.

RESPONDEO IV. Promiſſionem Dei de remiſſione peccatorum fide accipi poſſe duplici ſenſu: I. Quia promiſſionem hanc tanquam certam & infallibilem tenemus per fidem, & de illa non dubitamus; quo ſenſu concedimus per

ſolam

ſolam fidem haberi hanc promiſſionem: quia per fidem ſolam in ſymbolo Apoſtolorum tanquam indubitatum Articulum profitemur, *Remiſſionem peccatorum*. II. Intelligi poteſt ſola fide accipi promiſſionem de remiſſione peccatorum, id eſt, per ſolam fidem peccata remitti: & hunc ſenſum negamus; quamuis Aduerſarij per petitionem principii eum millies inculcent, nullo Scripturæ teſtimonio probantes.

RESPONDEO V. Negari non poſſe, S. Ambroſium & alios Patres aliquando dicere, nos ſola fide juſtificari, idque diuerſis ſignificationibus, ſed nullâ, quæ doctrinæ Aduerſariorum faueat: Sanctus enim Ambroſius, in Commét. Epiſt. ad Rom. illud capitis 3. quo maximè gloriantur Aduerſarii: *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis;* ita exponit: *Gentilem dicit hominem pro certo haberi, quòd juſtificetur credens, nulla faciens opera legis, id eſt, ſine circumciſione, aut neomenijs, aut veneratione ſabbathi.* Item illud v. 23. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,* ita explicat: *Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola fide juſtificati ſunt, dono Dei*: ideſt, ſine merito operum ſuorum, per ſolam Dei miſericordiam: quod & nos docemus. Quando autem ad illud Cap. 4. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,* dicit: *Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata tegũtur: nulla ab his requiſita pœnitẽtiæ opera, niſi tãtùm vt credãt.* (Quibus verbis ita ſolã fidẽ cõmẽdare videtur, ac ſi pœnitentia ante juſtificationẽ non requiratur) de hominibus baptizandis loquitur, à quibus non requiritur, vt pœnitentiæ opera exerceant, ſed tantùm vt credant, & baptiſmum ſuſcipiant. Obijcit enim ſibi paulò pòſt: *Quemadmodum autem ad pœnitentium perſonam poteſt pertinere cùm dicit: Beati quorum tecta ſunt peccata; cum conſtet pœnitentes labore & gemitu remiſſionem acquirere,* Et reſpondet: *Propheta tempus fœlix prauidens, in Saluatoris aduentu, beatos nuncupat, quibus ſine labore, vel aliquo opere, per lauacrum remittuntur, & teguntur, & non imputantur peccata.*

Præterea Origines in c. 3. Epiſt. ad Rom. inquiens: *Et dicit Apoſtolus, ſufficere ſolius fidei juſtificationem, ita vt credens quis*

quis tantummodò justificetur; etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum: nihil aliud vult, quàm hominem bonis operibus instructum esse non debere, antequam justificetur. Adducit enim exempla Mariæ Magdalenæ, & Latronis, qui antequam justificarentur nulla opera, nisi mala, habebant: quamuis non per solam fidem justificati sunt: constat enim Latronem de peccatis pœnituisse, & de Maria Magdalena Luc. 7. inquit Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

S. Hilarius, in c. 9. Matt. dicens: *Mouet Scribas, remissum ab homine peccatum (hominem enim tantùm in Christo Iesu contuebantur) & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat: Fides enim sola justificat.* A justificatione legem Moysis excludit, quam cum fide comparat, vt sensus huius dicti, *Sola fides justificat*, sit talis, ex duobus istis, fide & lege, non lex, sed fides justificat.

S. Basilius, Homil. de humilitate dicens: *Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat; sed nouit quidem se ipsum veræ justitiæ indigum; sola autem fide in Christum justificatum*: per particulam, *Sola*, excludit ea, quæ ante fidem solius naturæ viribus fiunt: & ideò monet, vt justitiam nostram non nobis, sed Deo tribuamus.

S. Chrysostomus, per hæc verba, in Homil. de fide & lege naturæ: *Eum, qui operatur opera justitiæ sine fide, non possum probare viuum fuisse; fidelem autem absq; operibus possum monstrare & vixisse, & regnum cælorum assecutum. Nullus sine fide, vitam habuit; Latro autem credidit tantùm, & justificatus est à misericordissimo Deo*: opera externa, vt jejunia, eleemosynas &c. dicit ad primam justificationem non esse necessaria: non autem excludit alias actiones internas, quas præter fidem in Latrone, quem adducit, fuisse ex Scriptura colligimus. Per illa autem, Homil. 3. in Epist. ad Tit. *Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides justificare non sufficiat sola?* à justificatione opera cæremonialia antiquæ legis excludit. Addit enim: *Quid te spontaneæ seruituti subdis, & legis jugo collum submittis?* S. Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 21. dicens: *Quantalibet fuisse*

virtutis

virtutis antiquos prædices Iustos; non eos saluos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit: nihil aliud vult, quàm antiquos Patres sine fide non esse iustificatos; ita vt nulla eis virtutum opera ad salutem profutura fuissent, si fide caruissent. Quando autem lib. 83. quæstionum, quæst. 76. ait: *Si quis, cùm crediderit, mox de hac vita decesserit; iustificatio fidei manet cum illo: nec præcedentibus bonis operibus; quia non merito ad illam sed gratia peruenit: nec consequentibus; quia in vita esse non sinitur*: vult hominem saluari posse per iustificationem fidei sine operibus, vel iustificationem antecedentibus; quia gratis iustificatus est: vel consequentibus; quia ante moritur, quàm talia opera elicere possit. Interim non iustificari hominem nisi per fidem charitate formatam constat, tum ex aliis multis S. August. locis, tum ex lib. 15. de Trinit. c. 18. vbi ait: *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse.*

S. denique Leo, quando Epist. 70. ait: *Sola fides Catholica viuificat & sanctificat*; fidem opponit sectis, veræ fidei contrariis, & dicit solam Catholicam saluare; quia in nulla alia fide saluari quisquam potest. Vt etiam definit Martinus V. in Bulla, qua condemnat errores Wicleff. & Hus. Quòd autem fides Catholica, qua iustificantur & saluantur homines, non sit ea, quam Lutherani obtrudunt, patet ex his eiusdem Leonis verbis, Epist. 4. de Epiphan. *Hoc est, quod iustificat impium, hoc est, quod de peccatoribus facit sanctos; si in vno eodemque Domino Iesu Christo & vera Deitas, & vera credatur humanitas.* De quo per sequentem quæstionem latiùs.

Et hæ responsiones ad omnia ferè dicta Patrum, quæ Cõfessionistæ pro sua parte adducere solent, applicari possunt.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm fides iustificans sit specialis fiducia de remissione peccatorum?

DE hac re ita loquitur Confessio variata, Art. 4. *Fidei vocabulum non solùm cognitionem historiæ de Christo significat; sed*

sed etiam credere & assentiri huic promissioni, quæ est Euangelij propria, in qua propter Christum nobis promittuntur remissio peccatorum, justificatio, & vita æterna. Nam & hæc promissio ad historiam de Christo pertinet: sicut & in symbolo additus est historiæ hic articulus: Credo remissionem peccatorum. Et Melanchthon in Locis An. 1536. editis, tit. de gratia & justif. *Fides,* inquit, *significat haud dubiè in hac causa apud Paulum fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum. Etsi autem indocti quidam Sycophantæ rabiosè reclamant, & negant fide significari fiduciam misericordiæ; tamen nihil dubito prouocare ad omnes doctos & bonos viros.*

Contrà Concil. Trid. Sess. 6. can. 12. hoc modo definit: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua justificamur; anathema sit.*

Nota, non esse quæstionem, an credendus sit hic articulus fidei: *Remissionem peccatorum*; quia nemo Catholicus eum credendum negat: sed an fides justificans sit firma & infallibilis fiducia, qua fidelis secū statuit, sibi remissa esse peccata.

CONCLVSIO I. Etsi probabile est, fidem in Scriptura aliquando fiduciam significare, nunquam tamen significat fiduciam illam specialem de remissis peccatis.

Probatur I. pars: Quia illud Matth. 14. *Modicæ fidei quare dubitasti?* Luc. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapi, &c.* Iacob. 1. *Postulet in fide nihil hæsitans, &c.* intelligunt plerique de speciali quadam fiducia; non autem de fide propriè dicta. Non enim potest aliquis esse modicæ fidei propriè dictæ, quasi aliqua credat, aliqua non credat: qui enim aliqua credenda non credit; nihil credit. Item non potest quiuis fidelis arbori dicere eradicare, vt certò obediat; neque potest à quocumque fideli exigi, vt in oratione nihil hæsitet; sed certò credat se impetraturum, quod petit. Nihilominùs probabilem tantùm hanc sententiam dixi; quia alij non improbabiliter sentiunt, etiam his locis fidem sumi pro assensu intellectus, non pro fiducia voluntatis. Potest enim vocari modica fides, non quasi quædam credat, quædam non credat; sed si langui-

Digitized by Google

da sit, & non exerceatur secundùm vigorem debitum. Et eadem fides, qua credimus articulis à Deo reuelatis, potest dicere arbori eradicare, quando nimirum adsunt requisita ad hoc dicendum. Et qui aliquid à Deo petit, certò credere potest, se impetraturum; si & consentanea saluti petat, & petitio eius alijs conditionibus debitis vestita sit. Sed quidquid sit de hac re, perinde est.

Probatur II. pars: Quia quamuis Scriptura passim dicat, nos justificari per fidem; nusquam tamen dicit, per eam nos fidem siue fiduciã justificari, qua peccata nobis propter Christum remissa esse certò statuimus. Et quia asserentium est probare, ostendant vel vnicum Scripturæ locum, qui dicat, hominem per talem fidem justificari, id est, hoc ipso justum reputari, quo credit peccata sibi non imputari.

Videant ergo Confessionistæ, quàm ficulneum sit hoc religionis ipsorum fundamentum, quòd ne vnico quidem Scripturæ testimonio probari potest. Et quanta cum præsumptione dicat in Apolog. Philippus: *Quis non gaudeat mori in confessione horum articulorum, quòd remissionem peccatorum fide consequamur?* id est, fiduciâ istâ speciali. Sicut enim idem in Apolog. Art. 21. dicit. *Cùm neque præceptum, neque promissio, neque exemplum ex Script. de inuocandis Sanctis adferri possit; sequitur conscientiam nihil posse certi de illa inuocatione habere*: sic nos Confessionistis replicamus, nihil ipsos certi de fiducia sua speciali statuere posse.

OBIICIES I. Christus Matt. 9. 2. remissionem peccatorum siue justificationem fiduciæ tribuit, dum paralyticum sic alloquitur: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ergo nihil in hoc negotio absurdi, aut à Script. alieni docent Confessionistæ.

RESPONDEO I. Christum non dicere: *Confide peccata tibi remitti,* & ideò fiduciam ad quam hortatur Christus, non esse talem, qualem Confessionistæ requirunt. Quo enim argumento probabunt, Christum non corporalem sanitatem potiùs, quàm peccatorum remissionem respexisse, cùm

paralyticum confidere, siue bono animo esse iussit, hoc sensu: Confide te sanitati restituendum, quia remittuntur tibi peccata, quæ fuerunt ægritudinis causa.

RESPONDEO II. Quamuis concederemus, fiduciam, quam Christus in paralytico excitauit, ad remissionem peccatorum referendam, adhuc tamen ex hoc loco concludere non possent, quòd de fiducia sua speciali docent: tùm quia per fiduciam suam dicunt remitti peccata; paralytici autem peccata, antequam fiduciam eliceret, remissa sunt (quod & textus græcus insinuat, in quo Christus fiduciam exigens dicit, ἀφίωνται dimissa sunt tibi peccata tua) tum quia, tametsi de futura remissione ageret Christus, non tamen ita intelligendus esset, quasi per fiduciam voluerit peccata remittenda: quia modus iste loquendi tantùm spem bonam excitasset de remittendis peccatis. Quemadmodum si Medicus ægro dicat: *Confide, restituam tibi sanitatem,* non vult dicere sanitatem per confidentiam esse restituendam; sed per artem suam: ita tametsi Christus dixisset: *Confide, remittentur tibi peccata;* non sequeretur per fiduciam fuisse remissa: posset enim rectè intelligi, Christum ex misericordia sua remisisse peccata, & de hoc paralyticum certiorem ante facere voluisse.

OBIICIES II. Petrus, Act. 15. 11. ait: *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.* Sed qui credit se saluandum, credere debet peccata sibi esse remissa: Ergo fide verâ credimus nobis remissa esse peccata.

RESPONDEO, Aliud esse, salutem per Christi gratiam conferendam; aliud, mihi vel tibi infallibiliter conferendam: prius tanquam certum & indubitatum tenemus, quando in symbolo profitemur nos credere *vitam æternam*: posterius non est omnino infallibile, quia ex parte nostra supponit rectam mediorum vsurpationem, de qua omnino certi non sumus: *fiduciam tamen habemus ad Deum, si cor nostrum non reprehenderit nos,* vt docet Ioan. 1. Epist. c. 3. 21. Nihil autem aliud vult dicere Petrus, quàm inter Gentes & Iudæos non esse discrimen; sed quemadmodum gentes per gratiam sine

lege

lege Mosaica saluantur, ita etiam saluari Iudæos. Quia paulò ante ita loquitur. *Qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis* (Gentibus) *Spiritum sanctum, sicut & nobis: & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.*

CONCLVSIO II. Quandocumque Scriptura de fide justificante agit, non intelligit fiduciam siue actum voluntatis; sed actum intellectus, quo homo, à Deo illustratus, citra vllam hæsitationem credit omnia, quæ Deus credenda reuelauit.

Probatur I. Quia illa est fides justificans, quam prædicauit & exegit in hominibus Christus: Sed nusquam prædicauit aut exegit fidem, quæ sit certa fiducia de remissione peccatorum; sed eam, qua veritati diuinitùs reuelatæ creditur; Vt Matt. 8. cùm credidisset Centurio, Christum etiam absentem solo verbo sanare posse, subiunxit Christus: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Cùm Matt. 9. cæci apertionem oculorum petiuissent, & dixisset Dominus: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Illis affirmantibus, addidit: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Sic Ioan. 8. ait. *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Et Ioan 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: Sed vos non creditis; quia non estis ex ouibus meis.* Et Ioan. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? &c.* Quòd autem illa ipsa fides, qua Christus creditur esse Filius Dei, sit fides justificans, constat ex illo Ioan. 20. *Hæc scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*

II. Paulus Rom. 4. docet, nos justificari per fidem, sicut justificatus est Abraham: Sed ibidem de fide Abrahæ agens non ponit eam, qua certò statuit sibi remissa esse peccata; sed eam, qua dictis Dei, secundùm sapientiam carnalem maximè incredibilibus, sine vlla dubitatione credidit: *Plenissimè* inquit, *sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere: ideò reputatum est illi ad justitiam.* v. 21. 22. Quod autem non agat de speciali promissione remissionis peccatorum, patet ex ijs quæ immediatè ante ponuntur; *Qui contra spem in spem credidit,*

dit, & non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuū, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, &c. Ergo fides justificans Abrahæ fuit illa, qua credidit Deo dicenti: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Ergo & Christianorum, qui sunt filij spirituales Abrahæ, fides justificans est ea, qua certò creditur quidquid à Deo revelatum est. Idque satis insinuat Apost. cum v. 23. ait: *Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam; sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis.*

III. In eadem Epist. c. 10. de fide justificante agens ponit eam, non qua præsenti peccatorum remissioni, sed præteritæ Christi resurrectioni credimus. *Si confitearis*, inquit, *in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo fides justificans est, qua quemlibet fidei catholicæ articulum credimus.

IV. Idem Apost. ad Heb. 11. latissimè de fide justificante differens, ne verbo quidem insinuat specialem illam fiduciam; sed de ea fide agit, qua *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Et eandem v. 1. ita definit: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quæ definitio coincidit cum illa S. Augustini: *Quid est fides? Credere quod non vides.* Et v. 6. *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit.* Ergo fides justificans, sine qua impossibile est placere Deo, est illa, qua credimus Deum esse, & inquirentibus se remuneratorem esse; non qua nobis peccata nostra remissa confidimus. Imò à v. 33. fidem justificantem eandem ponit cum illa, qua miracula patrantur: *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis.*

V. Manifestum discrimen inter fiduciam & fidem aliquando ponit Apost. vt 1. Timoth. 3. *Qui bene ministraverint,*

gradum

gradum bonum sibi acquirent, & fiduciam in fide, Ephes. 3. *In quo habemus accessum, & fiduciam per fidem.* Si enim fiducia in fide fundatur, & per eam generatur; ergo fides & fiducia sunt duo distincta dona Dei. Fide enim credimus omnia, quæ Deus reuelauit, siue bona, siue mala, siue præterita, siue præsentia, siue futura, vt docet S. August. Enchirid. c. 8. Per fiduciam auté futura tantùm bona expectamus, *quæ præparauit Deus diligentibus se.*

VI. Si valet hoc scholasticum argumentum, vt Apolog. illud vocat, in respons. ad Arg. *Necessè est justitiam in voluntate esse: Ergo cùm fides sit in intellectu, non justificat.* Quomodo inter testimonia, quibus ante probare nititur, fidem justificare, ponit etiam illud Isa. 53. *Notitia eius justificabit multos?* Anne secundùm Confessionistas notitia, siue Dei, siue promissionum eius, in voluntate est? Quamquam, vt supra dixi, fides justificans non tam est notitia, quàm firmissimus assensus, per quem, circa res longè supra notitiam & captum humanum positas, *in captiuitatem redigimus intellectum nostrum in obsequium Christo,* 2. Cor. 10.

Nota verò, nos non velle, hominem sine fiducia misericordiæ Dei, & meritorum Christi justificari, aut salutem consequi: quia firmiter credimus, Deum coronare justos *in misericordia & miserationibus,* Ps. 102. 4. *Nec esse aliud nomẽ sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri*, quàm nomen Christi, Act. 4. 12. Sed hoc negamus, fiduciam istam, aut Lutheranam nihil aliud esse, quàm ipsam fidem justificantem: quod Confessionistæ semper inculcant, nunquam probant.

OBIICIES: Apost. Rom. 4. 18. de fide qua justificatus est Abraham agens, *Qui contra spem,* inquit, *in spem credidit.* Et v. 20. *In repromissione etiam Dei, non hæsitauit diffidentiâ.* Ergo fides justificans est fiducia, cui diffidẽtia opponitur.

RESPONDEO I. Ipsam Confessionem inter fidem & spem discrimen agnoscere, & ideò fiduciam spei non posse propriè dici fidem justificantem.

II. Fi-

II. Fidem illam, quam ibi describit Apost. non esse, qualem ad justificationem Confessionistæ requirunt: vt quis videlicet præsentem peccatorum remissionem per fidem apprehendat, non autem aliquid aliud futurum expectet. Hic enim dicitur Abraham per fidem expectasse rem cadentẽ sub spem: Ergo futurum quid credidit: nimirum nasciturum sibi filium, cùm ipse, & vxor eius essent decrepitæ senectutis. Quare non malè hunc locum vertit Erasmus: *Qui præter spem sub spe credidit, se fore patrem multarum gentium.* Confessio verò August: fidei & spei distinctionem illam ponit, quòd fides sit præsentium, spes futurorum.

III. Diffidentiam in vulgata lectione intelligendam esse, quæ fidei, non quæ spei siue fiduciæ opponitur: quia in græco habetur, ἀπιστία, quod vocabulum incredulitatem significat. Tantùm ergò abest, vt ex his quidquam pro se Confessionistæ concludant, vt nos oppositum rectè concludamus, nimirum, fidem justificantem non esse fiduciam, qua præsentem peccatorum nostrorum remissionem apprehendimus; sed firmissimum assensum, quo, quidquid à Deo dictum vel promissum est, siue præsens, siue præteritum, siue futurum, sine vlla hæsitatione verissimum esse statuimus.

QVAESTIO IX.

Vtrùm Vera fides cum peccato mortali stare possit?

NOn quærimus, an fides justificans cum peccato mortali ita consistere possit, vt hominem, non obstante peccato, verè justificet; prout Confessionistæ docent, quemuis justum cum peccatis ex natura sua mortalibus ideò justum esse, quia fidem habet, per quam credit peccata sua, quamuis verè damnabilia, sibi non imputari ad pœnam: vt q. 12. discutietur. Sed hoc est quod jam quærimus, an homo fidelis & justus per peccatum mortale justitiam amittens, eandem fidem quam ante habebat retinere possit, & cum fide sua damnari, nisi amissam justitiam recuperet.

Negat

Negat Apolog. tit. *Quòd sola fides justificet*, inquiens: *Cùm autem de tali fide loquamur, quæ non est otiosa cogitatio; sed quæ à morte liberat, & nouam vitam in cordibus parit, & est opus Spiritus sancti; non stat cum peccato mortali: sed tantisper dum adest bonos fructus parit.*

Contrà Concil. Trid. seß. 6. can. 28. ita definit: *Si quis dixerit, amissâ per peccata gratiâ simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.*

CONCLVSIO: Vera fides Christiana, quæ dispositionis instar justificat impios, potest stare cum peccato mortali, id est, potest inesse homini iniusto, &, nisi conuertatur, damnando.

Probatur I. exemplis in Script. commemoratis: Ioan. 8. v. 30. & 31. dicuntur quidam credidisse in Christum, quos v. 34. *seruos peccati*, & v. 44. *filios diaboli* vocat. Item c. 12. 42. dicitur: *Ex Principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur.* Sed ex timore humano non confiteri Christum, est peccare mortaliter: Ergo Principes isti & veram fidem habebant, & nihilominùs simul in peccato mortali erant. Cùm enim eodem cap. sæpiùs de fide agatur, vbi omnes veram fidem intelligunt, vt v. 10. *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in eum.* Et v. 37. *Cùm tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum,* Et v. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*: nulla ratio dari potest, cur non etiam Principes veram fidem habuisse dicantur.

II. Iacobus Epist. suæ c. 2. 14. *Quid proderit*, inquit, *si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?* Et respondet negatiuè. Quòd autem de vera fide loquatur, patet ex v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Ergo fides, de qua agit, justificat quidem, sed non sola.

III. Si quolibet peccato mortali amitteretur vera fides,

des, nullus Lutheranorum veram fidem haberet; quod sic probo: Ex sententia Lutheranorum *peccata mortalia & venialia in eo distinguuntur, quòd hæc sint inuoluntaria, ista verò voluntaria* (verba sunt Meisneri, Anthrop. decad 1 disp. 9.q.3.) Ergo nemo habet veram fidem, qui peccato alicui voluntario obnoxius est: vel ergo nemo ex Lutheranis habet veram fidem; vel aliquem ex suis tam perfectum ostendant, qui ne leuissimum peccatum voluntarium committat, & quotidiè quidem sæpiùs.

Sed quia replicare possunt, se, quamuis peccata voluntaria sæpè committant, per fidem tamen semper ad Dei misericordiam, propter Christi merita consequendam, recurrere, & ita peccatorum suorum remissionem consequi; ideò IV. loco sic argumentor: Si vera fides cum peccato mortali esse non potest, nemo per fidem peccatorum suorum remissionem cõsequi potest: quia veræ fidei incapax est, quamdiu peccata non sunt remissa. Ergo peccata priùs remittenda sunt, quàm possit haberi fides, & consequenter peccata non remittuntur per fidem.

OBIICIES: Fidem, quæ in peccatoribus est, non esse fidem justificantem constat ex cit. c. Iacobi, vbi fidem talem mortuam vocat, & comparat eam, cum fide dæmonum. Sicut ergo homo mortuus non est verus homo; & sicut dæmones non habent veram fidem justificantem, ita nec homines improbi.

RESPONDEO I. Fidem sine dilectione vocari mortuam, non quòd ampliùs non sit; sed quòd vitâ suâ destituta sit: ostensum enim est suprà, vitam fidei in charitate positam esse. Cùm autem fides ipsa sine charitate mortua sit, quomodò sola fides vitam, qua caret, animæ conferre potest? Porrò fides sine charitate mortua dicitur, non vt homo carens anima vocatur mortuus; is enim non est ampliùs homo: sed vt corpus, separatum ab anima, est quidem verum corpus, sed mortuum: quia animam, vitæ suæ principium formale, non ampliùs habet. Ita enim fides, separatâ charitate, manet quidẽ

fides,

fides; sed mortua: quia sicut *justus ex fide viuit* (formatâ videlicet) ita fides viuit ex charitate.

RESPONDEO II. Apostolum comparare fidem peccatorum fidei dæmonum, non quòd omnimoda sit inter illas paritas; sed quòd aliqua similitudo, cùm maxima tamen dissimilitudine. Similitudo in eo posita est; quòd vtraque ratione obiecti sit vera, & recta, vtraque infructuosa. Dissimilitudo autem; quòd fides peccatoris sit initium salutis, quia per illa media quæ fides præscribit, & per ipsam suam fidem, tanquam fundamentum justitiæ, saluari potest. Fides autem dæmonum ad salutem nulla ratione conducere potest. Item fides hominis, quamuis informis, est libera: quia homo voluntariè captiuat intellectũ suum, in articulis fidei, quos non capit. Fides autem dæmonum coacta est, & per rei euidentiam extorta. Et quomodò ferent Lutherani, si à Prædicantibus suis audiant, se post minimum peccatum voluntarium, v. g. post intemperantiorem cibum aut potum voluntariè sumptum, non aliâ ratione esse fideles, quàm dæmones?

QVAESTIO X.

Vtrùm justi de sua justitia certi esse possint, & debeant?

IN Apolog. Confess. non sine lectoris tædio toties repetitur, vt vix numerari possit, affirmatiua ad hanc quæstionem responsio. Quæ etiam tanquam axioma certum sæpè supponitur, & tale hinc formatur argumentum: *Iusti de sua justitia certi esse debent: qui enim dubitat, an peccata remittantur, contumelia afficit Christum, qui pro peccatis nostris satisfecit. Ergo homines justificantur per solam fidem: quia si per aliud aliquid justificarentur, justificatio foret incerta.* Additur autem passim, quòd homines ita dubitare doceamus, & ita anxios esse de salute sua, vt tandem in desperationem ruere debeant: præsertim illi, qui nulla bona opera habent, quæ judicio Dei opponant. Cùm Latronis in cruce pœnitentis, & aliorum exemplis edocti fatea-

mur, neminem adeò flagitiosè vixisse, quin in fine vitæ, per seriam & momentaneam quasi pœnitentiam, peccatorum remissionem & salutem consequi possit. Quamuis simul addamus, neminem vsque ad illud extremum pœnitentiam differre debere: quia ordinariè Deus in fine vitæ eos deserit, qui totâ illum vitâ deseruerunt. Prætereà dubitare non docemus homines justos, id est, anxiè suspensos hærere, vt ex dicendis patebit.

Porrò de hac quæstione ita loquitur Concil. Trid. sess. 6. cap. 9. *Neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè justificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos: neminemque à peccatis absolui ac justificari, nisi eum, qui certò credat se absolutum & justificatum esse: atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici; quasi, qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis Christi & resurrectionis efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest. Cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Et cap. 18 *Quia in multis offendimus omnes, vnusquisq; sicut misericordiam & bonitatem, ita seueritatem & judicium ante oculos habere debet: neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare. Quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda & judicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum &c.* Et can. 13. ita definitur: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.* Similis est definitio canonis 14.

NOTA I. Certitudinem esse duplicem, euidentem videlicet, & ineuidentem: euidens est, quando intellectus assentitur rei in se manifestè notæ: ineuidēs, quando rei in se vel ignotæ, vel obscuræ assentitur, propter auctoritatē asserentis.

NOTA II. Certitudinem ineuidentem rursus esse dupli-

duplicem, aliam fidei diuinæ, aliam humanæ. Fidei diuinæ certitudo est, quæ infallibili auctoritate diuina nititur: fidei humanæ, quæ humanâ. Et quamuis auctoritas diuina longè majorem certitudinem gignat, quàm humana; tamen & hæc aliquando nos ita certos reddit, vt si quis de re per illam proposita dubitare vellet, fatuus meritò judicaretur. Vt si quis, quia non vidit, nollet credere esse Turcas, Indos, Elephantes, &c. Quamquam ordinariè auctoritas humana non solet excedere probabilitatem, & certitudinem opinionis. Huic autem affinis est certitudo moralis, in qua, quamuis aliquis absolutè decipi possit, prudentiæ tamen ratio postulat, vt quamdiu non apparent argumenta in contrarium, nobiscum statuamus, ita se rem habere, vt ea, quæ experimur, suadent. Hoc modo, cùm quis multa ab aliquo beneficia accipit, certitudine quadam persuadere sibi potest, se ab eo diligi: quamuis absolutè esse possit, vt non diligatur. Quia vt sibi persuadeat se diligi, rationes plurimas ob oculos habet; vt non diligi, nullam. His positis sit

CONCLVSIO I. Iusti moralem quandam certitudinem, partim in auctoritate diuina, partim in experientia propria fundatam, de sua justitia habere possunt. Talem enim syllogismum facere potest quilibet justus: Christus dixit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, Ioan. 14. 21. Sed ego diligo Christum: Ergo diligor à Patre eius. Maior huius syllogismi est certa certitudine fidei diuinæ. Minor fundatur in experientia humana, quæ neque infallibilem omninò certitudiné parere potest; cùm possimus Deum diligere, & nihil nobis conscij esse, & nihilominùs non diligere, vt oportet: sed fortè peccatis, nobis ignotis, grauiter offendere: ideoque cum Dauide dicere debeamus: *Ab occultis meis munda me.* Neque tamen tam fallax est certitudo ista, vt justos in nimia formidine & anxietate relinquat: quia in Dei bonitate cum aliqua securitate conquiescere possunt, qui ex animo illi seruiunt, & nullius sibi grauioris delicti conscij sunt: ita tamen, vt salu-

bre in timorem non excludant, *ne mala securitate salutem suam perdant*, vt loquitur S. August. lib. de fid. & oper. c. 14.

Probatur autem justos habere talem certitudinem I. ex illo 2. Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali conuersati sumus in hoc mundo.* Si enim ex conscientia rectè factorum oritur gloria, sequitur indidem aliquam justitiæ certitudinem oriri: quia solida in hoc mundo gloria alia esse non potest, quam justitiæ coram Deo. Quamquam non infallibilem prorsus certitudinem ex hoc conscientiæ testimonio oriri, constat ex illo 1. Cor. 4. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

II Probatur ex illo 1. Ioan. 3. 21. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus ab eo, accipiemus; quoniam mandata eius custodimus, & quæ sunt placita coram eo, facimus.* Vbi notent Aduersarii, omnem fiduciam nostram inanem esse, nisi mandata Dei custodiamus. Interim quamuis ex hoc loco deducamus, justos non esse absolutè certos de sua justitia (quia certitudo eorum fundatur in corde non reprehendente) talis tamen hinc fiducia ad Deum oritur, vt non tantùm sufficiat ad nimiam anxietatem expellendam; sed etiam ad gaudium, & securitatem quandam in Dei misericordia, & Christi meritis concipiendam.

III probatur ex illo eiusdem cap. v. 14. *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Quod non de infallibili scientia, sed de morali quadam notitia intelligendum est. Qui enim omnes homines, etiam inimicos, propter Christum diligit, aliquatenus scire, siue per fiduciam quandam colligere potest, se translatum de morte ad vitam. Quamquam consequentia ista non est omninò infallibilis, cùm etiam homo peccator, suppositâ fide, possit diligere inimicos propter Christum. Nam legimus Gentiles, propter solam huius actionis honestatem, lumine naturali perceptam, dilexisse inimicos, & diligendos docuisse.

IV. Quem-

Digitized by Google

IV. Quemadmodum Philippus in Locis, An. 36. editis, tit. de orat. docet, orantes in afflictionibus temporalibus erigere debere fiduciam, qua expectent liberationem; quamuis addenda sit conditio: *Si Deo ita visum fuerit*; *vt sit fides seu expectatio, qualis in hoc genere esse potest*: ita nos dicimus, justos non debere indulgere diffidentiæ; sed posse talem securitatem habere, qualis potest esse in isto genere, in quo variæ conditiones ex parte nostra exiguntur, prout ex cit. Script. locis manifestum est. Conditiones autem istæ ordinariè nobis aliter non constant, quàm ex testimonio conscientiæ nostræ. Sed de hac re sit

CONCLVSIO II. Iusti, citra specialem Dei reuelationem, infallibili certitudine fidei de sua justitia certi esse non possunt, aut debent.

Probatur I. Quia multi recensentur in Script. justi, qui de sua justitia omninò certi non fuerunt: Iustus enim fuit Dauid, qui tamen de se Ps. 18 13. dicit: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Ergò certò non cognoscebat, an careret occultis delictis, justitiam coram Deo excludentibus. Iustus fuit Paulus, qui 1. Cor. 4. 4. ait: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.* Et paulò post: *Sed neque meipsum judico.* Et, *Qui me judicat, Dominus est.* Ergo certum de justitia sua judicium, sibi ignotum, Domino committit. Iustus fuit Iob, qui cap. 9. 20. ita loquitur: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et v. 28. addit: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Itaque cùm cap. 27. 5. ait: *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*: de certitudine, quam ex testimonio conscientiæ habebat, loquitur. Hanc autem non esse omninò infallibilem fatentur Confessionistæ. Prætereà Prouerb. 20. 9. generaliter dicitur: *Quis potest dicere, mundum est cor meum? Purus sum à peccato?* quod de solis venialibus intelligi non potest:

test: quia qui omnino certus esset, se ab omnibus mortalibus liberum; dicere posset: *Mundum est cor meum.* Omnes enim justi vocantur mundi corde, Matt. 5. 8. quamuis peccatis venialibus non careant. Atqui interrogatio ista vniuersali negationi æquiualet: vt cùm Christus Ioan. 8. 46. rogat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

II. Conclusionem nostram probat, quod Ecclesi. 9. v. 1. & 2. habetur: *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* Cui addi potest illud Eccl. 5. 5. *de propitiato peccato*, siue, vt ex græco verti potest, *De propitiatione peccati noli esse sine metu.* Et alia loca innumera, quæ salutarem hunc metum passim inculcant. Si enim per fidem de propitiatione peccatorum certi essemus; metus, quem fides circa obiecta sua non admittit, locum non haberet.

III. Si ad justificationem nostram, præter fidem, aliorum operum conditio à nobis requiritur, non sumus omninò certi de nostra justitia, vt fatetur Confessio: Sed præter fidem aliorum operum conditio requiritur ad justificationem nostram, Deutro. 4. 29 *Cùm quæsieris ibi Dominum, inuenies eum; si tamen in toto corde quæsieris eum.* 2. Paralip. 6. 38. *Si conuersi fuerint ad te in toto corde suo. &c. tu exaudies de cœlo, & dimittes populo tuo.* Ezech. 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. vita viuet, & non morietur.* Ioan. 15. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

IV. Tametsi concederemus, hominem per solam fidem justificari, adhuc non sequeretur, credentes esse omninò certos de sua justitia. Quia de sua justitia certiores non essent, quàm de sua fide, vt manifestum est: Sed ex doctrina Confessionis sequitur, neminem esse omnino certum de sua fide justificante: Ergo &c. Probatur Minor: Ille non est certus quòd veram fidem justificantem habeat, qui non est certus quòd habeat veram charitatem: Sed Confessionistæ non sunt certi, quòd habeant veram charitatem; quia potiùs certi sunt, se illam non habere: Ergo non sunt certi, quòd habeant veram

ram fidem iustificantem. Probatur maior huius syllogismi: Quia vera fides ex mente Confessionistarum sine charitate esse non potest, vt ex quæst. præcedente constat. *Qui enim non diligit, manet in morte*, 1. Ioan. 3. 14. Sed qui habet veram fidem, non potest manere in morte, vt asserunt: Ergo qui habet veram fidem, diligit. Et necessariò idem concludunt ex illo 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Cùm enim vera fides, ex ipsorum doctrina, illa tantùm sit, quæ de facto prodest, siue iustificat; vera fides non potest esse absque charitate. Hinc est, quòd Apologia ad istum Pauli locum, in respons. ad Arg. ait: *Hic locus Pauli requirit dilectionem; hanc & nos requirimus, &c. Quare si quis dilectionem abiecerit, etiamsi habet magnam fidem; tamen non retinet eam: non enim retinet Spiritum sanctum.*

Probatur minor: Quia Confessio fatetur, suos magis esse certos, quòd non habeant charitatem, quàm quòd eam habeant: nam Apolog. tit. *Quòd remiss. peccat. sola fide consequamur*, dicit: *Si fides accipit remissionem peccatorum propter dilectionem, semper erit incerta remissio peccatorum: quia nunquam diligimus tantum, quantum debemus.* Et in respons. ad Arg. *Nulla*, inquit, *lex est, quæ magis accuset nos, quæ magis faciat, vt conscientia nostra irascatur Deo, quàm hæc summa lex: Diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde. Quis enim Sanctorum, præter Christum, gloriari ausit, se huic legi satisfecisse?*

V. Si ideò certa fide credendum est, peccata nobis esse remissa, quia in symbolo profitemur nos credere *remissionem peccatorum*, vt Philippus, Art. 4. Confess. variatæ, & in Apolog. tit. *Quid sit fides iustificans*, philosophatur; sequitur certâ fide similiter esse credendum, nos saluos esse futuros: quia in eodem symbolo profitemur, nos credere *vitam æternam*. Eamque non minùs per merita Christi promisit hominibus Deus, quàm iustificationem, quæ est medium ad illam. Et Apologia in respons. ad Arg. dicit, spem vitæ æternæ debere

esse certam, sicut fiducia iustificationis certa est. *Sicut*, inquit, *iustificatio incerta esset, si penderet ex conditione operum nostrorum, &c. ita si spes niteretur operibus nostris, tunc verò esset incerta, &c. Neque verò potest existere spes vitæ æternæ, nisi pacatâ conscientiâ: nam conscientia dubitans fugit iudicium Dei, & desperat. Necesse est autem, spem vitæ æternæ certam esse.*

Atqui spes vitæ æternæ non est ita certa, vt eius consecutio infallibili fide credi possit: quamuis enim ponamus, fidem specialem Lutheranam iustificare; si tamen Confessionista quilibet incertus est, an in ista fide sit perseueraturus, similiter incertus erit, an salutem sit consecuturus: Sed de priore incertus est: Ergo etiam de posteriore.

Probatur minor: Tum quia Confessionista potest voluntario aliquo peccato fidem iustificantem amittere, & antequam de remissione impetranda cogitet, vel in ipso flagrante crimine mori. Tum quia potest à fide Lutherana non tantùm ad religionem Catholicam, sed etiam ad sectas à Lutherana diuersas transire. Quod enim aliis euenit, hoc nullus certò statuere potest, sibi non euenturum. Ergo, si maior non est certitudo iustitiæ, quàm salutis æternæ; sequitur, non esse omnino infallibilem.

Quid quòd Confessionistæ nullo certo argumento demonstrare possunt, suam fiduciam potiùs iustificare, quàm Caluinisticam? Si enim dicant, experiri se, quòd certâ fiduciâ apprehendant remissionem peccatorum propter merita Christi: respondeo, & Caluinistas tale experimentum habere. Sed falluntur Caluinistæ, inquis; audio: verùm quo argumento Confessionista probas, te præ illis non falli?

VI. Ex iustitiæ certitudine, quam Confessionistæ defendunt, sequitur orationem Dominicam ad iustos non pertinere, neque ab illis pronunciari posse, postquam actum fidei de remissione peccatorum elicuerunt. Quia quicunque certò credit peccata sibi remissa esse, non potest orare, vt remittantur: quid enim absurdius, quàm petere à Deo, vt fiat, quod quis factum esse certò credit? Blasphemus profectò foret,

qui

qui peteret à Deo aduentum Messiæ; quia Messiam aduenisse omnes Christiani certò credimus. Quomodo ergo remissionem peccatorum petere potest, qui certò credit peccata sibi esse remissa?

VII. Adducere possem antiquorum Patrum quamplurima testimonia pro incertitudine iustitiæ nostræ; sed iis abstineo, tum ne longior sim; tum ne operam perdam. Scio enim contra eos me agere, quorum Confessio SS. Patres sibi contrarios contemnere & reprehendere solet. Nam de S. Hieronymo ita loquitur Apolog. in respons. ad Arg. *Hieronymus hic* (videlicet in illo loco Daniel. 4. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis*) *præter rem adiecit dubitatiuam particulam: & multo imprudentiùs disputat in Commentariis, incertam esse remissionem peccatorum. Isque abolere Euangelium censendus est, qui sentit remissionem peccatorum incertam esse. Dimittamus igitur hoc loco Hieronymum.* Verba autem S. Hieronymi in Comment. Daniel. hæc sunt: *Cùm B. Daniel, præscius futurorum, de sententia Dei dubitet: rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur.*

Ad verba autem Apolog. DICO I. Malè reprehendi S. Hieronymum, quòd cum particula dubitatiua locum Danielis legat; quia communiter omnes ita legunt. Etsi in negotio remissionis peccatorum non rectè additur talis particula; Errauit Ioel Propheta, cùm c. 2. à v. 13. dicit: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, &c. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?* Errauit Petrus, qui Act. 8. 22. ad Simonem ait: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

II. Si Euangelium Lutheranum abolere censendus est, qui remissionem peccatorum incertam hominibus esse sentit; ergo Euangelium illud aboletur non à solo S. Hieronymo, sed passim ab alijs etiam Sanctis & orthodoxis Patribus, vt à S. Ambrosio, serm. 5. in Ps. 118. S. Chrysost. Homil. 11.

in 1. ad Cor. Theodoret. in c.4. 1. ad Cor. 8. Gregor. lib. 6. Epist. 32. S. August. Serm. 23. de verb. Apost. dicente. *Fortasse tu nihil inuenis in conscientia tua: inuenit ille, qui meliùs videt.* Et lib. de perfect. justitiæ: *Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum.* Et Homil. 35. *Quamdiu viuimus, hic de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus: non dico quid cras erimus, sed quid hodiè simus, &c.*

OBIICIES: Quod Deus promisit, addito insuper juramento, hoc firmâ fide credendum est: Deus credentibus in se remissionem peccatorum promisit, & insuper juramentum adiecit: *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris; sed vt conuertatur, & viuat.* Ergo homo credere debet, peccata sibi per Dei misericordiam, & Christi merita remitti. Et qui hoc certò non credit, Deum mendacij accusat, juxta illud 1. Ioan. 5. *Qui non credit Deo, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est de Filio suo.* Hinc & Paulus, Rom. 4. dicit, promissionem Dei debere accipi fide, vt firma sit. Ita Apologia tit. de pœnit.

Prætereà testimonio Spiritus Sancti firmiter credendum est: sed justi in se Spiritus sancti testimonium habẽt, quod sint filij Dei, Rom. 8 *Accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Ergo justi firma fide credere debẽt, se esse filios Dei. Nam 2. Cor. 13. 5. reprobos vocat Apostolus, qui tale testimonium vel non sentiunt, vel ei non credunt. *Vosmetipsos,* inquit, *tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? Nisi fortè reprobi estis. Quare, scimus,* vt loquitur Apologia loco cit. *hanc, quam diximus, veram & germanam sententiam Pauli esse: scimus, hanc nostram sententiam pijs conscientijs firmam consolationem afferre; sine qua nemo consistere in judicio Dei queat.* Et ne calumnia desit. *Itaque repudientur,* inquit, *illæ Pharisaicæ opiniones Aduersariorum, quòd non accipiamus fide remissionem peccatorum;*

Digitized by Google

torum, sed quòd oporteat mereri dilectione nostra & operibus: quòd dilectionem nostram, & opera nostra iræ Dei opponere debeamus. Hæc enim falsò nobis affinguntur, vt ex dictis manifestum est. Ideoque nihil contra nos facit locus Petri, quo paulò ante tantopere gloriatur Apologia: *Petrus ait in Act. c. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. &c. Nos,* inquit, *hanc Petri vocẽ non dubitamus opponere quamlibet multis opinionibus Sententiariorum, quæ allegat consensum Prophetarum. &c. Sciant igitur piæ conscientiæ, hoc esse mandatum Dei, vt credant sibi gratis ignosci propter Christum; non propter opera nostra.* Hoc enim & nos credimus. Sed longè aliud est, certò credere, nos gratis propter Christum justificari, non propter opera nostra: aliud, nos de facto justificatos esse. Sed ad argumenta supra posita

RESPONDEO I. Promissioni Dei simplici, nedum juramento confirmatæ, firmiter credendum esse; sed promissionem à Deo fieri dupliciter: absolutè videlicet, & conditionatè. Absolutè, vt cùm Abrahæ promissum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*: Dauidi: *Iurauit Dominus Dauid, & non frustabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Conditionatè, vt Hierem. 18. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam à malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Et Ezech. 18. à v. 5. *Vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam, &c. in præceptis meis ambulauerit, & judicia mea custodierit, vt faciat veritatem; hic justus est, vita viuet, ait Dominus Deus.* Similem esse illam promissionem, quæ in obiectione ponitur, constat ex eodem cap. à v. 30. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis; reuertimini & viuite.* Itaque firmiter credendum est, Deum secundùm hanc promissionem suam facturum, si nos, præter fidem, conditio-

nem sinceræ conuersionis, & veræ pœnitentiæ impleuerimus. De quo cùm infallibiliter certi non simus; neque de eo, an nobis peccata remissa sint, absolutè certi esse possumus.

Itaque illud 1. Ioan. 5. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum*; non est contra nos: quia omnia, quæcumque à Deo dicta sunt, credimus; sed ita, prout à Deo dicta sunt. Iam autem nusquam dixit Deus quemlibet hominem justificari per eam fidem, qua certò statuat peccata sibi esse remissa. Quin imò S. Ioan. illo loco manifestè agit de fide, quam nos defendimus. Sic enim caput illud inchoat: *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Et v. 4. *Hæc est*, inquit, *victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?*

Neque Paulus, Rom. 4. dicit, cuilibet in particulari promissam esse peccatorum remissionem, & ideò eam à quolibet firmiter esse credendam; sed hæreditatem Dei non obtingere nobis ex lege (*quia lex iram operatur*) sed ex gratuita Dei misericordia firmam promissionem factam esse erga omnes, qui sunt spirituales filij Abrahæ. Itaque sicut nemo in particulari infallibiliter concludere potest: Mihi promisit Deus hæreditatem suam: Ergo ego saluus ero (agitur enim ibi non tantùm de justificatione, sed etiam de glorificatione, vt constat) nisi certò cognoscat, se filium Abrahæ ad finem vsque futurum: ita nemo infallibiliter credere potest, peccata sibi esse remissa; nisi certò cognoscat, se per fidem viuam constitutum esse filium Abrahæ. Est ergo firma promissio Dei, qua omnibus filijs Abrahæ, si tales permanserint, promisit hæreditatẽ suam: quòd autẽ ego, vel tu, vel alius sit filius Abrahæ, hoc nusquã in specie reuelatũ est: Et vt Confessionista dicit, se hoc credere; ita & Caluinista: & quemadmodum hic judicio illius fallitur; ita illum quoq; falli posse certissimum est.

Colliges ex his, quàm vana sit illa jactatio, qua gloriantur doctrinam suam conscientijs firmam consolationem adferre. Quomodo enim firma est, si nullo nititur Script. testimonio? Nusquam profectò Scriptura dicit, solam fidem ju-

tificare: nusquam, fidem justificantem nihil aliud esse, quàm certam & infallibilem fiduciam, qua quis secum firmiter statuere debeat, peccata sibi esse remissa. Quid ni ergo dubitent Confessionistæ, vtrùm fide sua justificentur? Maximè cùm Caluinistæ eodem modo, quo Confessionistæ, credant, peccata sibi esse remissa; & tamen judicio Confessionistarum fallantur. Item cùm sentiant, fidem justificantem quouis peccato voluntario amitti; quomodo secum infallibiliter statuere possunt, se fidem justificanté habere? Vel, vt eam habeant; quomodo cognoscent, se in ea ad finem vsque perseueraturos? Quanto maior est consolatio in doctrina nostra, quam peccatores, in misericordia Dei & meritis Christi confidentes, & ad veram pœnitentiam recurrentes, hauriunt: quia, testimonium illis reddente conscientiâ, firmam fiduciam in eo collocant: &, tametsi dicere debeant: *Ab occultis meis munda me*; in misericordia tamen Dei cum magna suauitate conquiescunt: salubrem nihilominus timorem non excludendo.

RESPONDEO II. Testimonium Spiritus sancti esse infallibile; sed à nobis infallibiliter credi non posse, nisi certò constet, testimonium illud à Spiritu sancto procedere. Cùm enim quandoque nobis de nobis ipsis cogitationes immittantur, quæ prima facie à Spiritu sancto videtur, cùm forsan sint à Spiritu nequam, qui *se transfigurat in Angelum lucis*, 2. Cor. 10. 14. Meritò nos monet Ioan. vt *probemus Spiritus, si ex Deo sint*. 1. Ioan. 4. 1. Neque enim aliæ nobis inspirationes suspectiores esse debent, quàm quæ nos instigant, vt in nobis, tanquam justis, more Pharisæorum, confidamus. Et quamuis alia fuerit Pharisæorum, alia sit Confessionistarum fiducia; æquè tamen inanis vtraque judicari debet. Pharisæorum quidem; quia sine vera fide & humilitate fundabatur in quibusdam operibus legis: Confessionistarum verò; quia in sola fide fundatur, cùm Deus ad nostram justificationem alia insuper à nobis requirat.

Porrò testimonium, quod Spiritus sanctus spiritui piorum

rum reddit, est quoddam internum dictamen, quo commoti ex affectu filiali clamant ad Deum: *Abba Pater.* Non quòd infallibiliter certi sint, se esse filios Dei; sed quòd, confortante illos Spiritu sancto, magnam huius rei fiduciam habeant. Et confirmatur, hunc de Spiritus sancti testimonio locum Confessionistas nihil iuuare: quia non de remissione tantùm peccatorum, sed etiam de consequenda hæreditate salutis æternæ agit: *Si autem filij,* inquit Apost. v. 17. *& hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi.* Atqui Confessionistæ fateri debent, neminem in particulari de se certò credere posse, se esse saluandum: Ergo neque credere certò potest, se remissionem peccatorum consecutum. Quamuis enim vtriusque testimonium reddatur pijs; hoc tamen testimonium tale est, vt fiduciam ex conscientiæ dictamine, non vt infallibilem fidem generet. Quia sicut respectu salutis æternæ ex parte nostra requiruntur conditiones, quas an vsq; ad finem vitæ constanter impleturi simus, certò scire non possumus (vt & hîc apponitur ista conditio: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur*) ita ad ipsam peccatorum remissionem conditiones à nobis exiguntur, quas an rectè impleuerimus, certò nobiscum statuere non possumus.

RESPONDEO III. Apostolum, 2. Cor 13. nihilò plus fauere Confessionistis: vult enim vt Corinthij probet, & tentent, vtrùm habeant fidem. Confessionistæ autem volunt omnes fideles de fide & justitia sua certos esse debere. Item aliud est fidei obiectum, de qua Paulus agit; aliud fiduciæ Lutheranæ. Huius enim obiectum est: *Remissa sunt mihi peccata.* Illius; *Christus in nobis est*; per miracula videlicet, quæ operatur in nobis. Nam Paulus Corinthijs minatur, se, nisi corruptos mores suos emendent, per virtutem Christi potenter eos puniturum: & quia ab incredulis seducti videbantur; vult vt ipsi probent, an adhuc credant, Christum inter ipsos per virtutem suam operari: quòd si enim hoc non credant, reprobos esse à fide. Vt enim antecedentia & consequentia Pauli verba indicant, de miraculis ibi sermo est. Et quam-

Digitized by Google

quamuis de alia fide loqueretur Apost. adhuc tamen nihil pro se concluderent Aduersarij: non enim sequitur affirmatiuè, hominem certò probare posse, se justificatum esse per præsentiam veræ & viuæ fidei; quia negatiuè probare potest, se non justificatum, sed reprobum esse, per fidei absentiam.

INSTABIS ex Apolog. tit. de pœnit. *Non desunt Patrum testimonia pro nobis: nam Bernardus dicit verbis minimè obscuris: Necessè est enim primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde adhuc vt credas & hoc, quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem.* Hoc vnico è Patribus loco proposito, talem in modum triumphat Apologia: *Quid requirunt amplius Aduersarij? Num adhuc audent negare, fide nos consequi remissionem peccatorum?* Quasi istud vllus Catholicorum neget. Hoc enim est quod negamus: Sola fide nos consequi remissionem peccatorum. Item, certâ fide credere debere, quod remissionem hanc consecuti simus.

RESPONDEO autem ad locum S. Bernardi, qui serm. 1. de Annunciatione habetur, non tantùm nos credere debere, quòd non possimus aliter justificari, quàm per indulgentiam Dei; sed etiam quòd ipse nos justificare velit: imò de facto justificet; si videlicet impleamus, quod ex parte nostra requiritur. Quòd enim testimonium hoc, quod singulis perhibet Spiritus sanctus, non velit justis omnino infallibiliter constare, patet primò, quia initio sermonis ait, hoc esse testimonium conscientiæ nostræ: ex quo tametsi magna fiducia concipi possit, vt supra dictum est, infallibilis tamen fides generari non potest. II. Quia etiam de vita æterna tale nos testimonium habere ibidem tradit: *Sic & de vita æterna*, inquit, *habeas necessè est testimoniũ Spiritus, quòd ad eam diuino sis munere peruenturus. Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia nihilominus redonat.* Atqui de vitæ æternæ consecutione non haberi infallibilem à singulis justis fidem, non tantùm

V passim

passim alibi docet idem Sanctus; sed etiam Aduersarij concedunt. III. Præter fidem plures conditiones, vt justificemur & saluemur, ibidem requirit: *Sic ergò*, inquit, *inhabitat hæc gloria* (quæ videlicet ex testimonio conscientiæ oritur) *etiam hic in terra nostra; si misericordia & veritas obuient sibi, & sese justitia & pax osculentur. Præuenienti siquidem misericordiæ vt veritas nostræ conuersionis occurrat necesse est; ac de cætero sanctimoniã sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum. Vbi enim cõpungitur quis, jam tunc eum misericordia præuenit: sed nequaquam ingredietur, donec ei veritas confeßionis occurrat. Peccaui Domino, ait ipse Dauid ad Nathan Prophetam, cùm de adulterio & homicidio argueretur. Et transtulit Dominus peccatum à te, ait Propheta. Nimirum misericordia & veritas obuiauerunt sibi: & hoc quidem vt declines à malo. Iam verò vt facias bonum, in tympano & choro tibi psallendum est: vt ipsa mortificatio carnis tuæ, & pænitentiæ fructus, ac justitiæ opera in vnitate & concordia fiant. &c.*

QVAESTIO XI.

Vtrùm obseruatio mandatorum Dei hominibus poßibilis sit?

NOn est quæstio, an homo per vires suas naturales omnia Dei mandata seruare possit; hoc enim constanter negamus. quamuis nobis Confessio contrarium per calumniam sæpè affingat. Sed an justus per gratiam Dei mandata Decalogi ita implere possit, vt contra illa nunquam delinquat peccato aliquo mortifero, & ex se damnatione æterna digno. Neque tantùm quæritur, vtrùm per absolutam Dei potentiam hoc possit justus; sed vtrùm per ordinariam, ita vt tales homines de facto reperiantur, qui mandata Dei obseruent.

De hac quæstione ita loquitur Apologia tit. *De dilectione & impletione legis: Profitemur, quòd necesse sit inchoari in nobis, & subinde magis magisque fieri legem; sed hæc ipsa legis impletio, quæ sequitur renouationem, est exigua & immunda. Quamquam enim renouatio inchoata est, tamen hærent adhuc in natura reliquiæ peccati, quæ semper accusant nos; nisi fide in Christum apprehendamus remißionem peccatorum, & sciamus nos habere accessum ad*

Deum,

Digitized by Google

Deum, non propter nostram impletionem legis; sed propter Christum. Et tit. *De votis monast. Extrema,* inquit, *impietas est, sentire, quòd Decalogo ita satisfaciant, vt superfint merita: cùm hæc præcepta omnes Sanctos accusent: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item: Non concupisces. Propterea ait: Omnis homo mendax, id est, non rectè de Deo sentiens, non satis timens, non satis credens Deo.*

Circa quæ verba obseruandum est. I. Falsò nos accusari, quasi doceamus, homines habere accessum ad Deum, siue justificari, per suam impletionem legis, non per Christum. Satis enim ex dictis constat, nostram sententiam hanc esse, quòd per misericordiam Dei, & Christi merita accedendum sit ad Deum, quodque nemo mandata Dei seruare possit, nisi jam per gratiam justificantem ad Deum accesserit.

II. Facilè concedemus Aduersarijs, si de se ipsis loqui velint, vt hanc sententiam (*Omnis homo mendax*) ita exponant: *Omnis homo non rectè sentit de Deo, non satis timet Deum, non satis credit* (quamuis reuerà alius sit horum verborum sensus) sed videant, an nos ipsorum de rebus diuinis dogmata nobis contraria admittere possimus, si de ipso Deo non rectè sentiant: an per fidem justificari possint, si non rectè nec satis credant: & an non timorem omnem excludant, dum suos de remissione peccatorum per solam fidem securos esse jubent. Sed ad rem.

Concilium Trid. Sess. 6. can. 18 de proposita quæstione talem definitionem ponit: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia; anathema sit.* Pro cuius defensione sit

CONCLVSIO: Possunt justi per Dei gratiam omnia mandata ita seruare, vt nusquam peccato mortifero delinquant, sed satisfaciant isti dicto Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Probatur I. Quia Scriptura testatur, mandata Dei non tantùm possibilia, sed etiam facilia esse: nam Christus Matt. 11. 30. de mandatis suis agens: *Iugum,* inquit, *meum suaue est,*

& onus meum leue. Ioannes 1. Epist. c. 5. 3. ait: *Mandata eius grauia non sunt.* Atqui mandatū Christi primarium est mandatum dilectionis, quod maximè impossibile vult esse Confessio: Ioan. 13. 35. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et c. 15. 17 *Hæc mādo vobis, vt diligatis inuicē.*

II. Quicumque secundùm carnem non ambulant, legem Dei implent, dicente Apost. ad Rom. 8. 4. *Vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus:* Sed quicumque iusti sunt, secundùm carnem non ambulant, vt testatur ibidem Apost. v. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant:* Ergo omnes iusti legem Dei implent.

III Qui Deum & proximum diligunt, legem Dei implent. Ioan. 14 23. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Rom. 13. 8. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ad Galat. 5. 14. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed omnes iusti Deum & proximum diligunt, iuxta illud Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 1. Ioan. 3. 14. *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

Respondet Apolog. in respons. ad Arg. I. Hæc loca intelliguntur de dilectione erga proximum, quæ neque coram Deo iustificat, neque totam legem implet; sed tantùm eam partem, quæ secundâ tabulâ continetur.

II Iustis quidem conuenit etiam dilectio Dei; sed non tam perfecta, vt in lege Dei requiritur; nimirum vt sit ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute.

Sed ad primum dico, loca illa non qualemcumque proximi dilectionem requirere, verùm eam, qua proximus propter Deum diligitur: qui autem proximum propter Deum diligit, totam legem implet; quia non potest, ita proximum diligendo, non diligere Deum.

Ad secundum dico, duplicem esse dilectionis perfectionem: prima talis est, vt sit omnino immutabilis; quia in completo suo statu consistit, & voluntatem, quanta quanta est,

est, in Deum sine vlla intermissione rapit: altera talis, vt quotidiè maiores perfectionis gradus acquirere possit: de qua est illud. 1. Ioan. 2. 5. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Iam verò non exigitur à nobis, vt in hac vita priorem charitatis perfectionem habeamus; sed potiùs contrà exigitur, vt in charitate quotidiè proficiamus; ne deficiamus. Posterior autem perfectio obligat omnes, & reperitur in omnibus justis: Quòd obliget, constat ex illo Genes. 17. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Matt. 5. 48. *Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Quòd reperiatur in justis, inprimis inde colligitur: Quia quicumque sunt amici & discipuli Christi, habent perfectionem charitatis, qua legi Dei, pro huius vitæ modulo, satisfaciunt; Ioan. 13. 35. *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioan. 15. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Sed omnes justi sunt amici & discipuli Christi, Luc. 12. 4. *Dico vobis amicis meis* Ioan. 15. 15. *Vos autem dixi amicos.* Matt. 23. 8. *Vnus est Magister vester Christus.* Ergo omnes justi habent eam perfectionem charitatis, qua præcepto dilectionis, quod omnia mandata inuoluit, satisfaciant.

Deinde futuram talem dilectionis Dei ex toto corde perfectionem prædicit Scriptura: Deuteron. 30. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* Et multos ita dilexisse Deum testatur: De Noë enim dicitur, Genes. 6. 9. *Noe vir justus fuit atque perfectus*: De Dauide, 3. Reg. 14. 8. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* De Iosia 4. Reg. 23. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, juxta omnem legem Moysi.* De Asa & populo. 2. Paralip. 15. 15. *In tota voluntate sua quæsierunt Dominum, & inuenerunt.* De Iosue in eius lib. 6. 11. 15. *Non præteriit de vniuersis mandatis nec vnum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi*: De parentibus Ioannis Bapt.

Luc. 1. 6. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* De Apostolis ait Christus ad Patrem, Ioan. 17. 6. *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt.* De vniuersis justis Paulus, ad Philipp. 3 15. *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.*

Ad hæc quidem, & similia, replicant Aduersarij, SS. Patribus & iustis tribui obseruationem mandatorum Dei, propter inchoatam obedientiam, & propter non imputationem eorum, quæ contra mandata peccant. Sed qui mandata verè transgreditur, non potest dici omnia mandata ex perfecto & toto corde seruare: Omnes iusti, secundùm Lutheranos, mandata Dei transgrediuntur, & ita peccant, vt digni sint æternis suppliciis, à quibus per conniuentiam tantùm Dei liberãtur: Ergo nõ possunt dici omnia mãdata corde perfecto seruare. Atqui hoc non tantùm Scriptura de multis asserit, vt ex parte relatum est, sed quidam etiam de se asserere non dubitant: vt Dauid, Ps. 118. *Viam,* inquit, *mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Et, *In toto corde meo exquisiui te.* Et cùm ægrotanti Ezechiæ dixisset Isaias Propheta: *Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues* (vt Isa. 38. 1. refertur) hunc in modum orare cœpit Ezechias: *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est, in oculis tuis fecerim.* Qua oratione facta dixit Dominus ad Isaiam: *Vade, & dic Ezechiæ, &c. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam.* Sed si in corde perfecto non ambulasset coram Deo, nec mandata eius seruasset, oratione sua, tanquam præsumptuosa, magis offendisset Deum, quàm placasset: vt enim mortem corporis euaderet, opera sua bona, & impletionem legis proponebat; in qua, ex mente Lutheranorum, tanta inerat imperfectio, vt propter illam non morte tantùm temporali, sed æternis quoque suppliciis dignus esset.

IV. Probatur Conclusio: Omnes iusti habent Spiri-

tum

tum ſanctum, & ſunt nati ex Deo. Rom. 8. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non eſt eius.* Iacob. 1. 18. *Genuit nos verbo veritatis, &c.* Sed in quibus eſt Spiritus ſanctus, in iis ſunt fructus Spiritus, quos Apoſtolus ad Galat. 5. enumerans: *Fructus Spiritus ſunt: Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, &c.* ſubiungit: *Aduerſùs huiuſmodi non eſt lex.* Ergo per fructus Spiritus lex Dei ita impletur, vt accuſare non poſſit. Item: *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* 1. Ioan 3. 9. Ergò qui natus eſt ex Deo, totam legem ſeruat, nihil enim aliud eſt peccare, quàm legem tranſgredi.

V. Ad hominem ſic argumentor: Vel Lutheranus aliquis, per fidem iuſtificatus, in iuſtitia ſua perſeuerare poteſt, vel non: ſi nō; vbi eſt iſta tantoperè in Confeſſione laudata conſolatio conſcientiarum, quam ex doctrina ſua oriri conténdit? Cùm enim nemo ſaluus futurus ſit, niſi qui perſeuerauerit vſque in finem; quis de ſalute ſua non deſperet, ſi apud ſe ſtatuat, ſe perſeuerare non poſſe? Si autem perſeuerare poteſt; totam Dei legem ſeruare poteſt, nuſquam illam voluntariè tranſgrediendo: quia quicunque voluntariè peccat, non perſeuerat in iuſtitia fidei, vt Lutheranos docere ſupra oſtenſum eſt. Ergo quicumque perſeuerat, nullum peccatum voluntarium, ſiue contra conſcientiam committit, & conſequenter totam Dei legem obſeruat, quæ niſi per voluntariam tranſgreſſionem non violatur, vt in Art. de peccato originali dictum eſt.

OBIICIES: Quicumque non poteſt omne peccatum contra legem Dei vitare, non poteſt omnia Dei mandata ſeruare: Sed nullus juſtus poteſt omnia peccata contra legem Dei vitare, juxta illud Iacob. 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Ergo nullus juſtus poteſt omnia Dei mandata ſeruare; quia peccatum nihil aliud eſt, quàm tranſgreſſio mandati: *Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* Rom. 4.

Et confirmatur; quia Chriſtus eſt Mediator noſter continuò

tinuò per totam vitam interpellans pro nobis: Sed si justi post primam justificationem, quamdiu justi manent, contra legem Dei non peccarent, interpellatione Christi non indigerent; & consequẽter Christus respectu justorum otiosus esset.

RESPONDEO, Legem Dei dupliciter accipi posse: I. prout est regula actionum accuratissima, à qua si quid vel in minimo deuiet, censeatur debitam rectitudinem non seruare. II. Prout est regula nobis ita proposita, vt nos obliget sub pœna amittendæ gratiæ Dei, & incurrendæ damnationis æternæ, de qua lege est illud Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Iam verò quamuis homo non possit ordinariè ita omnia ad amussim facere, vt nullibi à perfectissima ista regula deflectat; per gratiam tamen Dei ea mandata seruare potest, quæ mandato dilectionis ita includuntur, vt non violatâ dilectione, Vniuersa impleta censeantur. Peccata verò leuia, quibus etiam justi obnoxij sunt, quamuis sint verè peccata & offensæ Dei; eò vsque tamen non offendunt, vt amicitiam, quam misericors Deus per gratiam suam inter se & hominem constituere voluit, dissoluant. Tametsi enim, præcisè spectatâ personâ quæ offenditur, dici posset, quælibet peccata etiam leuissima ex se mortalia esse; si tamen simul consideremus, quis Deum offendat, & per quid; inueniemus non fore consentaneum summæ Dei bonitati, si hominem, quem non vult perire, sed saluum fieri, ita suæ fragilitati relinquat, vt nõ possit ea, per quæ periturus est, peccata quælibet, euitare. Cùm ergo etiam justos in leuia peccata cadere sinat, nec tantã illis gratiã cõferat, vt omnia vitare possint; sequitur illa, à quacunque persona committantur (*Non enim est acceptio personarum apud Deum* Rom. 2. 11.) non esse prohibita sub pœna damnationis æternæ. Et consequenter per illa non violari ea mandata, de quibus dictum est: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Aliàs enim dicere deberemus, neminem mortalium ad vitam ingredi: nam cùm Scriptura dicat, Deum esse quemlibet iudicaturum secundùm opera sua, & nemo quantumuis iustus citra peccata leuia viuat; si peccata

ista

Digitized by Google

ista forent digna morte æterna, Deus omnes homines morti adiudicaret.

Per hanc responsionem facilè conciliantur, quæ apud Iacobum & Ioannem repugnare videntur: Iacobus enim non tantùm dicit: *In multis offendimus omnes*; sed etiam: *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Sed in priore loco de offensis loquitur, quæ quidem voluntati Dei repugnant, non tamen ita legem violant, vt reos mortis æternæ constituant. Aliàs enim omnes homines essent mortis æternæ rei; quod esse contra mentem Apost. patet ex textu. Ioannes autem, qui c. 1. Epist. 1. dicit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; c. 3. ait: *Qui ex Deo natus est, non peccat.* Quomodo enim hæc duo simul vera sunt, si de præsentibus peccatis, quæ habent vel non habent homines, intelligantur, nisi in priori loco dicamus sermonem esse de peccatis leuibus, quæ etiam ex Deo nati committunt; legem tamen Dei, sub pœna damnationis obligantem, non violant? Ideò enim Ioannes, cit. cap. 3. 4. peccatum, quod à justis committi negat, vocat ἀνομίαν, id est, violationẽ legis.

Ad Confirmationem DICO, Christum respectu justorum non esse otiosum: quia per merita sua gratiam illis, vt in justitia perseuerent & crescant, & peccatorũ venialium remissionem impetrat: de quibus S. Augustinus lib. 1. Retract. c. 19. loquens, *Omnia*, inquit, *mandata facta deputantur, quando quidquid non fit, ignoscitur.* Quare cùm Christus nullius respectu otiosus sit; omnium minimè otiosus est respectu justorũ: quia non per interualla, sed per continuum influxum subministrat illis gratiam suam. Hinc est, quòd se Ioan. 15. viti comparat, justos palmitibus: quia sicut palmites è vite succum trahunt, & ita fructus proferunt; ita justi è meritis Christi continuam justitiæ suæ conseruationem, eiusdemq; incremẽtum, & justitiæ fructus hauriunt. Et sicut palmites arescunt, quando à vite separantur, ita, & multo celeriùs, fons gratiæ cœlestis in hominibus arescit, quando per peccata separantur à Christo. Aduersarij autem Christum respectu justorum, qua

tales ſunt, otioſum faciunt: quia docent, eum non infundere juſtitiam in illos; ſed per extrinſecam imputationem juſtitiæ ſuæ, quæ per ſe nihil in hominibus operatur, credentes in ſe juſtos cenſere, quamuis verè ſint, & maneant in ſe iniuſti.

QVAESTIO XII.

Vtrùm juſti ſint liberi à maledictione legis, quamuis eam non ſeruent?

AFfirmat Apologia, tit. *De impletione legis*, dicens: *Propter fidem in Chriſtum non imputatur nobis hoc, quod deeſt impletioni legis: hoc docet Paulus ad Galat.* 3. *cùm ait: Chriſtus redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Hoc eſt, Lex damnat omnes homines; ſed Chriſtus, quia ſine peccato ſubijt pœnam peccati, & victima pro nobis factus eſt, ſuſtulit illud jus legis, ne accuſet, ne damnet hos, qui credunt in ipſum: quia ipſe eſt propitiatio pro eis.*

Senſus autem horum verborum eſt, juſtos homines per inchoatam tantùm obedientiam facere legem Dei, ita vt ſæpè contra legem peccent, & quidem peccatis ex natura ſua mortalibus; quæ etiam ab infidelibus commiſſa, à Deo vt mortalia judicentur; fidelibus autem non imputentur, propter fidem in Chriſtum, qui pro peccatis ſuorum fidelium perfectè ſatisfecit.

CONCLVSIO I. Chriſtus non ita nos redemit à maledicto legis, vt quamuis per continuam legis violationem maledictione digni ſimus, ipſe tamen nobis propter fidem indulgeat: ſed vt per merita ſua juſtitiam conferens, præcedentium peccatorum maledictionem auferat, & ſimul vires concedat, quibus inpoſterum à peccatis mortalibus abſtinere poſſimus.

PROBATVR: Quia Apoſtolus explicat, quomodo juſti non ſint ſub maledictione legis, ad Rom. 6. 14. *Peccatum*, inquit, *vobis non dominabitur: quia non eſtis ſub lege; ſed ſub gratia.* Et v. 22. *Liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum*

Digitized by Google

ctum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Id est, ideò liberati sumus à maledictione legis, quia translati sumus à seruitute peccati in seruitutem Dei, non autem quòd, si credamus, impunè contra legem peccare possimus: ait enim ibidem, v. 15. *Quid ergo? peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. &c. Stipendia enim peccati mors.* V. 23. Quid autem faciendum sit illis, qui à maledictione legis liberati sunt, dicit ibidem, v. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibite membra vestra seruire justitiæ ad sanctificationem.* Et ad Colos. 1. à v. 21. pulchrè explicat eandem à maledicto legis liberationē: *Et vos,* inquit, *cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu, in operibus malis; nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.*

In eundem sensum præclarè ait S. August. Tract. 41. in Ioan. *Non dicat Christianus: liber sum, in libertate vocatus sum; seruus eram; sed redemptus sum: & ipsa redemptione liber effectus sum: faciam quod volo; nemo me prohibeat à voluntate mea, si liber sum. Sed si istâ voluntate peccatum facis; seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum; erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia: eris liber; si fueris seruus: liber peccati, seruus justitiæ: dicente Apostolo: Cùm serui essetis peccati, liberi eratis justitiæ. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, &c.*

CONCLVSIO II. Christus non ita redemit fideles à maledicto legis, vt eius transgressio sit ipsis venialis, quæ non credentibus mortalis est. Probatur ex Epist. ad Rom. quàm maximè suam esse existimant Confessionistæ, in cuius capite primo, cùm peccata quædam contra legem Dei retulisset Apostolus, subiungit: *Qui talia agunt, digni sunt morte.* Nec vllum facit inter fideles & infideles discrimen. Et, *Reuelatur,* inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum.* Et c. 2. *Reddet vnicuique secundùm opera eius.* Et *Tribulatio & angustia in omnē animam operantis malum.* Et,

iudicium Dei est secundùm veritatem in eos, qui talia agunt. Et, *Non est acceptio personarum apud Deum.* Et, *Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Si enim reuelatur ira Dei super omnem iniustitiam hominum, si citra personarum acceptionem reddet vnicuique secundùm opera eius, ita vt tribulatio & angustia, absque discrimine, futura sit omni animæ operanti malum; sequitur fideles, legem Dei, de qua dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* verè violantes, secundùm violationem istam iudicandos esse. Si quod autem inter peccata fidelium & infidelium ponendum est discrimen; hoc ponendum est: quòd fideles, eodem genere delicti cum infidelibus legem violantes, grauiùs peccent, & grauiùs damnandi sint: tum propter maiorem ingratitudinem: tum propter abundantiorem gratiam, quâ faciliùs mandata seruare possunt: tum propter perfectiorem voluntatis Dei notitiam, iuxta illud Luc. 12. 47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Vnde & Petrus, 2. Epist. c. 2. v. 20. ait: *Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi; his rursum implicati superantur; facta sunt eis posteriora peiora prioribus. Meliùs enim erat illis, non cognoscere viam iustitiæ; quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quòd illis traditum est, sancto mandato.* Quicumque autem legem Dei verè violat, retrorsum conuertitur à sancto mandato Dei: Ergo vel iusti legem Dei, sup. quæst. explicatam, non violant; vel omnibus iustis, etiam leuissimè peccantibus, fiunt posteriora peiora prioribus.

DICES: Confessionistæ non docent, iustos grauibus peccatis, id est, meditatis, continuatis, & perseuerantibus violare legem Dei; sed habere in se reliquias peccatorum, id est, concupiscentiæ motus inordinatos, & quibusdam affectibus prauis nonnunquam indulgere, quamuis voluntariè in iis non perseuerent.

RESPONDEO, Affectus inordinatos seu motus conca-

concupiſcentiæ inuoluntarios non eſſe contra legem Dei, vt ſupra de peccato originali oſtenſum eſt: quamuis ſæpè ſint peccatorum mortalium parentes, iuxta illud Iacob. 1. 15. *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum autem cùm conſummatum fuerit, generat mortem.*

DICO ergo I. Concupiſcentiæ motus, qui fidelibus non ſunt peccata mortalia, nec infidelibus mortalia eſſe: quia, vt ex dictis colligitur, Deus ipſa opera, & homines ſecundùm illa, citra acceptionem perſonarum, ſiue fidelium ſiue infidelium, ex veritate iudicat.

DICO II. Peccata, quæ iuſti in iuſtitia manentes committunt, non violare mandata Dei, obligantia ſub pœna damnationis æternæ: quia etiam iuſti, niſi mandata hæc ſervaverint, damnationi æternæ obnoxii erunt, iuxta illud Matt. 5. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas, &c.* Et, *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus,* ſiue nullus, *vocabitur in regno cœlorum.* Imò multo ſtrictiorem ibidem à Chriſtianis mandatorum obſeruationem requirit Chriſtus, quàm Phariſæi requirebant. *Niſi,* inquit, *abundauerit juſtitia veſtra plus, quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Item Io: 13. 35. dicit: *In hoc cognoſcent omnes, quòd Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem,* Ioan. 15. à v. 9. *Manete in dilectione mea: ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruo, & maneo in eius dilectione.* Et v. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

Ex quibus ſic argumentor: Si regno cœlorum excludendus eſt, qui minimum præceptum Decalogi, ſub pœna damnationis obligans, violat; & nullus eſt Diſcipulus aut amicus Chriſti, niſi qui in dilectione Dei & Proximi manet; nec vllus manet in dilectione, niſi qui præcepta ſeruat; vel iuſti præcepta Decalogi non tranſgrediuntur; vel non ſunt amici aut Diſcipuli Chriſti: & conſequenter regno cœlorum excludentur.

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

DE BONIS OPERIBVS.

QVAESTIO I.

De Calumniis, quibus nos in hoc Articulo Confessio August. onerat.

I. CAlumniatur Confessio variata Art. 20. quam calumniam Confessionistæ sæpè in scriptis suis repetunt, *quòd iubeamus quærere remißionem peccatorum per propria opera,* &, vt in Apolog. de iustif. additur, *quòd honorem Christo debitum transferamus ad opera nostra.* Item, *quòd aboleamus veros cultus, vt invocationem, & cætera spiritualia exercitia: quòd obscuremus opera à Deo mandata, longè anteferendo humanas traditiones.*

Nam non iubere nos, vt homines per sua opera, sed vt per Dei misericordiam remissionem peccatorum quærant, constat ex iis, quæ Art. præced. dicta sunt: quamuis ibidem addidimus, remissionem peccatorum non dari, nisi homo præuenienti Dei gratiæ cooperetur.

Qui autem dicit, Catholicos abolere inuocationem Dei, & spiritualia exercitia; aut illos non nouit, quod de Confessionis Architecto dici non potest; aut splendidè mentitur. Quasi Monachatus, in quem ibi invehitur Philippus, non tam spiritualia exercitia habeat, videlicet orationum, meditationum, ieiuniorum, &c. quàm status Magistratuum, coniugum, artificum, in quibus solicitudo rerum temporalium à contemplatione cœlestium plurimùm distrahere solet, vt Apost. 1. Cor. 7. & ipsa experientia docet.

Præterea falsum est, nos humanas traditiones operibus bonis à Deo mandatis præferre: tum quia opera perfectionis Euangelicæ non sunt traditiones humanæ, cùm in sacris litte-

ris

Digitized by Google

ris fundatæ ſint, & à viris per Spiritum ſanctum edoctis ad nos defluxerint, vt in Art. de Votis monaſticis oſtendetur: Tum quia Philippus non adducit opera bona charitatis, patientiæ, manſuetudinis, modeſtiæ, continentiæ, &c. quæ ſunt opera juſtitiæ à Deo præcepta; ſed officia Magiſtratuum, coniugum, artificum, quæ indifferentia ſunt, ſingulos homines per ſe non obligant, & non tantùm inter malos Chriſtianos, ſed etiam inter Paganos reperiuntur.

Quæ autem poteſt eſſe maior calumnia, quàm dicere, nos bonis operibus à Deo præceptis traditiones humanas prçferre, quando ſtatus Ordinum, à mundi curis ſeparatorum, & ſoli Deo ſeruientium, ſtatui coniugum, vel aliorum in ſæculi tumultu degentium, præferimus? Nihil enim aliud volumus, quàm exercitia ſpiritualia, quibus in Ordinibus vacare debent, qui vocationi ſuæ ſatisfacere volunt, terrenæ ſolicitudini, pro re familiari, pro liberis, pro coniugibus, &c. præferenda eſſe. Quod qui negat, non tam contra nos, quàm contra manifeſtiſſima Spiritus ſancti teſtimonia pugnat.

Secunda calumnia ponitur in Apolog. de juſtif. in Reſp. ad Arg. his verbis: *Maximè mouent homines exempla Sanctorum: horum imitatione ſperant ſe perinde conſecuturos eſſe reconciliationem, vt illi conſecuti ſunt. Populus Iſrael viderat Prophetas in excelſis ſacrificaſſe; hoc opus mirabili ſtudio cœpit imitari populus, vt per id opus placaret iram Dei, &c. Populus audierat Abraham, immolaſſe filium ſuum; quare & ipſi, vt aſperrimo ac difficillimo opere placarent iram Dei, mactauerunt filios ſuos.* Et paulò ante: *Gentes habebant ſacrificia ſumpta à Patribus; horum opera imitabantur; fidem non tenebant: ſed ſentiebant opera illa propitiationem & pretium eſſe, propter quod Deus reconciliaretur ipſis.* Item paulò poſt: *Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciſcus & alij Sancti Patres elegerunt certum vitæ genus, vel propter ſtudium, vel propter alia vtilia exercitia. Interim ſentiebant, ſe fide propter Chriſtum iuſtos reputari, &c. Sed multitudo deinceps imitata eſt non fidem Patrum; ſed exempla ſine fide, vt per illa opera mererentur remiſſionem peccatorum, &c.* Quanta

Quanta enim calumnia est, quòd Catholici imitentur exempla SS. Patrum, sicut olim populus idololatricus, & Pagani imitati sunt sacrificia à Deo instituta, vel mandata. Quasi verò sacrilega istorum sacrificia, ideò reprobentur, quòd sacrificantes certò non statuerent, sibi remissa esse peccata: aut quasi SS. Patrum sacrificia ideò laudentur, quòd cum tali fide sacrificauerint.

Falsissimum præterea est, Sanctos Antonium, Bernardum, Dominicum, Franciscum, &c. de vita monastica nihil sublimius sensisse, quàm Confessionistas: quod si quis auctoritate Confessionis August. inductus existimat; inspicere non grauetur vel solas Epistolas S. Bernardi, & videbit, quo ipse fine Monachus factus, & alijs, vt similiter fierent, persuadere conatus sit.

Denique per maximam calumniam de SS. Patribus dicitur, quòd de fide justificante idem cum Confess. August. senserint: reclamant enim passim non tantùm ea quæ scripserunt; sed etiam quæ fecerunt. Nec dubium esse potest, quin, vt vita Sanctorum Monachorum, quos Apologia nominat, plurimùm Confessionistis repugnat; ita doctrina, quæ in ordine ad vitam instituitur, plurimùm repugnare censenda sit.

Interim non reprehendendi, sed laudandi erant, *qui imitatione Sanctorum sperant, se perinde consecuturos esse reconciliationem, vt illi consecuti sunt.* Quemadmodum justitiæ Christianæ hostes habendi sunt, qui exempla Sanctorum hostili animo persequuntur.

QVAESTIO II.

Vtrùm Confessionistæ jure accusentur de bonorum operum contemptu?

DE hac accusatione conqueritur Confessio variata, Art. 20. dicens: *Quòd Aduersarij criminantur nos, negligi à nobis doctrinam de bonis operibus, manifesta calumnia est: extant enim libri nostrorum, in quibus vtiliter & piè docent de bonis operibus;*

qua

quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. Cumque in Ecclesia magnum fuerit olim silentium de præcipuis operibus; scilicet de exercitu fidei, & de laudibus politicorum operum: & magna ex parte consumerentur omnes conciones in laudibus traditionum humanarum, in ieiuniis, feriis, monachatu, &c. Nunc Dei beneficio reuocatur Ecclesia ad veros & vtiles cultus, quos Deus probat & requirit.

Videbimus autem primò de Luthero. Secundò de ipsa Confessione, & Confessionistis.

CONCLVSIO I. Lutherus de contemptu bonorum operum jure accusatus est. Probatur inductione quorundam pronunciatorum eius: In Arg. Epist. ad Galat. *Mira*, inquit, *res, & mundo inaudita, docere Christianos, vt discant ignorare legem, vtque viuant coram Deo, quasi penitus nulla lex sit. Nisi enim ignoraueris legem & iram Dei; sed meram gratiam & misericordiam; non potes saluus fieri.* Et paulò post: *Nihil ergo facimus nos, nihil operamur ad hanc justitiam consequendam? Respondeo: Nihil. Quia hæc justitia est prorsus nihil facere, nihil audire, nihil scire de lege, aut operibus.*

Et in comment. 2. in eandem Epist. c. 2. *Papistæ* inquit, *& quotquot justitiam Christi ignorant, aut non rectè tenent, non possunt non facere ex Christo Moysen, & legem, & ex lege Christum. Sic enim docent: Fides in Christum justificat quidem; sed simul seruari oportet etiam præcepta Dei: quia scriptum est: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vbi statim Christus abrogatus, & fides abolita est.*

Et in eodem comment. *Hæc*, inquit, *nostra est Theologia, & paradoxa rationi mirabilia & absurda, quòd non solùm cæcus, surdus sum legi, & liber ab ea; sed ei planè mortuus.* Et paulò post: Cùm lex, inquit, *accusat & ostendit peccatum; conscientia statim dictat: Peccasti. Si tunc tenes, quæ Paulus hic docet; respondes: Verum est, peccaui. Ergo Deus puniet, & damnabit te. Non. Imò lex Dei hoc dicit. Nihil mihi cum hac lege. Quare? Quia habeo aliā legem, quæ cogit hanc obmutescere, libertatem scilicet. Quam libertatem? Christi: per Christum enim liberatus sum à lege: &c. Hoc legi*

dentes est excutere, hebetare aculeum, & omnia arma eius, eamq; prorsus eneruare.

Item lib. de Capt. Bab. Tit. de Baptismo: *Ita vides*, inquit, *quàm diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam, quantucumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si redeat, vel stet fides, per promissionem diuinam, baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem.*

Denique, vt alia multa omittam, in Serm. de nouo Testam. *Ego*, inquit, *dico tibi, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Cæterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Iacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare, &c.*

Quid est autem bona opera contemnere, si, qui talia toties docet, bona opera non contemnit?

CONCLVSIO II. Ipsa Confessio August. & eius Discipuli (quamuis hanc Lutheri doctrinam paululùm quidam mutent, docendo ad fidei iustificantis conseruationem necessaria esse bona opera) multa tamen Lutheri paradoxa retinent, ex quibus bonorum operum contemptus deducitur.

Primò enim Confessio & Confessionistæ passim docent, *homines per solam fidem ita iustificari, vt tametsi opera bona nulla habeant, certò tamen credere debeant, peccata sibi esse remissa.* Sic enim Apologia de iustif. in Resp. ad arg. loquitur: *Hunc ait Paulus beatum esse, cui imputatur iustitia per fidem in Christum; etiamsi nulla habeat bona opera. Talibus consolationibus erigendæ sunt conscientiæ, & confirmandæ.*

II. *Quantacumque quis admiserit peccata, omnem simul culpam & pœnam vnico fidei actu remitti.*

III. *Obseruationem mandatorum Dei esse impossibilem.*

IV. *Omnia iustorum opera bona esse immunda, & ideò coram Deo non verè bona & iusta.*

V. *Consequenter opera bona non placere Deo propter se, sed propter solam fidem.*

Digitized by Google

VI. *Non magis placere Deo, si quis in Monachatu noctes diesque meditationibus, orationibus, ieiunijs & alijs pijs exercitijs incumbat; quàm si artem sutoriam, vel sartoriam exerceat, ad comparanda sibi & familiæ suæ alimenta.* Ita Apolog. de votis monast. Vbi etiam insigni mendacio res ista confirmatur, quòd nimirum S. Antonius à sutore didicerit, statum vitæ anachoreticæ non esse præferendum statui sutoris.

Quid autem magis promptum est homini, naturâ suâ in mala procliui, quàm ex his pronuntiatis sic argumentari: Si sola me fides iustificat, siue opera bona habeam, siue non habeam: si omnia peccata vnico fidei actu remittuntur: si, quantumcunque contendo, legem Dei seruare nequeo: si in ipsis operibus bonis pecco, & offendo Deum; nec per se illi placent opera bona, sed tantùm propter fidem; cur tanta cum molestia bonis operibus insudem? Cur à peccatis abstineam, cùm, quantumcumque peccauero, per solam fidem, qua iustitiam Christi apprehendo, iustus coram Deo habear, quamuis sim maximus omnium peccatorum?

Quem discursum confirmat rhythmus iste inter Confessionistas vsitatus:

> Es ist mit vnserm thuen verlorn/
> Wir verdienen nichts dann eytel Zorn.

Quòd verò plerique Lutherani sic ratiocinentur, patet ex eorum tum dictis, tum factis: quotus enim quisque è vulgo bona opera non contemnit? Et facit prout Smidelinus in Concione 4. sup. c. 21. Luc. conqueritur, his verbis: *Vt totus mundus agnoscat, eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere; illorum etiam operum nullum exercent penitus. Ieiunij loco commessationibus, & perpotationibus nocte dieque vacant: vbi pauperibus benignè facere oportebat; eos deglubunt, & excoriant: precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes; idque tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodiè tantoperè blasphemetur. Demùm pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio. Atque hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur institutum.*

Nec vulgus ſolum ex doctrina Lutheri tales conſequentias trahit; ſed qui ſe vulgi Magiſtros profeſſi ſunt, in rigore doctrinæ Lutheranæ manentes, ſimiliter ſunt philoſophati: Nicolaus enim Amſdorffius, antiquus Lutheri diſcipulus, contra Maiorem mollem Lutheranum librum hoc titulo ſcripſit: *Quòd bona opera ſint pernitioſa ad ſalutem.* Et huius tituli ſententiam manifeſtè paſſim à Luthero defendi aſſerit. Quare & brutum hoc anathematis fulmen in omnes iacit: *Qui docet, quòd bona opera ad ſalutem ſint neceſſaria, hic iam anathematizatus eſt.* Prætereà Illyricus, magnus ille Euangelij Lutherani buccinator, cum ſuis in Colloquio Altenburgenſi, An. 1578. a. 20. Nouemb. vſque ad 9. Martij Anni ſequẽtis habito, contra Theologos Lipſienſes talia poſuit pronunciata.

I. *Opera bona Legis, & noua obedientia non ad regnum Chriſti, ſed ad mundum pertinent.*

II. *Præcepta Decalogi ad nos Chriſtianos nihil pertinent.*

III. *Chriſtianus, qui credit, ſupra omnem eſt obedientiam, & ſuper omnem legem.*

IV. *Ad Satanam ſpectant Chriſtiani cum operibus bonis.*

V. *Precari Deum oportet, vt in fide, ſine bonis operibus omnibus, ad finem vſque conſtanter perſeueremus.*

VI. *Paulus in ſemetipſo adeò ſeparat opera & iuſtitias à ſalute, vt ea pro reiectamentis, atque adeò damnis ſalutis reputet.*

VII. *Falſa eſt propoſitio: Opera ſunt neceſſaria.*

VIII. *Adeò illa neceſſaria non ſunt; vt etiam ad ſalutem incommodent, ſintque pernitioſa.*

Vide plura in ipſo Colloquio, An. 1579. Ienæ impreſſo.

DICES: etiam inter Papiſtas plurimi reperiuntur mali: Ergo ſi ex mala vita noſtrorum colligunt, nos bona opera contemnere; idem ex mala vita ſuorum colligere debent.

RESPONDEO: Adeò non negamus, quàmplurimos inter Catholicos reperiri aut manifeſtè improbos, aut hypocriticè probos, vt hoc in Eccleſia ſua futurum prædixerit

rit Christus, dum in eadem area paleas cum tritico, in eodem reti malos & bonos pisces concludendos pronuntiauit; *Sed*, vt S. August. Lib. de Vnit. Eccl. c. 17. ait, *nos neque propter pisces malos retia rumpimus, neque propter vasa in contumeliam facta domum magnam deserimus.* Interim nullum apud nos dogma est, ex quo vel docti, vel indocti bonorum operum contemptum haurire possint; vt apud Confessionistas non pauca sunt. Qui enim secundùm doctrinam nostram viuunt, non possunt non esse boni; qui secundùm Lutheri dogmata, possunt, imò debent esse mali: & si qui moraliter boni sunt; non hoc in doctrinam suam; sed in naturalem indolem suam bonam referre debent. Nam & inter Ethnicos non paucos moraliter probos fuisse legimus.

QVAESTIO III.

Vtrùm omnia non justificatorum opera mala sint?

AFfirmat Apologia tit. de justif. vbi inter alia, quæ tanquam erronea damnat, quamquam reliqua falsò nobis affingit, extremo loco hanc definitionem ponit: *Falsum est & hoc, & contumeliosum in Christum, quòd non peccent homines facientes præcepta Dei sine gratia,* justificante videlicet; si enim de qualibet gratia loqueretur, non magnopere reluctaremur: Quidam enim Catholici cum Vasquez sentiunt, nullum opus moraliter bonum per solas naturæ vires fieri posse, sine auxilio gratiæ præuenientis, naturæ indebitæ. Iam verò hoc est Apologiæ argumentum: *Quidquid non est fide, peccatum est: Omnia opera non justificatorum non sunt ex fide: Ergo sunt peccata.* Quod argumentum ductum est ex his Apolog. verbis loc. cit. *Verè peccant homines, etiam cùm honesta opera faciunt sine Spiritu sancto: quia faciunt ea impio corde, juxta illud: Quidquid non est ex fide, peccatum est.*

Quæri autem potest I. de operibus eorum, qui Christum non nouerunt. II. De operibus Christianorum, postquam in peccata mortalia lapsi sunt.

CONCLVSIO I. Non omnia opera infidelium sunt peccata mortalia. Infideles hîc sumo non more Lutherano, quo omnes in peccatis mortalibus existentes fide carere dicuntur; sed more catholico, pro ijs, qui mysteria fidei Catholicæ non credunt.

Probatur I. Ex illo Rom. 2. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, ea quæ legis sunt, faciunt.* Ergo hæc faciendo non peccant: peccare enim non est facere ea quæ legis sunt; sed facere contra legem.

II. Probatur Scripturæ exemplis: Exod. 1. 21. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos.* Id est, Quia non paruerunt mandato Pharaonis, occidendo omnes Hebræos masculos, lumine naturali cognoscentes, hoc esse contra voluntatem Dei, ideò temporaliter illis benedixit.

Ezechielis 29. à v. 18. ait Dominus: *Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum, &c. & merces non est reddita ei, neque exercitui eius. &c. Ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Aegypti, & accipiet multitudinem eius, &c. & erit merces exercitui illius, & operi quo seruiuit aduersus eam.* Ergo Deus Regi infideli & exercitui eius dedit mercedem temporalem, ob bellum justum cõtra Tyrios, quos propter flagitia volebat extinctos. In quem locum S. Hieron. sic ait: *Ex eo, quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.*

Prætereà eidem Regi ait Daniel, c. 4. 24. *Rex, consilium meum placeat tibi; peccata tua eleemosynis redime: &c.* Sed si eleemosynæ Gentilium semper essent peccata, non potuisset Rex iste eleemosynis placare Deum; sed grauiùs tantùm offendere: Ergo, &c.

Idem probat S. August. lib. 4. de baptis. c. 8 exemplo Centurionis dicens: *Neque enim Cornelij gentilis hominis orationes non sunt exauditæ, aut eleemosynæ non sunt acceptæ: imò & Angelum ad se mitti, & missum meruit intueri, per quem posset vtique, sine hominis alicuius accessu, cuncta necessaria discere. Sed quoniam,* quid-

quidquid boni in orationibus & eleemosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculũ Christianæ societatis & pacis incorporaretur Ecclesiæ; jubetur mittere ad Petrũ, & per illum discit Christum.

Adde quòd Apologia, Tit. de justif. circa initium, de justitia rationis, quam suis viribus homo efficere potest, ita loquitur: *Quamquam huic justitiæ rationis libenter tribuimus suas laudes, nullum enim maius bonum habet hæc natura corrupta, & rectè inquit Aristoteles, neque Hesperum neque Luciferum formosiorem esse justitia, ac Deus etiam ornet eam corporalibus præmiis; tamen non debet cum contumelia Christi laudari.*

Fateor nihilominus, opera infidelium ordinariè, vel ex fine operantium, vel ex aliis circumstantiis solere esse mala: quamquam hoc non sit absolutè necessarium.

Deinde, eorundem opera, per solas naturæ vires facta, nihil quidquam prodesse ad consequendam remissionẽ peccatorum. Ideò enim S. August. in exposit. Epist. ad Galat. c. 3. ait: *Est ista quædam in operibus legis justitia, quando sine suo præmio relicta non est, vt, qui fecerit ea, viuat in eis. Vnde & ad Rom. dicit: Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam; sed non apud Deum. Aliud est ergo non justificari; aliud non justificari apud Deum: qui omninò non justificatur; nec illa seruat, quæ temporale habent præmium, nec illa, quæ æternum: qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur: quia temporalem inde expectat, visibilemque mercedem. Sed tamen est etiam ista, vt dixi, quædam, vt sic dicam, terrena carnalisque justitia: nam & ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit: Secundùm justitiam quæ in lege est conuersatus sine querela.*

Præterea opera quædam Gentilium bona quidem & laudibilia esse docet. lib. de spir. & lit. c. 27. his verbis: *Quædam facta* (quorumuis impiorum) *vel legimus, vel nouimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus.* Nihilominus c. 28. addit: *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.*

Eadem est sententia Concil. Trid. Sess. 6. can. 3. dicentis: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, vt ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

CONCLVSIO II. Non omnia opera fidelium, in peccata mortalia lapsorum, facta antequam justificentur sunt peccata mortalia. Ita definit Concil. Trid. Sess. cit. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauiùs peccare; anathema sit.*

Probatur I. ex illo Matt. 6. 14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* In quæ verba S. Chrysost. rectè ait: *Itaque à nobis tota hæc res sumit exordium, futurumque in nobis in nostra est potestate judicium. Quemadmodum, inquit, tu ipse judicabis, ita etiam tibi judicabo: si enim dimiseris conseruo tuo, à me quoque eandem gratiam consequeris.* Ergo Deus exigit à nobis, vt priùs ipsi dimittamus, & posteà petamus dimissionem: Quòd verò Deus à nobis exigit, non potest esse peccatum: Ergo cùm quis inimico dimittit offensam, antequã sibi Deus peccata remittat, non peccat.

II. Cùm ibidem orare jubet Christus: *Dimitte nobis debita nostra*, &c. non tantùm jubet orare justos; sed etiam, & multo magis peccatores, vt fatetur Lutherus in magno Catechis. in explicat. orat. Dominicæ, vbi docet, nisi Deus secundũ huius orationis petitionem nobis quotidie dimittat, nos esse perituros. Sed Christus non jubet quemquam peccare: Ergo peccatores, quando remissionem peccatorum petunt, non peccant.

III. Si omnia hominum, nondum justificatorum, opera sunt peccata; sequitur non licere cuiquam, postquam peccauit, dolere de peccato, proponere emendationem, inuocare Deum, velle remissionem peccatorum, velle credere, imò non licere credere, vt remissio peccatorum acquiratur. Quia peccare nunquam licet: sed omnia jam dicta, si fiant antequam

Digitized by Google

tequam peccata remittantur, secundùm Confessionistas sunt peccata: Ergo ante remissionem peccatorum ea facere non licet. Quomodo ergo verum est, quòd homo per fidem remissionem peccatorum velle & accipere debeat, vt passim loquitur Apolog. si ipse fidei actus illicitus est, nisi ab homine, cui peccata jam remissa sunt, eliciatur?

DICES: Sed quid respondetur ad illud Pauli, Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est?*

RESPONDEO I. Tametsi dictum illud de fide justificante ageret, vt quidam minùs probabiliter explicant; nihil tamen pugnaret contra hanc conclusionem, in qua dictum est, actiones hominum in fide fundatas non esse peccata: vt cùm ex salubri timore auertuntur à peccatis suis, inuocant Deum, ad misericordiam eius & Christi merita confugiunt, pœnitentiam agunt, vitam emendare proponunt, subueniunt egenis, iniurias remittunt propter Christum, &c.

RESPONDEO II. Apostolum non loqui de fide propriè dicta, sed de fide practica, quæ cuilibet homini in qualibet occasione dictat, quid licitum, quid illicitum; quid agendum, quid omittendum sit. Ex hac enim fide dicitur homo, qui conscientiam in actionibus suis sequitur, fideliter, & bona fide agere. Illo autem modo sumi hoc loco fidem, patet ex toto contextu: agit enim Apostolus de infirmis Christianis, qui putabant, sibi non licere, carnes idolis immolatas manducare; & jubet, ne quis alius coram his infirmis carnes istas manducet: quia quamuis id per se licitum sit; tamen non licere cum offendiculo fratris. Et hoc modo concludit: *Qui autem discernit, si manducauerit; damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Id est, Qui ex erronea conscientia discrimen inter idolothyta & alias carnes facit, & nihilominus illa comedit; peccat: quia non ex fide, siue dictamine conscientiæ suæ agit. Nam cùm, teste Cicerone, lib. 1. offic. fides appelletur, quòd fiat id, quod dictum est; quando quis agit contra id, quod conscientia agendum dicit; non agit ex fide. Quomodo autem quæso potuisset Apostolus

lus requirere fidem Lutheranam in manducatione carnium, Idolis immolatarum, siue certam fiduciam, quòd in manducatione illa remitterentur peccata propter Christum? Quòd si enim hoc volunt, manducationem istam æquiparant manducationi Eucharistiæ: nam vt in Eucharistia præsens est Corpus & Sanguis Christi sub pane & vino, vt docent, ita in carnibus istis eadem præsentia fuisse sentiunt, propter Corporis & Sanguinis Christi omnipræsentiam. Et vt ipsa per se manducatio Eucharistiæ nihil prodest, sed sola fides fructum Sacramenti, siue remissionem peccatorum secundùm Confessionistas confert; ita in manducatione idolothytorum, accedente fide in Christum, remissio peccatorum collata fuisset illis, contra quos ibi disputat Apostolus. Et consequenter manducatio illa & ratione sui, & ratione effectus omnimodam cum manducatione Eucharistiæ paritatem habuisset.

QVAESTIO IV.

Vtrùm bona justorum opera imperfectionem contineant, quæ coram Deo verè peccatum sit?

AFfirmat passim Apolog. dum ait: *justos non seruare legem Dei, opera eorum esse immunda, indigere misericordiâ, & per mandatum dilectionis etiam justissimos accusari.* Vt ex ijs quæ sup. Art. dicta sunt manifestum est.

Contra Concil. Trid. Sess. 6. can. 25. sic definit: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.* Pro qua definitione sit

CONCLVSIO: Opera bona justorum non habent talem imperfectionem, quæ coram Deo verè sit peccatum. Probatur I. Quia quod Deus operatur in justis, id non potest habere imperfectionem peccaminosam; aliàs enim peccatum in Deum referri posset, contrà, quàm Confessio nobiscum docet. Sed Deus operatur in justis opera bona, juxta illud Phi-

lip. 2.

lip. 2. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Ergo opera bona justorum imperfectionem peccaminosam in se non habent.

II. Quidquid placet Deo, illud absolutè bonum est: *Mundi enim sunt oculi eius, ne videant malum,* Habacuc. 1. 13. Sed opera bona placent Deo; Malach. 3. 4. *Placebit Deo sacrificium Iuda.* 1 Petri. 2. 5. *Offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo.* Act. 10. 35. *In omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam; acceptus est illi, &c.*

III. Quidquid in Scriptura absolutè bonum vocatur, non potest in se continere malitiam: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. 14. Sed opera bona justorum in Scriptura absolutè vocantur bona: Matt. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Luc. 6. 45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* 1 Timoth. 6. 17. *Diuitibus huius sæculi præcipe, &c. diuites fieri in bonis operibus.* 2. Pet. 1. 10. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis;* & addit: *Hæc facientes non peccabitis aliquando.* Vnde & ij, qui bona opera exercent, arboribus bonis comparantur: Matt. 7. & terræ bonæ: Matth. 13. Idque Luc. 8. v. 15. hoc modo explicatur: *Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

IV. Ipsi homines justi vocantur perfecti & immaculati: Ergo opera eorum bona non sunt ita imperfecta, vt eos maculent: aliàs enim immundi dicendi forent. Probatur Antecedens ex illo Gen. 6. 9. *Noe vir justus atque perfectus fuit.* Ps. 118. 1. *Beati immaculati in via.* Ephes. 1. 4. *Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.*

V. Probatur ex illo Matt. 6. 22. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Luc. 11. 3. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum; erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Vbi per corpus intelligitur opus ex genere suo bonum, & recta intentione factum: per oculum enim intentio significatur. Si au-

tem opus bonum, hac ratione factum, ita totum lucidum est, vt non habeat aliquam partem tenebrarum; totum bonum est, nihil habens admixtum malitiæ.

VI. Probatur ex illo 1. Cor: 3. 12. *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; vniuscuiusq; opus manifestum erit, &c. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet.* Ergo sunt quædam opera bona, quæ nihil peccati continent: tum quia auro, argento, lapidibus pretiosis comparantur; tum quia in die iudicij tota mansura dicuntur. Idque confirmat Iacobus, quando c.3.2. ait: *In multis offendimus omnes*, satis indicans, esse quædam opera, quæ sine offensa Dei fiunt; aliàs enim dixisset: *In omnibus offendimus omnes.*

Vltimò Probatur ex doctrina Confessionis, quæ passim tradit, opera bona non tantùm mereri apud Deum remissionem pœnarum temporalium; sed etiam præseruationem à peccatis, perseuerantiam, incrementum dilectionis Dei, & maiorem gloriam æternam. Sic enim loquitur Apolog. Tit. de justif. in Resp. ad Arg. *Placent igitur eleemosynæ Deo, quæ sequuntur reconciliationem, non quæ præcedunt: & liberant à peccato & morte, non ex opere operato,* (Et quis quæso Catholicorum vnquam somniauit, eleemosynas ex opere operato liberare) Et paulò post: *Adhæc concedimus, eleemosynas mereri multa beneficia Dei, & liberare, non à præsenti peccato (non enim vincunt iram & judicium Dei, nec reddunt pacatas conscientias) sed liberare à futuro peccato, hoc est, mereri, vt defendamur in periculis peccatorum, & mortis.* Et infra: *Præterea concedimus, opera esse verè meritoria, non remissionis peccatorum aut justificationis (non enim placent nisi in justificatis, nec sunt digna vitâ æternâ) sed sunt meritoria aliorum præmiorum corporalium & spiritualium, quæ redduntur tum in hac vita, tum post hanc vitam.* Et paulò post: *Cùm igitur opera sint quædam impletio legis, rectè dicuntur meritoria, rectè dicitur eis deberi merces: & hæc merces parit gradus præmiorum, juxta illud Pauli: Vnusquisque accipiet mercedem juxta suum laborem. Hi gradus sunt merces operum atque afflictionum.*

In

In Confeſſione etiam variata, Art. 20. ait Philippus; *Debet autem ad hæc dona accedere exercitatio noſtra, quæ & conſeruat ea, & meretur incrementum; juxta illud: Habenti dabitur. Et Auguſt: præclarè dixit: Dilectio meretur incrementum dilectionis, cùm videlicet exercetur: habēt enim bona opera præmia, tum in hac vita, tum poſt hanc vitam in vita æterna.* Si autem bona opera tam magna præmia coram Deo merentur; ſequitur ea non fieri cum peccato: aliàs enim pœnam, non præmia mererentur.

Quod autem Confeſſioniſtæ dicunt, bona opera propter Dei miſericordiam placere Deo, & mereri; quamuis in ſe propter imperfectionem ſuam immunda ſint; intelligi nulla ratione poteſt: cùm enim ipſa bona opera dicantur hoſtiæ placentes Deo; non poſſunt fieri cum peccato: quia aliàs ſimul placerent Deo, & diſplicerent; mererētur præmia, & pœnas; fierent in obſequium Dei, & Diaboli.

OBIICIT Kemnitius in Exam. Concil. Trid. ad c. 11. Seſſ. 6. *Paulus ad Rom. 7. de vno & eodem opere, imò de ſingulis operibus renatorum in hac vita dicit: Volenti mihi facere bonum adiacet malum: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: Ipſe ergo mente ſeruio legi Dei, carne verò legi peccati. Non quòd ipſum opus, lege Dei mandatum malum ſit & peccatum; ſed id quòd minus eſt, quàm debebat, vitium eſt, ſicut Auguſt. loquitur, & vitioſitas illa ex carne adhærens peccatum eſt. Vnde idem Auguſt. lib. 4. Confeſſ. c. 13. ait: Væ humanæ vitæ, quantumuis laudabili, ſi remotâ miſericordiâ judicetur. Et lib. 19. de Ciuit. Dei c. 37. Inhærens juſtitia Sanctorum in hac vita magis remiſſione peccatorum conſtat, quàm perfectione virtutum. Et plurimis in locis præclarè docet, hæc duo præcepta: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* Et: *Non concupiſces, in hac vita à nemine perfectè impleri poſſe. Cui & conſentit Hieronymus, lib. 1. contra Pelag. dicens: Quid ergo ſapimus, imò quid ſapere debemus, qui perfecti non ſumus? Imperfectos nos eſſe confiteri, & nondum comprehendiſſe, nedum accepiſſe. Hæc eſt enim hominis vera ſapientia, imperfectum ſe eſſe noſſe: atq; vt ita loquar, omnium in carne juſtorum imperfecta perfectio eſt.*

RESPONDEO I. dupliciter intelligi posse, quòd imperfectio peccaminosa bonis justorum operibus coniuncta sit: I. Vt ipsa illa imperfectio operibus bonis insit: II. Vt in eodem homine, in quo justitia & bona opera insunt, reperiatur. Posterius hoc iam ante concessum est, quando nullum justum tam perfectum ordinariè esse diximus, quin propter quotidianos defectus, & peccata venialia imperfectus reputari debeat. Prius autem illud nec Apostolus, nec SS. Patres docent: & si docerent, contrà, quàm ipse Kemnitius docet, opera bona, lege Dei mandata, vtpote imperfectionem peccaminosam in se continentia, peccata esse sentirent.

Locum autem Apostoli hoc modo explicat S. August. Tract. 41. in Ioan. *Ista inchoata est, non perfecta libertas* (quando videlicet quis est sine peccato mortali) *Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? Quia video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio. Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: vt non quæ vultis illa faciatis. Ex parte libertas ex parte seruitus: nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum plena æternitas.* Et paulò post: *Ex qua parte seruimus Deo, liberi sumus; ex qua parte seruimus legi peccati, serui sumus. Vnde dicit Apostolus, quod dicere cœperamus: Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem, &c.* Si autem is, qui secundùm interiorem hominem condelectatur legi Dei, ex ea parte liber est à peccato; opera spiritus, quibus iusti repugnant carni, secundùm se fiunt citra peccatum, quamuis homo propter concupiscentiam carnis non sit omnino liber à peccato: non quòd ipsa concupiscentia inuoluntaria peccatum sit; sed quòd fragilitati humanæ surrepant aliquando concupiscentiæ, quibus plus æquo sæpè indulgetur, & efficitur, vt iustitia nõ sit omnino perfecta: nimirũ talis, quæ sit extra omnis peccati contubernium. Vnde S. August. loc. cit. dicit: *Quemlibet valdè justum discutias in hac vita, quamuis iam sit dignus justi vocabulo, non est tamè sine peccato.*

Quòd autem hæc peccatorum venialium societas non inqui-

Digitized by Google

inquinet ipsa opera bona iustorum, docet eodem loco his verbis: *Velle inquit, adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio. Nunquid dixit: Non mihi adiacet facere bonum? Si hoc dixisset, spes nulla esset. Non ait: Non mihi adiacet facere; sed: Non mihi adiacet perficere. Quæ est enim perfectio boni, nisi consummatio & finis mali?* Videlicet concupiscentiæ, & peccatorum quotidianorum, quæ ex concupiscentia originem trahunt. Adeò ergo non vult hic S. Doctor, propter coniuncta peccata venialia nō posse fieri vlla opera absolutè bona, vt addat nullam fore spē salutis, si homo in hac vita nō posset facere bonum.

Falsum autem est, S. Augustinum docere, id, quod summæ charitatis perfectioni in hac vita deest, esse peccatum: hæc enim sunt illius verba, Epist. 29. ad Hieron. quam citat Kemnitius: *Charitas in alijs maior, in alijs minor, in alijs nulla est: Plenissima verò, & quæ iam non possit augeri, quamdiu hic homo viuit, est in nemine. Quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est, quàm debet, ex vitio est.* Id est, Si quid minus est in charitate hominis mortalis, quàm debet inesse, hoc est ex vitio carnem inhabitante, non satis subacto. Non autem dicit in omni charitate huius vitæ, pro ratione huius vitæ, minus inesse quàm debeat; sed potiùs contrarium alibi tradit, vt ex sequentibus magis patebit.

Adde quòd per vitium non intelligat peccatum propriè dictum, sed fomitem peccati, vt patet ex illa ipsa Epist. 29. ad Hieron. vbi sic argumentatur: *Pudicitia coniugalis, in viris fœminisque religiosis, cùm procul dubio virtus sit (non enim aut nihil, aut vitium est) non tamen secum habet omnes virtutes: nam si omnes ibi essent; nullum esset vitium: si nullum vitium; nullum omnino peccatum. Quis autem sine aliquo peccato? Quis ergo sine aliquo vitio, id est, fomite quodam, vel quasi sine radice peccati?* Ex quibus verbis, vt & ex tota ferè Epist. colligitur, S. Augustinum nobiscum sensisse, veram virtutem esse posse in homine, tametsi in eodem reperiantur leuia peccata.

Neque isto tantùm loco concupiscentiæ vitium à peccato propriè dicto distinguit; sed & in Epist. 200. ad Asellicum,

cum, quam pro se quoque citat Kemnitius, hoc modo loquitur: *Incipit autem homo secundùm gratiam in interiori homine renouari, vt mente agat, quod amat; nec carni consentiat, quod odit, id est, vt non omnino non concupiscat; sed vt post concupiscentias suas non eat. Quod quidem tam magnum est, vt si omnimodo fieret; &, quamuis insint dum sumus in corpore mortis huius desideria peccati, nulli eorum tamen adhiberemus assensum; non esset vnde diceremus Patri nostro, qui est in cœlis: Dimitte nobis debita nostra. Nec tamen ideò tales jam essemus, quales erimus, cùm mortale hoc induerit immortalitatem: tunc enim non solùm nulli desiderio peccati obediemus; sed nulla erunt desideria talia, quibus non obedire jubeamur.* Ergo quamuis ex mente S. Augustini concupiscentia inuoluntaria *vitium*, siue, vt Tract. 41. in Ioan. loquitur, *infirmitas* sit; peccatum tamen propriè dictum non est.

RESPONDEO II. Opera justitiæ Christianæ, quamuis pro huius vitæ debito verè & absolutè perfecta sint, hoc est, citra imperfectionem quæ Deum offendat; talia tamen sunt; vt homo quantumuis justus fateri debeat, multum sibi deesse de ea perfectione, quæ in cœlo erit. Hinc enim S. August. lib. 3. cont. duas Epist. Pelag. c. 7. ait: *Iustitia illa, secundùm quam justus ex fide viuit, licet non immeritò in aliquibus justis, pro huius vitæ capacitate, perfecta dicitur; parua tamen est, ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum.* Quænam autem perfectio in hac vita requiratur à nobis; quæ futura sit in altera, declarat in lib. de Spir. & litt. c. vlt. *Ad illam vitam immortalem pertinet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua: ad hanc autem: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius. Ad illam: Non concupisces: ad hanc: Post concupiscentias tuas non eas. Ad illam, nihil amplius quærere, quàm in ea perfectione persistere: ad istam, hoc quod agit in opere habere, & illius perfectionem pro mercede sperare: vt per illam justus sine fine viuat in specie, quam in ista desiderauit: per hanc autem justus viuat ex fide.*

Vbi NOTA, S. Augustinum, quando ista duo præcepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* &: *Non*

Non concupisces, ad alteram vitam spectare dicit, non fauere Confessionistis docentibus, hæc duo esse prorsus impossibilia mortalibus: quia aliter illa S. August. aliter Confessionistæ sumunt: hi enim duo ista præcepta, quatenus nos sub peccato in hac vita obligant, impossibilia esse dicunt: S. Augustinus verò docet, hæc duo, prout ad vitam æternam pertinent, non esse media ad illam, nos hîc sub peccato obligantia; sed esse finem, ad quem aspirare debemus. Sic enim loco proximè citato ait: *Sed ideò nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quò spem præmittere, &, obliuiscendo quæ retrò sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda est justitia, multum in hac vita ille proficit, qui, quàm longè sit à perfectione justitiæ, proficiendo cognouit. Sed dici potest quædam justitia minor, huic vitæ competens, quâ justus ex fide viuit: quamuis peregrinus à Domino, & ideò per fidem ambulans, nondum per speciem. Non absurdè dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet: neque enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectaque debetur, jam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem; aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamuis longè minùs amet Deum, quàm eum potest amare conspectum; nihil tamen appetere illicitum: sicut etiam in his, quæ adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari; quamuis non possit in fulgentissima luce defigi.*

In eundem sensum explicat præceptum illud: *Non concupisces*, lib. 1. ad Valer. c. 29. *Ad hoc lex dicit: Non concupisces, vt medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quò debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quò possit à nobis in illa immortalitate beatissima perueniri. Nisi enim esset quandoque perficiendum, nunquam jubendum fuisset.*

Ex quibus locis constat, præceptum non tam propriè hîc à S. August. sumi, vt in aliis locis ab eo sumitur. Nam lib. de S. Virginit. c. 14. *Præcepto*, inquit, *quisquis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ.* Et c. 15. *Præcepto non obedire peccatum est; consilio verò si vti nolueris, minus boni adipisceris; non mali aliquid*

perpetrabis. Locis autem suprà citatis præcepta vocat, ad quæ tanquam ad præmia currere debemus: & ideò lib. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 7. ait: *Hic præceptum est, vt non peccemus: ibi præmium, non posse peccare. Hic præceptum est, vt desiderijs peccati non obediamus: ibi præmium, vt desideria peccati non habeamus. Hic præceptum est: Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite: ibi præmium est, plena sapientia, & perfecta cognitio. Hic præceptum est; Exultate Deo adiutori nostro, Et, Exultate justi in Domino: ibi præmium est, exultare perfecto & ineffabili gaudio: Postremò in præcepto positum est: Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam: in præmio autem: Quoniam ipsi saturabuntur.* Et per hæc patet responsio ad vltimam obiectionem ex S. August.

RESPONDEO III. Ad alia loca in obiectione posita: S. Augustinus lib. 9. Confess. non loquitur de ipsis bonis justorum operibus; sed de tota eorum vita, quæ à peccatis immunis non est: manifestè enim ibidem separat opera bona matris suæ, à peccatis, quæ per fragilitatem carnis commiserat, sic loquens: *Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te.* Ergo non agnoscit peccata in ipsis bonis actibus matris suæ: aliàs enim non gratias ageret pro illis; sed pariter deprecaretur. Etsi autem particula illa, *Væ*, communiter æternam damnationem in Scriptura, & Scriptoribus Ecclesiasticis minetur; sæpè tamen etiam magnam calamitatem temporalem significat: vt in illo Matt. 24. 19. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Et quòd S. Augustinus hoc sensu particulam istam accipiat, inde colligitur: quia agit de matre sua defuncta, pro qua misericordiam Dei implorat: si autem, hac misericordiâ remotâ, matrem suam æternaliter damnandam existimaret, frustra ad misericordiam Dei confugeret. Nam qui morti æternæ obnoxius moritur, per orationes viuentium misericordiam, qua liberetur, impetrare non potest.

Libro autem 19. de Ciuit. Dei, non dicit idem Sanctus, vt Kem-

vt Kemnitius citat, *Inhærens justitia Sanctorum, &c.* quasi aliam hominis justitiam poneret, quàm inhærentem; sed ita loquitur. *Ipsa quoque nostra justitia, quamuis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur; tamen tanta est in hac vita, vt potiùs peccatorum remißione constet, quam perfectione virtutum.* Perfectionem autem virtutum vocat, quæ est sine omni admixtione peccatorum, quæ fortissimè in hac infirmitate cum cõcupiscentia confligentibus surrepere solent; vt patet ex ijs, quæ ibidem adduntur. Hinc autem non sequitur, in singulis justorum operibus bonis reperiri imperfectionem peccaminosam; sed contrarium: si enim justitia huius vitæ, & vt addit Kemnitius, *justitia inhærens*, est vera justitia; ergo peccatum, quo inquinetur, in se non includit; quamuis non sit sine leuium peccatorum contubernio: aliàs enim iniustitia potiùs, quàm justitia foret.

Denique S. Hieron. quando dicit, omnium in carne justorum imperfectam esse perfectionem, non vult singula justorum opera imperfectionem inuoluere, qua offendatur Deus; sed cum S. August. imperfectionem in eo ponit, quòd nondum comprehenderimus id, quò tendimus: & non simus sine omni peccato. Nam in fine eiusdem libri perfectionem quandã justitiæ, humanæ fragilitati conuenientẽ, agnoscit. Et lib. 2. manifestè docet, hominẽ nõ in omnibus, sed in quibusdam tantùm operibus indigere misericordia Dei, dum ait: *Si justus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? Certè justus est, qui in die judicij vix saluatur: saluaretur autem facilè, si nihil in se haberet maculæ,* Ergo *justus est in eo, quòd floret multis virtutibus; & vix saluatur, quòd in quibusdã eget Dei misericordiã.*

Pro coronide tamen addo, omnia opera nostra bona, quatenus à nobis procedunt, ita esse imperfecta, vt Deus, si rigidè nobiscum agere vellet, longè perfectiora à nobis exigere posset: & ideò nos punire, si non perfectiùs operaremur, quàm modò ordinariè operamur. Non quòd opera imperfectiora peccata forent; sed quòd Deus maiorem perfectionem, tanquam sibi debitam, postularet. Vt qui deberet alicui centum aureos, soluendo quinquaginta

non quidem nouum debitum contraheret; nihilominùs quantum deberet, non exsolueret. Iam verò Deo, *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, tantum debemus, vt ne justitia quidem Angelica, nedum humana, huic debito ex æquo respondere possit. Interim, quæ est Dei bonitas, ne tantum quidem à justificatis exigit, quantum pro humanis viribus præstare possunt; sed eo contentus est, quod requiritur, vt ipse sincero corde diligatur: quod cùm fit, absolutè benè facit homo; sed non tam perfectè, quin semper perfectiùs diligere possit.

QVAESTIO V.

Vtrùm bona justorum opera mereantur vitam æternam?

QVamuis justos bonis operibus multa, tum huius, tum æternæ vitæ præmia mereri concedat August. Confessio; ipsa tamen æternam vitam mereri negat: sic enim loquitur Apolog. de justif. in Resp. ad arg. *Sunt enim grauissima causæ, propter quas hæc disputamus: etenim si largiamur Aduersarijs, quòd opera mereantur vitam æternam; mox attexunt illa absurda: Quòd opera legi Dei satisfaciant: quòd non habeant opus misericordiâ; quòd simus justi, hoc est, accepti Deo, propter nostra opera, non propter Christum: quòd plus quàm legem facere homines possint.*

Vbi Nota duas, pro more, grauissimas calumnias his verbis contineri: I. Quòd doceamus, homines ita legi Dei satisfacere, vt sine omni peccato viuant. II. Eosdem propter opera sua, secluso Christo, justos esse. Vtrumque enim ex dictis constat esse falsissimum. Quòd autem iste sit Apologiæ sensus, patet ex hoc exemplo, quod ibid. contra nos adducit: *An Laurentius*, inquit, *in craticula sentiebat, se hoc opere legi Dei satisfacere, se sine peccato esse, se non indigere mediatore Christo, & misericordia Dei?* Sed neque vllus Catholicorum hoc sentit, vel sensit vnquam.

Porrò Concil. Trid. Sess. 6. can. 23. quæstionem propositam

ſitam hoc modo definit: *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.*

NOTA I. Confeſſioniſtas non negare, quin magna ſit bonorum operum, à juſtificatis factorum, dignitas: vt tum ex Apolog. Confeſſionis cōſtat; tum ex Kemnitio, in Exam. Concil. Trid. vbi dicit, hæc opera commendari in Script. quòd ea homines, tanquam palmites Chriſto inſiti, eiusdem virtute producant, Ioan. 15. & quòd ſint fructus Spiritus ſancti, ad Galat. 5. Neque profectò alia eſt mens Concilij Trid. quàm opera bona, non quatenus ab humanis viribus procedunt, ſed quatenus ex merito Chriſti, & gratia Spiritus ſancti proficiſcuntur, eſſe digna, quibus vita æterna tribuatur tanquam merces: vt patet ex cap. 16. Seſſ. 6. Vnde ſequitur manifeſtam eſſe calumniam eiusdem Kemnitij, qua dicit, Patres Concil. Trid. vitam æternam partiri inter Chriſtum, & noſtra merita: quaſi verò ipſi Chriſto adſcribendum non ſit, quidquid meritis noſtris adſcribitur. Cùm enim merita hominū ſint dona Dei, propter Chriſtū gratuitò collata, juxta illud Epheſ. 2. 10 *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus:* quācumq; bonis juſtorum operibus virtutem adſcribimus, tota in diuinæ bonitatis & liberalitatis, & meritorum Chriſti gloriam redundat. Sicut enim gloria perſonæ Chriſti eſt, quòd per opera à ſe elicita meruerit nobis vitam æternam; & ſi quis diceret, eum partiri gloriam Chriſti, qui opera eius commendaret; quòd partim Chriſto, partim operibus illius gloriam tribueret, meritò rideretur: ita vaniſſimè dicitur, auferri gloriæ Chriſti, quidquid tribuitur operibus, quæ ipſe in membris ſuis efficere dignatur. Quia partitio non habet locum in cauſis ſubordinatis, quarum inferior omnem virtutem acci-

pit à superiore; sed in iis, quarum quælibet propriâ & distinctâ virtute per se operatur. Iam verò iustificati omnem virtutem & dignitatem meriti, quod in operibus eorum reperitur, in solam Dei gratiam, & Christi meritum referunt: & ideò non partim in se, partim in Domino; sed solidè in solo Domino gloriantur. Tametsi enim gratiæ Dei cooperatores sint; omnia tamen in Deum referunt, qui per gratiam suam dignatus est eos efficere cooperatores, & cooperationi æternæ vitæ præmia promittere. *Deus enim est, qui operatur in illis velle, & perficere pro bona voluntate,* ad Philipp. 1. 2.

NOTA II. Iustos quidem propter bona opera in gratia Dei facta, esse dignos vita æterna, vt in Conclusione ostendetur, nihilominùs Deum per illa opera ad nullum præmium, nedum ad conferendam vitam æternam fore obligatum, nisi ipse iustis benè operantibus talem mercedem promisisset. Cùm enim homines sint serui Dei, omnia, quæ habent & sunt, ex conditione naturæ suæ ipsi debentes; & ipsa bona opera, quæ agunt, ex peculiari dono eiusdem habeant; posset illa, si vellet, sine vlla spe retributionis summo iure ab ipsis exigere. Id quod insinuat Christus, quando Luc. 17. 10. ait, iustos, cùm omnia fecerint, quæ præcepta sunt illis, dicere debere: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Iam verò Deus non ipsa tantùm iustitiæ opera nobis per misericordiam suam largitur; sed etiam vitam æternam promittere dignatus est iis, in quibus gratia eius vacua non fuerit; sed bonorum operum fructus produxerit. Itaque cùm iusti benè operantes apud Deum merentur, potiùs obligatur ipse fidelitati suæ, quàm operantibus: non enim potest non coronare dona sua, non præcisè ideò, quia ipsa digna sunt (quamuis reuera talia sunt) sed quia se ea coronaturum esse promisit. Vnde S. August. Serm. 3. de verb. Dom. rectè ait: *O magna bonitas Dei, cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequium, vtpote Serui Domino; amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debita seruitutis extorqueat.* Et Serm. 16. de Verb. Apost. *Non dicimus,* inquit, *Redde, quia accepisti; sed: Redde,*

Redde, quia promisisti. Et S. Bernard. Serm. 1. de Annunt. *Neque enim talia,* inquit, *sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure* (sepositâ videlicet promissione Dei) *aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret* Et huc quoque referenda sunt eiusdem verba, quæ paulò ante ponit, & Apolog. nobis obiicit: *Necessè est primò credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Deinde, quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quòd æternam vitam nullis possis operibus promereri, nisi gratis detur & illa.* Quòd autẽ, suppositâ promissione, Deus obligetur ad dandam bonis justorũ operibus mercedẽ, colligitur ex illo S. Augustini loc. cit. *Redde quod promisisti; quia fecimus, quod jussisti.* Sed de hoc pluribus in Conclusione.

NOTA III. Confessionem August. & ex ea Confessionistas, vt videre est apud Kemnitium in Exam. Concil. Trid. per calumniam Catholicis affingere, quòd doceant, per opera bona promereri homines remissionem peccatorum, adoptionem, & vitam æternam: quasi opera bona respectu horum omnium eodem modo se habeant: cùm ex dictis cõstet, opera, quæ remissionem peccatorum antecedunt, non esse meritoria remissionis, vel adoptionis; sed per gratuitam Dei misericordiam adoptari homines peccatores, dum pœnitentiam agunt, in filios Dei. Postquam autem adoptati sunt, bona opera exercere debent, vt vitam æternam duplici titulo consequantur; hereditatis videlicet, & mercedis. Id quod S. August. Epist. 105. & 106. manifestè tradit, quando dicit, vitam æternam esse iustitiæ & bonorum operũ stipendium, & mercedem; ipsam autem iustitiam, non esse alicui operi præuio debitam, sed gratis credenti, pœnitenti, & supplicanti à Deo donari. Atque ideò de Niniuitis pœnitentiam agentibus Scripturam dicere, Ion. 3. 10. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala; & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Et publicanum Luc. 18. 13. hoc modo precari: *Deus propitius esto mihi peccatori;* non autẽ: *Deus retribue mihi veniam peccatorum.*

Quando

Quando verò Catholici asserunt, iustos per bonorum operum merita expiare peccata sua, non loquuntur de expiatione culparum, sed pœnarum temporalium, quæ remissis culpis reliquæ esse solent, vt in Art. de pœnitent. ostendetur. Nec aliter intelligi potest, quod Principes Catholici in Resp. ad Art. XX. Confess. dicunt, Articulum istum non posse admitti, quòd doceat bona opera non mereri remissionem peccatorum, vt ex Concil. Trid. manifestum est. His positis sit

CONCLVSIO: Opera bona iustorum sunt meritoria vitæ æternæ. Probatur I. Quia opera illa sunt digna vitâ æternâ: Ergo Confessio non benè negat, opera bona esse meritoria ex hoc capite, quòd vitâ æternâ indigna sint, & *sola fides discrimen faciat inter dignos & indignos*, vt Apologia in Resp. ad Arg. loquitur. Probatur Antecedens ex illo Sap. 3. 5. *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Luc. 20. 35. *Qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis.* Ad Colos. 1. 10. *Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* 2. Thes. 1. 5. *In omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Apoc: 3. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt.*

II. Bonis justorum operibus promissa est vita æterna: Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 1. Timoth. 4. 8. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Iacob. 1. 12. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et, *plena est*, inquit ipse Kemnitius, *Scriptura talium promissionum.* Ergo opera bona, cùm & sint digna vitâ æternâ, & eandē illis promiserit Deus; talis mercedis meritoria sunt: quia consecutio vitæ æternæ non fit propter solam Dei promissionem; sed illâ suppositâ propter bona opera, quæ in Deo sunt facta. Ideò enim Scriptura dicit, vitam æternam justis dari secundùm mensuram bonorum operum: Rom. 2. 6. *Reddet vnicuique secundùm opera*

Digitized by Google

pera eius, ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Matt. 16. 27. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.* 1. Cor. 3. 8. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem.* 2. Cor. 9. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Apoc. vlt 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Quòd si autem opera bona imperfectionem continerent, quæ Deum verè offenderet, & esset digna morte æterna, Deus, vnicuique reddens secundùm opera sua, omnes damnaret.

III. Vita æterna vocatur merces: Ergo opera justorum illam merentur; iuxta illud Luc. 10. 7. *Dignus est operarius mercede sua*: Probatur Antecedens ex illo Matt. 5. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Quæ autem sit illa merces in cœlis, v. 10. explicatur: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ecclesiast. 18. 22. *Ne verearis vsque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Merces autem, quæ justificationi respondet, & manet in æternum, non est alia, quàm vita æterna: nam Genes. 15. 2. dicit Deus ad Abraham: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Et Matt. 20. 8. in parabola Patrisfam. dicit Christus: *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

Quando autem Apologia loc. cit. in hunc modum loquitur: *Scriptura vitam æternam vocat mercedem, non quia propter opera debeatur; sed quia compenset afflictiones & opera: etsi propter aliam causam contingit. Sicut hereditas venit filiofam. non propter officia sua; & tamen est merces & compensatio officiorum filij, &c. Non est igitur vita æterna merces, quia opera sufficiant, quia debeatur operibus, sed consecutiuè, &c.* multum de efficacia bonorum operum, quam Scriptura commendat, detrahit. Etsi enim concedimus, opera bona sola non sufficere ad obligandum Deum; positâ tamen promissione Dei, vitæ æternæ

 præmi-

præmium ad bona opera non tantùm consecutiuè se habet; sed illis debetur ex iustitia, tanquam merces. Quia quidquid alicui promittitur sub conditione operis, hoc, adimpletâ cõditione, debetur ex iustitia. Quòd debeatur; fatetur Apolog. loc. cit. his verbis: *Si diceremus, vitam æternam dici mercedem, quia debetur iustificatis propter promißionem, nihil absurdi diceremus.* Quòd autem debeatur ex iustitia, probatur: quia promissio non ita facta est, vt id, quod promissum est, omnino gratis, & sine conditione operum ex parte promissarij conferatur; sed eum, cui promissio facta est, onerat conditione bonorum operum exercendorum. Ergo, positis bonis operibus, si negaret Deus quod promisit, non tantùm infidelis, sed etiam iniustus esset. Idque probatur inprimis ex ipso nomine mercedis: quia merces non datur gratuitò; sed intuitu operum, & positis operibus debetur ex iustitia: Rom. 4. 4. *Ei qui operatur, merces imputatur secundùm debitum.* Ergo si vita æterna est merces, correlatiuè respicit meritum, cui debetur. Prætereà vitam æternam propter bona iustorum opera conferri ex iustitia, ita vt iniustus esset Deus, si non conferret, testatur Script. 2. Timoth. 4. 7. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona justitia, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus Iudex.* 1. Pet. 1. 17. *Si Patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundùm vniuscuiusque opus.* Heb. 6. 10. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.*

Prætereà Script. testatur, bona opera esse causam productricem vitæ æternæ. 2. Cor. 4. 17. *Id, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Iacob. 1. 25. *Factor operis beatus in facto suo erit.* Item causam propter quam vita æterna confertur: vt patet, tum ex locis quæ in 11. probatione adducta sunt; tum ex illo Matt. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Et v 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis*

eius:

eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c Quomodo enim clariùs indicari potuit, regnum cœleste dandum esse propter bona opera; sicut propter mala insligetur æterna damnatio? Quamuis bona non perinde habeātur, vt mala: quia mala ex nobis habemus; bona ex gratia Dei.

His omnibus conformiter dicit S. August. Epist. 105. ad Sixtum: *Cùm dixisset Apost. Stipendium peccati mors; quis non congruentissimè & consequenter addendum judicaret: Stipendium autem justitiæ vita æterna. Et verum est: quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna, &c. Vnde & merces appellatur plurimis SS. Scripturarum locis.* Et causam subiungit; quia justitia non est à nobis, vt est peccatum; sed à gratia Dei. Atque eodem modo argumentatur lib. de nat. & grat. c 9. Et Serm. 16. de verb. Apost. ait: *In his quatuor rebus, quas commendauit Apost. prædestinatione, vocatione, justificatione, & glorificatione, considerare debemus, quid jam habeamus, & quid jam expectemus. In his enim, quæ iam habemus, laudemus Deum largitorem; in his, quæ nondū habemus, tenemus debitorem. Debitor autē factus est, non aliquid accipiendo; sed, quod ei placuit, promittendo.* Similiter autē & nos dicimus, Deum nobis esse debitorē; non quasi nos priores dederimus illi: sed quòd ipse prior dederit nobis: & illi dono, quod gratis dedit, vitā æternā promittere dignat⁹ sit. In eundē sensum dicit Concil. Arausi. can. 18 Mercedē deberi bonis operibus, si fiant; sed gratiā, quæ non debetur, præcedere vt fiant: atque ideò neminem, nisi Deo miserante, saluari.

Vltimò probatur Conclusio ex ijs, quæ sup quæst. ex doctrina Confess. allata sunt: Si enim bona opera merentur præseruationē à peccatis, augmētū dilectionis Dei, & augmētum gloriæ æternæ; negare nō possunt, quin vita æterna cadat sub bonorum operum meritum. Ideò enim potissimùm negant, opera bona mereri vitam æternam, quòd opera illa non sint condigna tanto præmio: Sed neque opera bona, secundùm se considerata, digna sunt ijs præmijs, quæ nihilominùs justos benè operantes mereri concedunt: Quomodo

enim eleemoſyna, de qua in ſpecie diſſerit Apolog. Ex ſe digna eſt præſeruatione à peccatis; cùm illa corporalis ſit; hæc ſpiritualis: illa cum exiguo plerumque, & vix ſenſibili detrimento noſtro fiat; imò etiam cum emolumento, propter benedictionem temporalem quæ illam conſequi ſolet: hac verò maius bonum in vita iſta habere non poſſimus? Item, quomodo eleemoſyna futuræ vitæ præmijs digna eſt, quibuſcum nulla ratione comparari poteſt?

OBIICIES: Quod eſt gratuitum donum Dei, hoc non poteſt eſſe ex merito; juxta illud Rom. 11. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia.* Sed vita æterna eſt gratuitum donum Dei, Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna.* Ergo vita æterna non conceditur ex merito operum. Vnde S. Auguſt. lib. de grat. & lib. arb. cap. 9. ait: *Non meritis noſtris; ſed ſua miſeratione ad æternam vitam nos Deus perducit.* Et cur vita æterna debeatur operibus noſtris, cùm & digna non ſint tali mercede, juxta illud Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; & ita impura ſint, vt propter illa Deus, ſi ex rigore juſtitiæ ageret, pœnam infligeret, non tantam mercedem daret. Adde quòd vita æterna conferatur juſtis vt adoptiuis filiis Dei: Ergo non confertur propter operum merita: quia hoc ipſo debetur juſtis vita æterna, quo filij Dei ſunt: ſed ſunt filij Dei per gratuitam adoptionem, non per ſua merita: Ergo per eandem adoptionem conſequuntur vitam æternam vt hereditatem, non vt operum ſuorum mercedem.

Antequam reſpondeamus, notanda ſunt verba Apologiæ, in Reſp. ad Arg. plena calumnijs: *Paulus*, inquit, *vitam æternam donum appellat: quia cùm reputamur juſti propter Chriſtum, ſimul efficimur filij Dei, & coheredes Chriſti. Alibi verò ſcriptum eſt: Merces veſtra copioſa erit in cælis. Hæc ſi videntur Aduerſarijs inter ſe pugnare, ipſi expediant. Sed parùm æqui Iudices ſunt: nam doni vocabulum omittunt, omittunt & fontem totius negotij, quomodo juſtificentur homines: quòd perpetuò ſit mediator Chriſtus.*

Christus. Interim excerpunt vocabulum mercedis, idque acerbißimè interpretantur, non tantùm contrà Scripturam; sed etiam contra sermonis consuetudinem, Et paulò post tale fingit argumentum nostrum: *Audimus vocabulum mercedis: Ergo sumus accepti Deo propter opera nostra, nec indigemus misericordia, aut propitiatore Christo.* Sed calumniæ istæ vlteriore refutatione non indigent; cùm ex dictis colligatur, longè aliam esse doctrinam nostram.

Confessionistis verò citra calumniam obijcere possumus, quòd, cùm Scriptura vitam æternam donum simul & mercedem vocet, ipsi doni vocabulum solum excerpant; mercedis vocem, contra proprietatem significationis, in alienum sensum trahant. Quia autem Apologia à nobis requirit, vt expediamus quomodo vita æterna donum simul & merces esse possit;

RESPONDEO I. Ex S. August. in eo ipso lib. qui in obiect. ponitur. c. 8. *Nascitur,* inquit, *non parua quæstio, quæ Domino donante soluenda est: Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertißimè dicit Scriptura: Quoniam Deus reddet vnicuique secundùm opera eius; quomodo gratia est vita æterna? Cùm gratia non operibus reddatur; sed gratis detur, ipso Apostolo dicente: Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam; sed secundùm meritum. Et iterum: Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Nunquid hæc est ipsissima obiectio Confessionistarum? Audiant ergo quid S. August. respōdeat: *Ista,* inquit, *quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere: propter illud quod ait Dominus Iesus: Sine me nihil potestis facere.* Et paulò post: *Quomodo ergo non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Sed audi, & intellige: Non ex operibus dictum, tanquam tuis, ex te ipso tibi existētibus; sed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id est, formauit & creauit. Hoc enim ait: Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis: non illa creatione, qua homines facti sumus; sed ea, de qua ille dicebat, qui vtique jam homo erat: Cor mundum crea*

in me Deus, &c. Itaque chariſſimi, vita bona noſtra nihil aliud eſt, quàm Dei gratia; ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur: quia gratis data eſt illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodò gratia eſt; hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia. Ergo ex mente S. Auguſt. negandum non eſt, vitam æternam eſſe mercedem bonorum operum; *ſed quia & ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, à quo nobis & fides eſt, & dilectio; propterea*, inquit in fine cap. 7. *idè ipſe Doctor Gentium etiam ipſam vitam æternam gratiam nuncupauit.*

Cùm ergo cap. 9. dicit: *Non meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam; ſed pro ſua miſeratione perducere*: merita noſtra more Pelagiano, prout ex nobis ſunt, ſumit, vt ex antecedentibus & conſequentibus manifeſtum eſt, & ex his verbis c. 6. *Si merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent; non eſſet reprobanda iſta ſententia. Quoniam verò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſt. Quid habes, quod non accepiſti?*

Mirum ergo eſt, Aduerſarios tam eſſe impudentes, vt dicta SS. Patrum truncata & prauè diſtorta doctrinæ noſtræ opponere non rarò audeant, quando eadem in textu manifeſtè pro nobis pugnant. Quaſi aut Catholici tam oſcitantes futuri ſint, vt ipſa Patrum ſcripta non ſint inſpecturi; aut tam malè in Scriptoribus Eccleſiaſticis verſati, vt loca deprauata non ſint reperturi. Hoc enim fine Confeſſionem, & eius Apologiam non ſolere libros annotare, ex quibus ſententias Patrum ſumit, exiſtimo.

RESPONDEO II. Bona opera noſtra dupliciter conſideranda eſſe: I. vt noſtra ſunt; II. vt ſunt dona Dei. Secundùm hanc enim diſtinctionem inquit S. Auguſt. lib. cit. c. 7. *Si ergo Dei dona ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua.* Itaque dico, opera bona, prout noſtra ſunt, non eſſe condigna vitâ æternâ: quia ſiue quid agimus, ſiue patimur, nimis leuia & breuia

Digitized by Google

breuia sunt vniuersa, quàm vt cum æterna gloria comparari possint. Quatenus verò opera iustorum sunt dona Dei,& fructus Spiritus sancti, digna sunt vitâ æternâ: non quòd omninò æqualis sit in operibus & vita æterna dignitas: nam neque respectu istorum, quæ Confessio concedit sub bonorum operum meritum cadere, reperitur dignitatis æqualitas: neque inter alias mercedes & merita requiritur, vt hæc illis sint omninò æqualia; sed tantùm vt proportionem quandam ad se inuicem habeant. Atqui inter opera bona iustorum, & vitam æternam reperiri proportionem probatur: Quia bonorum operum exercitium vocatur in Script. *certamen*; vita æterna *corona*, 2. Timoth. 4. Gratia, per quam opera bona facimus, *fons aquæ salientis in vitam æternam*, Ioan. 4. ipsa vita æterna *fluminis impetus*, Ps. 45. Gratia *semen*, ad Galat. 6. & 1. Ioan. 6. vita æterna *messis*, Matt. 13. 2. Cor. 9. &c.

RESPONDEO III. Opera bona iustorum non esse immunda, vt in quæst. præcedente ostensum est. Neque S. Bernardus, quem Kemnitius citat, opera bona immunda esse docet, sed nostram iustitiam non esse puram, id est, omnes huius vitæ actiones non esse peccato vacuas. *Quomodo enim*, inquit ibid. *pura est iustitia, vbi adhuc non potest culpa deesse?*

RESPONDEO IV. vitam æternam iustis titulo hereditatis dari,& ius ad hereditatem per gratuitam adoptionem concedi; nihil tamen hoc obstare, quò minùs adulti etiam titulo mercedis eandem vitam consequantur. Id quod & ipsis magis honorificum est, & magis cedit ad gloriam Dei, & meritorum Christi. Simili enim modo docent Theologi, glorificationem Corporis Christi, & exaltationem nominis eius ipsi collatam esse, quia Filius Dei naturalis erat. Et nihilominùs addunt, eum per passionem suam hereditatem illam, sibi aliàs debitam, promeruisse. Dicit enim Apost. ad Philipp 2. 8. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & DEVS exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Si au-

Si autem propter humiliationem exaltatus est, humiliando se exaltationem promeruit. Quod & ipse Christus indicat, dum Luc. 24. 26. ait: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

QVAESTIO VI.

Vtrùm spe retributionis æternæ bona opera facere liceat, & timore gehennæ à malis abstinere?

PRiorem huius Quæst. partem ita definit Concil. Trid. Sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema sit.* Posteriorem hoc modo. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.* Et de eadem re agit. cap. 6. eiusd. Sess. & can. 5. Sess. 14. de pœnit.

CONCLVSIO I. Bona opera intuitu mercedis æternæ exercere licitum est. Probatur I. Quia & Præcursor Christi, Matt. 3. & Christus ipse, Matt. 4. prædicationem suam ab exhortatione ad pœnitentiam propter regnum cælorum suscipiendam inchoauit: Vtrumque enim dixisse refert Euangelista: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Et ad eundem modum prædicare voluit Apostolos suos, Matt. 10. 7. Id quod ipsos gnauiter præstitisse constat ex adhortationibus Pauli: 1. Cor. 9. 25. *Sic currite, vt comprehendatis.* Ad Galat. 6. 9. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus.* ad Colos. 3. 23. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis.*

II. Non tantùm exhortatur Christus, vt pœnitentiam propter regnum cœlorum agamus; sed etiam præcipit, vt actiones nostras omnes in hunc finem dirigamus: Matt. 6. 33. *Quærite primùm regnum Dei.* Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de mammo-*

Digitized by Google

mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quibus consonat illud 1. Cor. 9. 10. *Debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.*

III. In Script. legimus exempla Sanctorum, qui spe vitæ æternæ benè operati sunt: Ps.118. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem.* Heb 11 à v. 24. *Moyses grandis factus negauit, se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.* Ad Philip. 3. 14. *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.*

IV. Idem passim docent Sancti Patres: S. Cyp. lib. de exhort. Mart. S. Ambros. in cap. 15. Luc. S. Hieron. lib.2. in Iouinianum. S. August. in Ps. 120. S. Gregor. Homil. 13. in Euangel. &c.

Vltimò probatur ratione: Quia adhibere media propter bonum finem non tantùm licitum, sed & rerum naturæ consentaneum est (vt sumere medicinam propter sanitatem, pugnare in bello justo propter victoriam) Sed bona justorum opera respectu vitæ æternæ se habent vt media ad finē, Rom. 6. 22. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* 1. Pet. 1. 8. *Credentes exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Ergo licitum est propter vitam æternam benè operari.

DICES: Christus Ioan. 10. reprehendit mercenarios, & meritò: quia propter mercedem operari non est sinceræ charitatis; sed sordidorum & seruilium hominum. Vnde & Thomas Aquin. 2. 2. quæst. 19. art. 4. ad 3. docet, amorem mercenarium cum vera charitate non consistere: quia vera charitas diligit Deum propter Deum; qui autem Deum propter mercedem diligit, non propter ipsum, sed propter suam vtilitatem diligit.

RESPONDEO, Mercenarios, quos Christus reprehendit, sic solam vtilitatem suam propositam habere, vt nihil

quidquam in gratiam Domini sui facturi essent, si vtilitatem se consecuturos non putarent. Quamuis autem concedamus, justos in operibus suis æternam sibi retributionem tanquam finem proponere posse; quatenus tamen merces illa proprium ipsorum bonum futura est, proponi non debet vt principalis & vltimus finis: sed animis ita comparati sint oportet, vt tametsi nihil ipsis Deus mercedis daturus esset, benè tamen operari vellent: quia, quem propter seipsum diligunt, ita Deus jubet. Tanta enim sinceri amoris vis est, vt non solùm ametur Deus, si apprehendatur tanquam amorem nullo præmio compensaturus; sed etiam ipsum amantem, ad ostendendam potentiam suam, æternis doloribus afflicturus. Vt meritò amor Confessionistarum mercenarius judicandus sit, quorum Apologia hoc tit. aliquoties dicit: *Deum non posse amari, imò non esse obiectum amabile, nisi concipiatur nobis per misericordiam jam remisisse peccata, nec velle nos temporalibus & perpetuis opprimere calamitatibus.*

Adde quòd, quicumque æternæ mercedis intuitu benè operatur, quamuis explicitè bonum suum respiciat, implicitè tamé gloriam Dei in intentione sua includit. Vult enim vitam æternam, quæ hominem arctissimè coniungit Deo, per claram eius visionem, & summum eiusdem amoré. Quamobrem SS. Patres, quando contra amorem mercenarium disputant, semper rerum temporalium amorem intelligunt: quia hic amor impedit sinceru͂ amoré Dei, & dum hominum animos implicat rebus caducis, auocat eosdem à Deo. Et S. Ambros. loco in Concl. cit. ad illud: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus*, ait, alios esse mercenarios bonos, alios malos: bonos, qui Deo seruiunt propter bona æterna; malos, qui propter téporalia. S. August. loc. cit. *Quid est*, inquit, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua? Id est, quãdo facis opus bonum, propter vitam æternam fac: nam si opus bonum in terra propterea feceris, vt terrena tibi cibum dent; scit sinistra tua, quid faciat dextera tua, miscuisti dexteram sinistra. Noli facere, nisi propter vitam æternam: ideò fac, & securus facies: hoc enim manda-*

mandauit Deus. Et S. Bernard. lib. de dilig. Deo: *Anima*, inquit, *amans Deum aliud præter Deum præmium non requirit; aut si aliud requirit; illud, non Deum diligit.*

CONCLVSIO II. Abstinere à peccatis, & post peccata commissa ad Dei misericordiam ex timore gehennæ confugere licet.

Probatur I. Quia in Scriptura passim legimus, homines per incussionem talis timoris à peccatis deterritos: Ioannes enim Matt. 3. hortatur auditores suos ad dignos pœnitentiæ fructus, per metum seuerissimi judicij Dei, quo paleas à tritico separatas igni inextinguibili comburet; & omnem arborem non facientem fructum bonum excîdet, & in ignem mittet. Christus quoque Luc. 12. 5. *Ostendam*, inquit, *vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Et Luc. 13. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Item Apost. Heb. 6. 7. talem timorem incutit: *Terra*, inquit, *sæpè venientem super se bibens imbrem, &c. & proferens spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio est in combustionem.* Et Heb. 10. à v. 26. *Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.*

II. Timor iste laudatur in Script. Sap. 1. per totum: vt, *Timenti Deum benè erit in extremis: Initium sapientiæ timor Domini: Radix sapientiæ est timere Dominum: Timor Domini expellit peccatū, &c.* Quamuis enim aliqua de timore hoc Capite dicta intelligi possint de timore filiali; hæc tamen de seruili intelligenda probabiliùs est. Quia timor filialis non est initium, aut radix sapientiæ; sed ex sapientia & charitate profluit, & crescente charitate crescit, vt docet S. Thomas loc. cit. art. 10. Seruilis autem timor initium, & radix sapientiæ, siue, vt ibid. art. 7. S. Thom. loquitur, *fundamentum ædificij spiritualis est.*

III. Omne obiectum naturæ humanæ disconueniens licitè fugitur & timetur: Sed æterna damnatio est obiectum naturæ humanæ disconuenientissimum: Ergò licitè timetur, sicut æterna beatitudo licitè desideratur & speratur.

DICES: Quidquid est contrarium charitati, illud nō est licitum: Timor pœnæ est contrarius charitati, iuxta illud 1. Ioan. 4. 18. *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.*

RESPONDEO I. Ex S. Thoma, loc. cit. art. 2. quadruplicem esse timorem: videlicet, Mundanum, Seruilem, Initialem, & Filialem. Timor mundanus est, quando quis propter malum quod timet, Deum offendit: vt cùm quis, ne incurrat offensam Principis, pecuniam, aut aliam rem temporalem perdat, peccatum committit. Timor seruilis est, quando quis ob pœnam, quam Deus minatur, à peccato abstinet, vel eo commisso ad pœnitentiam conuertitur. Timor filialis, quando sola culpa, vt Dei offensa, absque respectu ad pœnam timetur. Et hunc timoré non tantùm dicit S. Thom. loc. cit. art. 11. crescente charitate crescere; sed etiam in cœlo, consummata charitate, consummari. Timor initialis ex seruili & filiali mixtus est.

RESPONDEO II. Ex eodem S. Thom. art. 4. & 6. Timorem seruilem dupliciter considerari posse: I. quatenus seruilis est, & pœnam tanquam summum malum timet, ita vt, si pœna non esset, offensam Dei non curaret: & hic timor malus est. II. quatenus pœnam ita timet, vt proprio bono contraria est; vltimum tamen finem in proprio bono non collocat; sed erga illud ita se habet, vt affectus eius charitati non repugnet, sed vlteriùs in Deum referri possit. Sicut enim ob commodum meum, amicitiam, consanguinitatem, &c. aliquem amare possum, & amando Deum non offendere; ita odisse, & timere possum aliquod incommodum proprium, modò non magis illud mihi cordi sit, quàm offensa Dei.

RESPONDEO III. Sicut amor bonorum pro-

prio-

Digitized by Google

priorum, etiam temporaliũ, charitati, pro conditione huius vitæ, non repugnat; ita nec timorem mali proprii, præsertim æterni, eidem repugnare. Itaque S. Ioannes vel de timore seruili, quà seruilis est loquitur; vel de illo timore pœnæ, qui bonus quidẽ est, &, vt S. Thom. art. 4. ex illo Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis in timore*, colligit, Spiritus sancti donum est; cum perfectissima tamen charitate non consistit: sed quanto magis perficitur charitas, tanto magis ille minuitur: & in patria, vbi consummatam perfectionem habebit charitas, timor ille prorsus euacuabitur; vt art. 10. ad 1. & art. 11. in o. idem S. Thomas docet. Et ratio est: quia quanto maior est securitas de æterna beatitudine, tanto minor est timor gehennæ: Sed quanto magis spes & charitas crescunt, tanto maior est securitas de consequenda æterna beatitudine; & in patria summa & immutabilis erit securitas: Ergo ibidem nullus ampliùs erit timor pœnæ.

ARTICVLVS VIII. DE ECCLESIA.

QVia omnia, quæ de Ecclesia hîc dici possent, Operis huius angustia non capit; præcipua tantùm breuiter attingere visum est, & ea, quorum ansam ipsa Confessio August. subministrabit. Itaque illa priùs audienda est.

Articulo VII. sic loquitur: *Item docent, quòd vna sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio Sanctorum, in qua Euangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Ecclesiæ satis est, consentire de doctrina Euangelij, & administratione Sacramentorum: nec necesse est, vbique esse similes traditiones humanas, seu ritus, aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium, &c.*

Articulo autem VIII. sic: *Quamquam Ecclesia propriè sit congregatio Sanctorum, & verè credentium; tamen, cùm in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet vti Sacramentis, quæ per malos administrantur; iuxta vocem Christi: Sedent Scribæ & Pharisæi in cathedrâ Moysi, &c. Et Sacramenta, & Verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.*

Damnant Donatistas, & similes, qui negabant licere vti ministerio malorum in Ecclesia; & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.

Ex his & aliis Confessionis & Apologiæ verbis discutiemus sequentes quæstiones: I. *Vtrùm Confessio August. rectè definiat Ecclesiam?* II. *Quomodo Catholici Ecclesiam definiant?* III. *Vtrùm Ecclesia perpetuò mansura semper sit visibilis?* IV. *Vtrùm in doctrina fidei sit infallibilis?* V. *Vtrùm Ecclesia Lutherana extiterit ante Lutherum?* VI. *Vtrùm Ecclesia Romana ab antiqua Ecclesia defecerit?* VII. *Vtrùm vera Ecclesiæ notitia necessaria sit ad salutem?* VIII. *Vtrùm Notæ, quas ad inueniendam veram Ecclesiam Confessio tradit, sint legitimæ?* IX. *Vtrùm Verbo Dei scripto, citra Ecclesiæ auctoritatem, infallibiliter quis, & fide diuina assentiri possit?* X. *Vtrùm ex doctrina Confessionis, & Confessionistarum probari possit, non Lutheranam, sed Romanam esse veram Ecclesiam Christi?*

QVAESTIO I.

Vtrùm Confessio August. Ecclesiam rectè definiat?

ECclesia Christi, quàm per ministerium prædicationis Euangelicæ ita firmiter ædificauit, vt portæ inferorum cõtra eam præualituræ non sint, dupliciter considerari potest: I. Ratione communionis externæ, & societatis, in vnius veræ fidei professione, & eorundem Sacramentorũ participatione. II. Ratione donorum internorum Spiritus sancti, quæ in

Digitized by Google

in viua Ecclesiæ membra diffundit. Priore consideratione habet se Ecclesia instar corporis; posteriore instar animæ. Priore instar medij; posteriore instar finis: ad hoc enim in externa corporis Ecclesiæ societate congregantur homines, vt veram fidem, & alia dona Dei interna, atque per ea vitam æternam consequantur.

Quamuis autem posterior consideratio priore in se longè nobilior est, prior tamen propriè est huius loci: non quidem ita, vt posteriorem excludat: non enim vocat nos Christus ad Ecclesiam, quæ nihil aliud sit, quàm externa quædam societas; sed ad eam, in cuius membra præcipua, considerata videlicet ratione sui, fidem, spem, charitatem, & alia charismata cœlitùs infundit. Eiusdem tamen Ecclesiæ membra, etiam principaliora, quatenus ipsa ministerium Dei, & magisterium hominum, in fide & moribus dirigendorum, respicit, quoad se mortua esse possunt; & vt S. August. ait, instar canalium lapideorum, per quos aqua vtiliter defertur ad irrigandas areolas, cùm ipsi nihil inde percipiant vtilitatis.

Probatur autem, Ecclesiam isto sensu huius esse considerationis: Quia de ea Ecclesia vtrimque agimus, quæ Verbum Dei purè prædicat, & Sacramenta rectè administrat, vt ex citatis Art. VII. verbis constat: quam videlicet omnes audire debent vt *Matrem*, qui Deum volunt habere *Patrem*. Id quod fatetur ipse Caluinus, lib. 4. Inst. c. 1. §. 4. dicens: *Discimus vel vno Matris elogio, quàm vtilis nobis sit Ecclesiæ cognitio, imò necessaria: quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in vtero, nisi pariat, nisi alat suis vberibus; denique sub custodia & gubernatione nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis. Neque enim patitur nostra infirmitas à schola nos dimitti, donec toto vitæ cursu Discipuli fuerimus. Adde quòd extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec vlla salus.*

Cùm ergo Ecclesia, secundùm internam membrorum cum Christo coniunctionem, à nobis cognosci non possit, vt docet

docet Apost. 2. ad Timoth. 2. & ipsa experientia probetur, ordinariè nobis ignotum esse, quænam sint viua corporis Christi membra; ideò quando de Ecclesia agimus, quam cognoscere & audire debemus, eam congregationem intelligimus, quæ & exteriùs purè prædicat Euangelium, recteque administrat Sacramenta, & gremio suo verè sanctos alit & fouet: quamuis non omnes illo conclusi sanctitate vitæ doctrinæ sanctitati respondeant.

CONCLVSIO: Quamuis illa Ecclesiæ definitio, quam Confessio August. tradit, quòd sit *Congregatio sanctorũ, in qua Euangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta*, sanum sensum admittat: ita tamen sumpta vt à Confessionistis intelligitur, mutila est, quia totum definitum non complectitur.

PROBATVR I. pars: Quia Sancti in largiore significatione vocantur omnes Euangelio initiati, & Christo per baptismum consecrati: prout Apostolus Romanos, Corinthios, Ephesios, Philippenses, Colossenses, &c. initio Epistolarum ad illos Sanctos appellat: non quòd omnes essent à peccatis sanctificati; sed quòd per vocationem Dei sanctam, & lauacrum Baptismi sanctæ Christi familiæ adscripti, & Deo dicati. Simili quodammodo sensu loca, vasa, vestimenta sacra siue sancta passim in Scriptura vocantur.

Probatur II. pars: Quia verba Confessionis originalis obscura, vt aliàs sæpè esse solent, ita explicat Philippus in Confess. variata: *Est autem Ecclesia Christi propriè congregatio membrorum Christi, hoc est, Sanctorum, qui verè credunt, & obediunt Christo.* Atqui hos solos non esse membra Ecclesiæ, etiam illius, de qua Confessio agit, constat ex verbis ibidem sequentibus: *Habet autem Ecclesia propriè dicta signa sua, scilicet puram & sanam Euangelij doctrinam, & rectum vsum Sacramentorum.* Ex quibus sic argumentor: Signa siue notæ Ecclesiæ propriè dictæ tales sunt, vt concludere debeamus, Ecclesiam illam esse propriè dictam, in qua hæ notæ reperiuntur (istæ enim sunt propriæ, intrinsecæ, & essentiales Eccclesiæ notæ,

vt docent

Digitized by Google

vt docent Confeſſioniſtæ) ſed congregatio, in qua hæ notæ reperiuntur, non eſt tantùm ſanctorum proprie dictorum; quia vt ibidem dicitur: *Huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti ſunt, vſque ad nouiſſimum judicium.* Ergo Eccleſia, de qua agimus, & quam per certa ſigna inueſtigare debemus, vt eam tanquam Magiſtram noſtram, & Miniſtram Chriſti fideliſſimam audiamus, non eſt tantùm congregatio ſanctorum, ſed etiam multorum malorum. Quamuis enim ſoli ſancti ſint viua Eccleſiæ membra quoad ſe; poſſunt tamen alios efficaciter per verbum Dei, & Sacramenta viuificare, juxta id quod Art. 8. dicit Confeſſio. *Licet vti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur, juxta vocem Chriſti: Sedent Scribæ & Phariſæi in cathedra Moyſi, &c. Et Sacramenta, & Verbum propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.* Et Apolog. de Eccleſia: *Concedimus,* inquit, *quòd hypocritæ & mali in hac vita ſint admixti Eccleſiæ, ſecundùm externam ſocietatem Eccleſiæ, hoc eſt, Verbi, & profeſſionis, & Sacramentorum: præſertim ſi non ſint excommunicati.* Et infra: *Fatemur multos hypocritas & malos fidelibus in hac vita admixtos habere ſocietatem externorum ſignorum, qui ſunt membra Eccleſiæ ſecundùm ſocietatem externorum ſignorum: ideoque gerunt officia in Eccleſia. Nec adimit Sacramentis efficaciam, quòd per indignos tractantur: quia repræſentant Chriſti perſonam, propter vocationem Eccleſiæ; non repræſentant proprias perſonas; vt teſtatur Chriſtus: Qui vos audit, me audit. Cùm verbum Chriſti, cùm Sacramenta porrigunt, Chriſti vice & loco porrigunt.*

Nihil autem aliud volumus Catholici, quando malos Eccleſiæ membra vocamus, quàm ipſos in profeſſione veræ fidei, & Sacramentorum vſu permanentes ita eſſe in Eccleſia, vt eos habere debeamus tanquam fratres; &, ſi ad publica miniſteria vocati ſint, tanquam Paſtores, Chriſti vice nos docentes, & Sacramenta nobis diſtribuentes: ita vt, ſi eos audiamus, Chriſtum audire cenſeamur; ſi contemnamus, Chriſtum contemnere. *Quod vſqueadeò*, vt loquitur S. Auguſt. Epiſt. 166. *cæleſtis Magiſter cauendum præmonuit, Vt etiam de Præ-*

positis malis plebem securam faceret; ne propter illos doctrina salutaris Cathedra desereretur: in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt; sed Dei, qui in Cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis. Proinde ille verax, & ipsa veritas de Præpositis sua mala facientibus, & Dei bona dicentibus ait: Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite.

Itaque Ioannes Hoffmeisterus, quem Lutherani magni facere videntur, Articulum VII. Confess. August. per omnia approbans Confessionistis nulla ratione fauet: ita enim loquitur: *Quartò vocant Ecclesiam Sanctorum congregationem, in quo nihil peccant, siue de viuis, siue de putridis & mortuis membris intelligas: nam vtraque membra ab Apostolo sancta sunt vocata. Quamdiu enim in hoc mundo sunt, ad sanctificationem sui possunt habere accessum, quotquot Ecclesiæ fide, & dilectione, & Sacramentorum participatione semel inserti sunt: Et sanctorum appellatio omnibus & singulis, qui Christiano censebantur nomine, ab Apostolis attributa est.* Quibus verbis nō cōtradicit alijs Theologis Catholicis, Articulum VII. reijcientibus: quia Hoffmeisterus sanctos impropriè accipit; non autem pro ijs, qui & verè credunt & Christo obediunt, vt Confessionem August. rectè intellexerunt, qui eam primò confutarunt.

OBIICIES ex Apolog. hoc loco I. Paulus ad Ephes. 5. Ecclesiam definit, quòd purificetur vt fit sancta: & in Symbolo profitemur, nos credere *Sanctam Ecclesiam Catholicam*. Ergo Ecclesia propriè dicta tantùm congregationem Sanctorum significat, qui eiusdem doctrinæ Euangelicæ inter se societatem habent, & eodem Spiritu sancto renouati sunt.

II. Ecclesia est corpus Christi: Ergo membra Ecclesiæ non sunt, quos non sanctificat Spiritus Christi. Idque fatentur Aduersarij, quando malos mortua Ecclesiæ mēbra vocāt.

III. Ecclesia est regnum Christi, distinctum contra regnum Diaboli: Sed certum est malos esse membra regni Diaboli, sicut docet Paulus, Ephes. 2. cum ait, Diabolum efficacem esse in incredulis. Ergo mali non sunt membra Ecclesiæ Christi.

Confir-

Confirmatur: Quia Christus Matt. 13. dicit, bonum semen esse filios regni, & Zizania filios Diaboli: agrum autem dicit esse mundum, non Ecclesiam. Ergo quamuis in externa specie Ecclesiæ, quam posteà sagenæ, & decem Virginibus comparat, reperiantur mali; non sunt tamen illi filij propriè dictæ Ecclesiæ Christi; sed Synagogæ Diaboli.

IV. In hanc sententiam multa leguntur apud Patres: Hieronymus enim in C. Ephes. 5. ait: *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi. Qui ergo peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici.* Et in decretis inquit Glossa, Ecclesiam largè dictam complecti bonos & malos. Item, malos nomine tantùm in Ecclesia esse, non re; bonos verò re, & nomine.

RESPONDEO I. Confessionistas non posse verba Apostoli pro descriptione totius Ecclesiæ militantis accipere, cùm velint ne vnicum quidem huius Ecclesiæ membrũ esse sine ruga & macula peccati. Et non est improbabile, quod S. August. lib. 2. Retract. cap. 18. dicit: *Vbicumque in his libris* (contra Donatistas) *commemoraui Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi iam sit; sed quia præparatur, vt sit, quando apparebit etiam gloriosa.* Quia videlicet ita loquitur Apostolus; *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam; aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta, & immaculata.*

RESPONDEO II. Totam nihilominùs Ecclesiam militantem vocari sanctam, non tantùm propter sanctitatem Capitis; sed etiam propter præcipua eius membra. Denominatio enim cuiuscumque rei à potiori sumi solet: vt totus homo dicitur ratiocinari, videre, audire, &c. quamuis singulis eius partibus ista non conueniant. Sic regnum aliquod dicitur potens, & diues; quamuis multi pauperes in eo reperiantur.

Præterea vocatur tota sancta, propter professionem sanctæ doctrinæ Euangelicæ, propter sancta Christi Sacramenta, propter sancta eiusdem merita, quæ ad sanctificandos homines in illa applicantur: & vt verbo dicam, sancta est Ecclesia, quia efficacia media habet, ad quæcumque membra sua sanctificanda; & extra ipsam nulla sanctitas dari potest. Hinc tamen non sequitur, eius Ecclesiæ, quæ verbo Dei & Sacramẽtis homines sanctificat, membra solos esse eos, qui verè & propriè sancti sunt: quia etiam mali alios sanctificare, tanquam Ecclesiæ instrumenta, possunt.

RESPONDEO ergo III. Ecclesiam, vt est Corpus Christi, dupliciter considerandam esse: I. prout accipit influxum à Spiritu Christi: II. vt constat membris, quibus tanquam instrumentis, Christus ad alios viuificandos vtitur. Priore modo sumptæ Ecclesiæ membra perfectè sunt soli Sancti, qui vita spirituali viuunt; imperfectè, mali fideles, qui à Christo veræ fidei influxum accipiunt, quæ est initium & fundamentum vitæ spiritualis. Sicut perfectissimum corporis humani membrum est caput, quia anima in illo nobilissimas actiones vitales exercet: eiusdem tamen corporis membra imperfectiora sunt multa alia, in quibus nec ratio, nec sensationes externæ exercentur, excepto solo tactu; qui & ipse in multis valdè obtusus est.

RESPONDEO IV. Ecclesiam esse regnum Christi, quod ipse regit dupliciter: videlicet ratione doctrinæ Euangelicæ, ne aut erret, aut alios in errorem inducat; & ratione sanctitatis internæ. Quãuis autẽ principaliter huius regni filij sint, qui per Spiritũ Christi perfectè animati sunt; qui tamen veram fidem ab Ecclesiæ Pastoribus didicerunt, & profitẽtur; eiusdem regni filij dicendi sunt: licet quod ore profitentur, opere non exhibeant. Qua ratione Paulus filios suos vocat omnes, quos Euangelium docuerat: 1. Cor. 4. 15. *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Ad Galat. 4 19. *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Neque verò absurdum est, vnum & eundem hominem, diuersa ratione,

tione, consideratum esse filium regni Christi, & regni Diaboli: sicut enim peccatores ratione creationis sunt filij Dei, iuxta illud Deutron. 32. *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui fecit & creauit te?* quamuis ratione peccatorum sint filij Diaboli: ita mali fideles, ratione doctrinæ Euangelicæ, sunt filij regni Dei; ratione vitæ malæ ad regnum Diaboli spectant. Nã vt S. August. Epist. 48. ait: *Ecclesia est, de qua dicitur: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum: quæ nec spinæ dici possent, nisi malignitate morum; nec filiæ, nisi communione Sacramentorum.*

Prætereà Regnum Christi in hoc mundo non tantùm esse congregationem bonorum, sed etiam malorum, colligitur ex illo Matt. 13. 41. *Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui operantur iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Et ideò regnum cœlorum, siue Ecclesia Christi, similis dicitur nuptiis, in quibus inuentus est homo non vestitus veste nuptiali, Matt. 22. Et decem Virginibus, inter quas quinq; fatuæ inuentæ sunt, Matt. 25. Quò etiam pertinet similitudo areæ, in qua paleæ tritico permiscētur, Matt. 3. Et sagenæ concludentis bonos & malos pisces, Matt. 13. &c. De qua re S. August. Epist. 166. ait: *Sic enim* malos *in isto mundo, in quo Ecclesia Catholica per omnes gentes diffunditur, quem agrum suum Dominus dicit, tanquam zizania inter triticum; vel in hac vnitatis area tanquam paleam permixtam frumento; vel intra retia Verbi & Sacramenti tanquam malos pisces cum bonis inclusos vsque ad tempus messis, aut ventilationis, aut littoris toleramus: ne propter illos eradicemus & triticum, aut grana nuda ante tempus de area separata non in horreum mittenda purgemus; sed volatilibus colligenda proijciamus: aut diruptis per schismata retibus, dum quasi malos pisces cauemus, in mare pernitiosæ libertatis exeamus.* De qua paulò ante dixerat: *Quæ est enim peior mors animæ, quàm libertas erroris?* Quia videlicet Iulianus Apostata Donatistis libertatem, per priores Imperatores prohibitam, separandi se ab Ecclesia per orbem diffusa concesserat.

RESPONDEO V. S. Hieronymum nihil aliud velle, quàm peccatores non esse de ea Ecclesiæ parte, quæ est sine macula & ruga: neque esse subiectos Christo subiectione illa, qua mandatis eius obediendum est: siue non esse de Ecclesia, vt oportet, quò salutem æternam consequantur. Quia enim non fieri, & non rectè fieri paria sunt; nihil interest, vtrùm quis omnino non sit in Ecclesia, an non rectè in ea sit: & si quid interest, hoc tantùm interest, quòd homini magis oberit in Ecclesia fuisse, & secundùm Ecclesiæ leges non vixisse, quàm omnino in ea, citra voluntariam tamẽ pertinaciam, nunquam extitisse.

Quando autem Glossa Decretalium dicit, Ecclesiam largè sumptam complecti bonos & malos; per Ecclesiam propriè dictam intelligit eam, quæ tantùm viuis Christi mẽbris constat: quia ista quoad se est maximè propriè corpus Christi. Quatenus tamen Ecclesia est magistra nostra, cuius ab ore totâ vitâ pendere debemus, juxta verba Caluini supra citata, etiam propriè accepta continet bonos & malos. Et proinde in Ecclesia propriè, seu potiùs quoad id, quod potissimum in illa est, nomine tantùm sunt mali, quoad se videlicet: quoad alios verò, vt cum ipsis in eadem fidei professione conspirent, vtque eos, si in officio pastorali existant, tanquam Christum ipsum audiant, re & nomine in Ecclesia sunt boni, & mali.

QVAESTIO II.

Quomodo Catholici definiant Ecclesiam?

CONCLVSIO I. Nemo Catholicorum ita definiri posse censet Ecclesiam, vt Philippus in Apologia huius Art. per calumniam fingit, his verbis: *Quòd sit Monarchia externa suprema totius orbis terrarum, in qua oporteat Romanum Pontificem habere potestatem ἀνυπεύθυνον, de qua nemini liceat disputare, aut judicare, condendi Articulos fidei, abolendi Scripturas quas velit, instituendi cultus & sacrificia. Item, condendi leges quas velit,*

Digitized by Google

velit, dispensandi & soluendi quibuscumque legibus velit, diuinis, canonicis, & ciuilibus: à quo Imperatores & Reges omnes accipiant potestatem & ius tenendi regna de mandato Christi: cui cùm Pater omnia subiecerit, intelligi oporteat hoc ius in Papam translatum esse. Quare necessè sit, Papam esse Dominum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum priuatarum & publicarum: habere plenitudinem potestatis in temporalibus, & spiritualibus, habere vtrumque gladium, spiritualem, & temporalem. Atque hac, inquit, *definitio, non Ecclesiæ Christi, sed regni pontificij, habet auctores, non solùm Canonistas; sed etiam Danielem cap. 11.* Et quinam quæso Canonistæ, non dico Ecclesiam, sed potestatem pontificiam hoc modo descripserunt? Scilicet ex Daniele aliter probari non poterat, Papam esse Antichristum, quàm suppositis his tam impudentibus, & luculentis mendacijs. Et quid quæso abominationis Ecclesiæ Romanæ in angulis suis, coram populo rei ignaro, & in eandem Ecclesiam pessimè animato, non affingêt Confessionistæ, si ista Philippus Cæsari publicè offerenda, tanquam doctrinæ nostræ conformia conscribere non erubuit?

CONCLVSIO II. Descriptio Ecclesiæ Catholicæ, quæ apud diuersos Auctores verbis quidem varia, sensu tamen substantiali eadem ferè apud omnes reperitur, his verbis exprimi potest: Quòd sit congregatio hominum, à Deo per Euangelicam doctrinā conuocatorum, veram fidē Christianam, sub legitimorum Pastorum regimine, vniformiter profitentium, & hoc nomine *Vna*: prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum administratione *Sancta*: amplitudine *Catholica*: origine & successione *Apostolica*, ac perpetuò duratura.

Dicitur I. *Congregatio hominum*: quia agimus de Ecclesia militante; quæ solos homines in hac vita constitutos, non etiam Angelos complectitur.

Dicitur II. *Veram fidem Christianam profitentium*: quia quamuis sola professio non sufficiat, vt quis absolutè & respectu sui sit membrum Ecclesiæ; sed ad hoc exigatur minimùm vera fides interna: quatenus tamen Ecclesia est externa quædam

quædam ſocietas, & Magiſtra fidelium, reſpiciens proinde alios, qui communionem in doctrina & Sacramentis cum ea habere debent, ſi veri Eccleſiæ filij eſſe velint; etiam talia membra habere poteſt, quæ veram fidem exteriùs tantùm profiteantur, licet in corde fideles non ſint. Quia vt ex Confeſſione ſupra oſtenſum eſt, etiam hos, quamdiu ſe non produnt, ſi Paſtores fuerint, vt Chriſtum ipſum audire debemus.

Dicitur III. *Sub regimine legitimorum Paſtorum*: quæ particula ab Aduerſarijs reprehendi non poteſt: tum quia Lutherus, lib. de Concil. & Eccl. tanquam veram Eccleſiæ notam exigit legitimam Miniſtrorum electionem, qui doceant, & Sacramenta adminiſtrent: tum quia fidem ſine auditu ordinariè nemo habere poteſt; & Chriſtum audire qui vult, Paſtores Eccleſiæ legitimos audire debet, juxta illud: *Qui vos audit, me audit.*

Dicitur IV. *Vniformiter profitentium & hoc nomine Vna*: quia vt Confeſſio, Art. VII. docet, ad veram Eccleſiæ vnitatem requiritur, & ſufficit conſenſus de doctrina Euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum.

Dicitur V. *Prædicatione Euangelij, & Sacramentorum adminiſtratione Sancta*: Quia hæc & in ſe ſancta, & diuina ſunt; & per ea, vt Dei inſtrumenta, ita ſanctificantur homines, vt ſine illis nemo ordinariè ſanctus fieri poſſit.

Dicitur VI. *Amplitudine Catholica*: quia licet Eccleſiam Chriſti, omnes particulares orthodoxas complectentem, toto ſemper orbe, & ſingulis eius partibus diffuſam eſſe non oporteat; ſucceſſiuè tamen per totum mundum innoteſcere, & in omnibus eius partibus fructificare, ante extremum judicij diem, debet: juxta illud Matt. 24. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Atque per hoc ab Hæreticorum Synagogis ferè ſemper diſtingui poteſt Eccleſia Chriſti: *Illæ quippe*, vt S. Auguſt. lib. 3. de Vnitate Eccleſiæ cap. 3. loquitur, *Singulæ in multis gentibus, vbi iſta* (Catholica) *eſt, inueniuntur; hæc autem, quæ vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt, inuenitur.*

Neque

Neque tantùm ratione amplitudinis loci, temporis, & personarum Catholica est Ecclesia, juxta id, quod Vincentius Lirinensis contra Hæres. cap. 3. tradit, Ecclesiam Catholicam esse, quæ docet *id, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*; sed etiam ratione amplitudinis veræ doctrinæ, quæ omnia fidei dogmata sine vlla admixtione falsitatis tradit, juxta illud S. August. de Genes. ad litt. imperf. c. 1. *Catholica dicitur ex eo, quia vniuersaliter perfecta est, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffusa est.*

Dicitur VII. *Origine & successione Apostolica, & perpetuò duratura*: Quia Ecclesiam, ab Apostolis fundatam, sine vlla interruptione vsque ad finem mundi duraturam esse concedit Confessio, Articulum VII. hoc modo inchoans: *Item docent, quòd vna sancta Ecclesia perpetuò mansura sit.*

Porrò vnitatem, sanctitatem, amplitudinem, originem, & successionem Ecclesiæ pulchrè describit. S. Cyprianus lib. de Vnit. Eccl. dicens: *Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radij; sed lumen vnum: & rami arboris multi; sed robur vnum, tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate; vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium solis à corpore; diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum; fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum; præcisus arescet. Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs expandit; vnum tamen caput est, & origo vna, & vna Mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno quos generauit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi: alie-*

Digitized by Google

nus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Et infrà: *Tales etiamsi occisi in Confessione nominis fuerint; macula ista nec sanguine abluitur: inexpiabilis, & grauis culpa discordia, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Occidi talis potest, coronari non potest.*

DICES I. In allata descriptione omittitur, quod præcipuum est in Ecclesia, videlicet virtutes internæ, & vnio fidelium mystica cum Capite suo Christo, quæ secundùm ipsos Pontificios est instar animæ Ecclesiæ. Ergo descriptio illa non est bona.

II. Si ad Ecclesiam requiritur externa fidei professio; sequitur infantes baptizatos non esse membra Ecclesiæ: quia fidem per ætatem profiteri non possunt.

RESPONDEO I. Per descriptionem illam describi totum corpus Ecclesiæ, cui, qui spiritu Christi viuere vult, in Fide & Sacramentis coniungi debet: quia extra corpus illud non est spiritus Christi, tametsi non reperiatur in singulis huius corporis membris. Vnde non oportet in descriptione eius Ecclesiæ, cuius fœtu nasci, lacte nutriri, spiritu animari debemus, vt cum S. Cypriano iam cit. loquar, coniunctionem mysticam totius Ecclesiæ cum Capite suo Christo ponere: quia secundùm se totam, & singulas partes suas, quibus vt instrumentis ad alios viuificandos vtitur, talem coniunctionem non habet. Implicitè tamen inuoluitur ista coniunctio in sanctitate prædicationis Euangelij, & administrationis Sacramentorum: quæ non possunt non veros in Ecclesia Deo filios parere; tametsi per malos, in externa Ecclesiæ compage manentes, adhibeantur.

RESPONDEO II. Membra corporis Christi veram fidem profiteri debere, prout eam profiteri possunt: Infantes autem, qui verbo profiteri nequeunt, facto ipso, dum Baptismum suscipiunt, & Diabolo cum pompis suis renunciant, fidei professionem facere. Et, si nostra definitio excludit infantes, multo magis excludit illos definitio Confessio-

nis,

nis, in qua prædicatio Euangelij ponitur: infantes enim nulla ratione prædicare, aut prædicantes audire possunt. Idque clariùs constat ex pleniore definitione Meisneri, quam in prælectionibus de Ecclesia, hoc anno in lucem Wittenbergæ editis, in quibus hæc quoque obiectio ponitur, sect. 3. c. 2. tradit: *Ecclesia noui Testamenti est hominum cœtus, à Deo Patre, in Filio, per Spiritum sanctum, mediante verbi prædicatione, ex vniuerso mundo, ad regnum Dei vocatorum, & per vnionem cum Christo Capite, nec non fidei & charitatis communionem, doctrinæ eiusdem professionem, ac legitimorum Sacramentorum vsurpationem inter se colligatorum, propter salutis æternæ adeptionem, in laudem diuinæ gloriæ. Cui admixti sunt plurimi non sancti, eandem tamen profitentes doctrinam.*

INSTABIS: Falsum est, extra Ecclesiam supra descriptam non dari veros filios Dei, & membra viua corporis Christi: Catechumeni enim, nondum admissi ad Sacramenta, extra Ecclesiam illam sunt; & tamen saluantur, si in vera fide & charitate moriantur, vt passim docent Patres.

RESPONDEO, Extra Ecclesiam illam, quæ supra descripta est, non dari veros filios Dei, vel salutem; tùm quia media, ad salutem consequendam necessaria, à sola Ecclesia illa proficiscuntur, etiam in eos, qui adhuc in Ecclesiæ vestibulo versantur: tum quia vel reipsa, vel desiderio in veræ Ecclesiæ corpore versari debent, qui salutem consequi volunt. Catechumeni autem, quamuis reipsa corpori Ecclesiæ nondum inserti sunt, inseri tamen desiderant, & ab ipsa Ecclesia spiritum Christi, si quem habent, acceperunt. Quare secundùm generationem internam Ecclesiæ filij effecti sunt, antequam corpori externo de facto coniungantur: & hoc nomine ad ipsum corpus externum, quod eos in Christo Iesu iam genuit, ratione eius, quod primarium in illo est, pertinent; quia corporis huius filii spirituales sunt. Interim vt saluentur, per realem baptismi susceptionem in Ecclesiæ visibilis corpus adscribi velle debent: iuxta id, quod S. August. Tract. 4. in Ioan. ait: *Fit aliquando, vt videas Catechumenum abstinen-*

tem ab omni concubitu, valefacientem sæculo, renuntiantem omnibus quæ possidebat, distribuentem pauperibus: & Catechumenus est. Instructus est etiam fortè doctrina salutari supra multos fideles. Timendum est huic, ne dicat apud semetipsum de baptismate sancto, quo peccata dimittuntur. Quid plus accepturus sum? Ecce ego melior sum illo fideli, & illo fideli; cogitans fideles aut coniugatos, aut forte idiotas, aut habentes & possidentes res suas, quas ipse distribuit iam pauperibus: & meliorem se esse arbitrans, quàm ille qui iam baptizatus est, dedignetur venire ad baptismum, dicens: Hoc sum accepturus, quod habet ille: & proponat sibi illos, quos contemnit; & quasi sordeat illi hoc accipere, quod acceperunt inferiores; quia iam videtur ipse sibi melior. Et tamen omnia peccata super illum sunt, & nisi venerit ad salutare baptismum (facto videlicet, vel voluntate; si factum necessitas excludat) *vbi peccata soluuntur, cum omni excellentia sua non potest intrare in regnum cælorum.* Et initio Lib. 2. de Symbolo Catechumenos sic alloquitur: *Accipite itaque vos, qui fidem desideratis, Verbum Dei, tanquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nondum quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis; sed per crucis signum in vtero sanctæ Matris Ecclesiæ iam concepti estis. Agat itaque hæc Mater congruis alimentis prius pascere quos portat, vt post partum lætetur, se tales suscepisse, quos spiritualiter nutriat.*

QVAESTIO III.

Vtrùm vera Christi Ecclesia semper sit visibilis?

CONcedunt Aduersarii, veram Ecclesiam visibilem perpetuò durare; quamuis aliquando visibiliter nó existat: aiunt enim distinctionem Ecclesiæ in visibilem & invisibilem non esse realem duarum specierum, sed tantùm modalem; quòd visibilitas, & invisibilitas sint duo modi distincti existendi Ecclesiæ. Et ideò licet Ecclesia visibiliter aliquando non existat, vt non extitisse volunt ante Lutherum, invisibiliter tamen eam semper durasse, vt quæstione V. videbimus.

Itaque

Itaque in quæstione nunc versatur, an Ecclesia Christi, ex quo per orbem terrarum ministerio Apostolorum disseminata est, vsque ad consummationem sæculi à visibilitate sua omnino separari nunquam possit.

NOTA I: Sententiam nostram hanc non esse, quòd Ecclesia vera, quatenus talis est, in sensus externos incurrat, cùm eatenus ne ratione quidem naturali comprehendi possit, sed credenda sit, sicut in Symbolo profitemur, dum dicimus: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Sed quòd illa ipsa Ecclesia, in qua vera Christi fides est, per operationes suas externas, videlicet per externam prædicationem, & Sacramentorum administrationē semper sensibus obiecta sit. Sicut Ecclesiæ Caput, adhuc in mundo existens, quà Filius Dei, externis sensibus, aut ratione naturali percipi non poterat: nihilominus quoad operationes suas externas, vt prædicationem & miracula, visibilis & sensibilis erat: & per illa ipsa, quæ in Christo videbantur, inducebantur homines vt crederent, ipsum esse Filium Dei. Adeò vt eos ad sibi credendum sub peccato obligare noluerit citra visionem mirabilium, quæ in ipsorum conspectu patrabat: Ioan. 15. 24. *Si opera,* inquit, *non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum.*

NOTA II. Nos non negare, quin Ecclesia in splendore & perspicuitate magis & minùs illustris fieri possit; & propter Hæreticorum, aliorumque Infidelium persecutiones, respectu status florentis, aliquo modo obscura esse. Sed hoc est quod dicimus, Ecclesiam nunquam ita absolutè inuisibilem reddi, vt veram Christi doctrinam nusquam sensibiliter prædicet, & eiusdem Sacramenta rectè administret. Pro quo sit

CONCLVSIO: Ecclesia Christi, ex quo per Apostolos in orbem terrarum disseminata est, à visibilitate sua separari non potest. Probatur I. Ex verbis Confess. August. Art. VII. *Item docent, quòd vna sancta Ecclesia perpetuò mansura*

 sit.

sit. Est autem Ecclesia Congregatio Sanctorum, in qua Euangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Ecclesiæ satis est, consentire de doctrina Euangelij, & administratione Sacramentorum. Neque enim doceri Euangeliũ, neque Sacramenta administrari, neque consensus in his esse, nisi in cœtu visibili, potest.

Quod autem Confessionistæ excipiunt, Ecclesiam visibilem à Confessione definiri, non autem Ecclesiam Catholicam, quàm inuisibilem fingunt; Confessioni manifestè repugnat: quia definit illam Ecclesiam, quæ perpetuò mansura est, & in eius definitione doctrinam Euangelij, & Sacramentorum administrationem ponit. Atqui Ecclesia, quæ perpetuò mansura est, ex mente Confessionistarum est Ecclesia Catholica, non particularis, qualem volunt esse omnem Ecclesiam visibilem, (omnem enim talem deficere posse, & de facto per multa sæcula ante Lutherum totam Ecclesiam visibilem defecisse contendunt) Ergo, secundùm verba Confessionis, Ecclesia Catholica à doctrina Euangelij, & Sacramentorum administratione, & consequenter à visibilitate separari non potest.

Probatur maior ex textu germanico, qui ad verbum ita sonat: *Docetur præterea quòd vna sancta Christiana Ecclesia semper esse & manere debeat; quæ est congregatio omnium fidelium, apud quos Euangelium purè prædicatur, & sancta Sacramenta juxta Euangelium distribuuntur.* Cùm ergo omnis definitio definito suo semper conuenire debeat, sequitur Ecclesiæ, ex mente Confessionis, quamdiu ipsa manet, id est, perpetuò conuenire puram Euangelij prædicationem, & Sacramentorum administrationem: & consequenter ipsam perpetuò visibilem manere.

CONFIRMATVR I. Ex his verbis Confessionis variatæ: *Habet autem Ecclesia propriè dicta signa sua, scilicet puram & sanam Euangelij doctrinam, & rectum vsum Sacramentorum.* Ecclesia enim propriè dicta est Ecclesia Catholica: Ergo Ecclesiæ Catholicæ, non tantùm particulari semper

ſemper conueniunt iſta ſigna; & conſequenter Eccleſia Catholica, per ſigna ſua ſenſibilia, ſenſibilis, ſiue viſibilis eſt (hæc enim iſto loco Synonyma ſunt) & viſibilis manet, quamdiu Eccleſia manet.

Confirmatur II. Ex Art. VIII. vbi dicitur, in Eccleſia, quamuis ipſa propriè ſit congregatio ſanctorum, ſecundùm ſocietatem ſignorum externorum, ſcilicet profeſſionis eiuſdem fidei, & participationis Sacramentorum, contineri malos; procul dubio non tantùm ad tempus (vt vult Meiſnerus Sect. 4. c. 5 dicens: *Minor igitur neganda eſt, ſi hunc habeat ſenſum: Eccleſia vſque ad diem vltimum manens, omni tempore per cuncta ſæcula continet bonos & malos*) ſed perpetuò, iuxta parabolam areæ, agri, & ſagenæ, in quibus paleæ & zizania inter triticum, & mali piſces inter bonos, vſquead tempus ventilationis, meſſis, & littoris inueniri dicuntur, Matt. 3. & 13. Id quod Confeſſio variata manifeſtè docet, Art. VII. inquiens: *Eſt autem Eccleſia Chriſti propriè congregatio membrorum Chriſti, hoc eſt, Sanctorum, qui verè credunt & obediunt Chriſto. Etſi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti ſint, vſque ad nouiſſimum iudicium.* Atqui congregatio mixta bonis & malis, eandem doctrinam profitentibus, eſt congregatio viſibilis: Ergo ſi Eccleſia vſque ad nouiſſimum iudiciũ talis congregatio futura eſt, perpetuò viſibilis futura eſt.

CONFIRMATVR III. Ex Apologia hoc loco dicente: *Neque verè ſomniamus nos Platonicam Ciuitatem, vt quidam impiè cauillantur, ſed dicimus exiſtere hanc Eccleſiam: videlicet verè credentes, & juſtos ſparſos per totum orbem; & addimus notas, puram doctrinam Euangelij, & Sacramenta. Et hæc Eccleſia propriè eſt columna veritatis: retinet enim purum Euangelium, &, vt Paulus inquit, fundamentum, hoc eſt, veram Chriſti cognitionẽ, & fidem.* Ex quibus verbis ſic argumentor: Si fundamentum Eccleſiæ, ſparſæ per totum orbem, & doctrina Euangelij, & Sacramentorum vſus, ſine his vtique conſiſtere non poteſt Eccleſia, niſi fortè domus ſine fundamento ſtare poteſt. Sed per doctrinam Euangelij, & Sacramentorum vſum redditur Eccleſia

clesia visibilis: Ergo sine visibilitate consistere non potest; & si quæ fingitur Ecclesia inuisibilis, verè Platonica siue Vtopica ciuitas est, nusquam, nisi in phantasia somniantium Confessionistarum existens.

Id quod probatur I. Vbi nulla est vera fides, ibi nulla est vera Ecclesia, vt manifestum est: Sed vbi nulla est vera prædicatio Euangelij, præsertim per continuata aliquot sæcula, ibi nulla potest esse vera fides, juxta illud Rom. 10.14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Ergo vbi nulla est vera prædicatio Euangelij, vt per multa sæcula ante Lutherum toto orbe fuisse volunt, ibi nulla est vera Ecclesia.

II. Ecclesia Christi perpetuò manens à fidelibus cognoscenda & audienda est, juxta illud Christi, Matt. 18.17. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Sed Ecclesia inuisibilis, carens prædicatione Euangelij & Sacramentorum administratione, ab hominibus cognosci, & audiri non potest. Ergo nulla est Ecclesia Christi inuisibilis. Vt enim S. August. Epist. 170. rectè ait: *Facilè tibi est attendere & videre ciuitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait in Euangelio, quòd abscondi non possit. Ipsa est enim Ecclesia Catholica, vnde καθολικὴ græcè appellatur, quòd per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet; ideò secundùm verbum Domini nostri Iesu Christi abscondi non potest,* Et lib. de Vnit. Eccl. cap. 14. *Non est autem,* inquit, *ista operta, non est sub modio* (vt tanto tempore ante Lutherum fuisse volunt Confessionistæ) *sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est: Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta. Sed Donatistis,* Confessionistis, &c. *velut operta est: quia audiunt tam lucida & tam manifesta testimonia, quæ illam toto orbe esse demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere.* Et c. 20. *Habetis Ecclesiam vbique diffundi, & crescere vsque ad messem; habetis ciuitatem, de qua ipse qui eam condidit ait: Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta. Ipsa est ergo, quæ non in aliqua parte terrarum, sed vbique notissima est.*

Quàm

Quàm autem ista à doctrina Confessionistarum diuersa sunt, qui Ecclesiam Catholicam ita absconditam esse volunt, vt à nemine cognoscatur, nisi à solò Deo?

III. Ecclesia est domus Dei, quæ ministerio siue prædicatione Euangelij perpetuò ædificari debet: Ergo vbi prædicatio Euangelij deficit, & consequenter vbi nullus est cœtus visibilis docentium & audientium Euangelium, ibi nulla est Ecclesia. Probatur Antecedens ex illo Ephes. 4. à v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores; ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Quibus postremis verbis nouissima tempora significantur, vt omnes concedunt. Ergo opus ministerij in Ecclesia duraturum est vsque ad finem sæculi. Et quia opus ministerij esse non potest sine Doctoribus Euangelium prædicantibus, & auditoribus illud excipientibus; Ecclesia tota nunquam esse potest cœtus inuisibilis soli Deo notus; sed semper est cœtus talis, in quo plures inuicem nosse debent, quia ab inuicem doceri debent.

IV. In Symbolo credimus *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, & in illa *Sanctorum communionem*. Vnde sic argumentor: Si interior communio Sanctorum, qua in eodem Capite Christo, per dona Spiritus sancti, coniunguntur, sine communione externa in eadem fidei doctrina, & vsu Sacramentorum esse non potest in Ecclesia, sequitur Ecclesiam per hæc externa officia semper debere esse visibilem. Sed sine externa ista communione interna esse non potest, quam tamen semper esse credimus: Ergo Ecclesia per officia sua externa semper debet esse visibilis.

Probatur minor ex Art. V. Confessionis, vbi dicitur: *Vt hanc fidem* (secundùm Lutheranos iustificantem) *consequamur, institutum est ministerium docendi Euangelij, & porrigendi Sacramenta: nam per Verbum & Sacramenta, tanquam per in-*

strumenta, donatur Spiritus sanctus, vbi & quando visum est, iis, qui audiunt Euangelium, &c. Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt Spiritum sanctum contingere sine verbo externo hominibus. Ergo quicumque Ecclesiam & internam per Spiritũ sanctum communionem Sanctorum ponunt sine externa communione in eadem doctrina fidei, & Sacramentorum vsu, damnantur à Confessione. Et consequenter quicumque negant Ecclesiam per hæc externa officia sua semper esse visibilem.

OBIICIES: Non tantùm in antiquo Testamento tota Ecclesia visibilis sæpè apostatauit, vt passim conqueruntur Prophetæ; & aliqui inuisibiliter à Deo in vera fide seruati sunt, vt septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, 3. Reg. 19. sed etiam in nouo Testamento, per Imperatorum Gentilium, & Hæreticorum persecutiones, Ecclesia vera aliquamdiu visibiliter non extitit. De tempore enim Arrianorum ait Hieron. in Dial. contra Lucif. *Ingemuit totus Orbis, & se Arrianum esse miratus est.* Ergo tunc tota Ecclesia visibilis ad Arrianos defecerat; & qui veri fideles tunc erant, in speluncis & cauernis terræ se abscondebant. Vnde Hilarius Lib. cont. Auxent. de illo tempore ait: *Malè vos parietum amor cepit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis; Montes mihi, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores.*

Quinimò generalis in nouo Testam. Ecclesiæ visibilis Apostasia prædicta est, Daniel. c. 9. 27. *Deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* Et 2. Thes. 2. 3. dicitur, Diem Domini non instare, nisi *venerit discessio*, siue apostasia, *primùm, & reuelatus fuerit homo peccati*, videlicet Antichristus.

RESPONDEO I. Tametsi tota synagoga visibilis aliquando defecisset, hoc tamen ad Christi Ecclesiam trahendum non esse: quia synagogæ tam præclaræ promissiones de perpetua duratione factæ non sunt, vt Ecclesiæ Christi: neque verò fieri potuerunt; quia synagoga ex decreto Dei semper

duratu-

Digitized by Google

duratura non fuit; ſed Eccleſiæ ceſſura, tanquam vmbra corpori, & ancilla ſponſæ liberæ, Christo perpetuo fœdere coniungendæ, vt docet Apoſtolus ad Galat. 4.

DICO nihilominùs, totam ſynagogam viſibilem tempore Eliæ ad idololatriam conuerſam non eſſe: quia de ea tantùm ſynagogæ parte loquitur Elias, quæ ſub Rege Samariæ erat, & propriè Iſrael vocabatur: non autem de ea, quæ erat ſub Rege Ieruſalem, de qua conſtat, quòd illo tempore in vera religione per viſibilia & externa exercitia, ſub Aſa & Ioſaphat piis Regibus, perſeuerauerit. Quando autem Prophetæ omnes ſimpliciter idololatriæ & impietatis accuſare videntur, quaſi nemo bonus in toto ſynagogæ cœtu extiterit; adhibenda eſt regula S. Auguſtini, quam paſſim contra Donatiſtas, ſimili argumento vtentes tradit, & nominatim Epiſt. 48. his verbis: *Habent Scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quoſdam verbum perueniat. Quod etiam Apoſtolus dicit ad Corinthios: Cùm enim ſint inter vos æmulatio & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Tanquam omnibus dicit, & vides quam graue ſit quod dicit: proinde niſi in ipſa epiſtola legeremus: Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu; quia in omnibus ditati eſtis in illo, in omni verbo & ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ita vt nihil deſit vobis in vlla gratia: putaremus omnes Corinthios carnales & animales, non percipientes quæ ſunt ſpiritus Dei, &c.* Simile exemplum habetur in Epiſtola ad Galatas, &c.

RESPONDEO II. Eccleſiam Chriſti, per Principum Gentilium, & Hæreticorum perſecutiones, de viſibili quidem ſplendore ſuo & amplitudine multum aliquando perdidiſſe, nunquam tamen ſecundùm ſe totam inuiſibilem redditam eſſe, aut reddi potuiſſe. Quia vt S. Auguſt. loc. cit. dicit: *Ipſa eſt, quæ aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum, quando peccatores intendunt arcum, vt ſagittent in obſcura luna rectos corde. Sed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet.* Quorum reſpectu magis ſæpè floret &

Digitized by Google

crescit Ecclesia, dum patitur; quàm dum tranquillitate potitur: juxta illud Christi, Ioan. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadēs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et sicut Christus in cruce exaltatus omnia ad se traxit, ibid. v. 32. ita Ecclesia Christi per martyria & cruces nouo se semper fœtu multiplicauit. Vnde Tertul. in lib. ad Scapulam rectè ait: *Sanguis Martyrum semen est Christianorum.* Et S. Ambros. lib. 9. in Luc. sic alloquitur Ecclesiam: *Te in perpetuum multorum nobis martyrium plantauit in terris: Te crux Apostolorum, æmula Dominicæ passionis, vsque in orbis totius terminos propagauit.* Quàm autem multi vno sæpè die, & quanto cum Christianæ Religionis incremento, sub Imperatoribus Paganis ad martyrium rapti fuerint, passim in historijs Ecclesiasticis videre licet.

RESPONDEO III. S. Hieronymum neque de toto simpliciter orbe loqui, quando dicit orbem miratum se Arrianum esse; neque de hæresi Arriana propriè sumpta, quasi omnes, de quibus agit, verè & formaliter Arriani fuerint: sed de illis, qui ex toto orbe ad Concilium Ariminense conuenerant, & ab Arrianis decepti, per ignorantiam vocē, ὁμοούσιον tanquam nouam & scandalosam, tollendam esse decreuerant. Et quia Aduersarij hoc ex S. Hieronymi textu colligi posse negant, ipsum loquentem audiamus. Cùm Arriani in isto Concilio verbotenus de Filio Dei talia dicerent, vt nihil à Catholica fide alienum sentire viderentur; *Sonabant*, inquit Hieron. *verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat: de Vsiæ verò nomine abijciendo verisimilis ratio præbebatur: Quia in Scripturis, aiebant, non inuenitur, & multos simpliciores nouitate sua scandalizat. Placuit auferri.* Soluto autem Concilio *cœperunt Valens, & Vrsatius, cæterique nequitiæ eorum socij, egregij videlicet Christi Sacerdotes, palmas suas jactitare, dicentes, se Filium non creaturam negasse; sed similem cæteris creaturis. Tunc Vsiæ nomen abolitum, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est.* Nimirum per decretum illud, in Synodo Ariminensi ex ignoran-

Digitized by Google

gnorantia factum: nam paulò post addit: *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur: contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctū est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putauimus, aiebant, sensum congruere cum verbis: nec in Ecclesia Dei, vbi simplicitas, vbi pura cōfessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labijs proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.* Et infrà: *Cur damnassent eos, qui Arriani non erant? Cur Ecclesiam scinderent, in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes benè obstinatione sua facerent Arrianos?*

RESPONDEO IV. S. Hilarium non loqui de tota Ecclesia visibili, sed de Mediolanensi; in qua multi simplices ab Auxentio decepti, quòd publicè concionaretur, eum vt Catholicum habebant. Ratio autem cur pacem cum eo inire noluerit posteà adfertur, quia ab Ecclesia visibili in Concilio Niceno damnatam hæresin colebat: *Congreget*: inquit, *nunc ille, quas volet, in me synodos, & Hæreticum, vt sæpè jam fecit, publico titulo proscribat, & quantam volet iram in me Potentium moliatur: mihi certè ille nunquam aliud, quàm Diabolus erit, quia Arrianus est. Neque pax aliquorum vnquam optabitur, nisi eorum, qui, secundùm Patrum nostrorum apud Nicæam tractatum, anathematizatis Arrianis Christum Deum verum prædicabunt.*

Quòd autem Arrianorum tempore tota Ecclesia non latuerit in cauernis, constat; quia Arriana hæresis ante Concilium Ariminense solo Oriente peruagata est, Occidentem ferè totum intactum reliquit: vt S. Hieron loc. cit. insinuat, vbi, cùm Donatistas eadem secum de Christo conclusisse putarent Episcopi occidentales, *His*, inquit, *gestis Concilium soluitur, læti omnes ad Prouincias reuertuntur. Idem enim Regi & bonis omnibus curæ fuerat, vt Oriens, atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur.* Quamquam autem posteà Occidentis Episcopi grauiter afflicti fuerint; diu tamen afflictio illa non durauit, sed tantùm per triennium, videlicet ab Ariminensi Concilio vsque ad mortem Constantij. *Periclitabatur*, inquit S. Hieron. *nauicula Apostolorum, vrgebant venti, fluctibus latera*

tundebantur, nihil jam supererat spei: Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas redit. Manifestiùs dicam: Omnes Episcopi, qui de proprijs sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam noui Principis ad Ecclesias redeunt. Tunc triumphatorem suum Athanasium Aegyptus excepit, tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum Ecclesia complexa est, tunc ad reditum Eusebij lugubres vestes Italia mutauit.

RESPONDEO V. Locum Danielis ad litteram de destructione Ierosolymorum loqui, vt docet Christus Matt. 24. 15. *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c.* Et clariùs apud Luc. c. 21. 20. *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.*

Neque locum istum de tempore Antichristi explicare Confessionistæ possunt: tum quia secundū illos Papa est Antichristus, & tamen, cùm tanto tempore rexerit, siue, vt ipsi loquuntur, desolauerit Ecclesiam, nondum cessat sacrificium & hostia. Si enim hoc de sacrificio externo intelligamus, non cessat illud sub Papa; sed apud Confessionistas: sin de sacrificio spirituali potiùs explicandum volunt, neque illud cessare potuit propter Papam: quia Ecclesia sine tali sacrificio consistere non potest: Atqui Ecclesia etiam sub Papæ tyrannide, vt calumniari solent, inuisibiliter & spiritualiter durauit: Ergo similiter durauit spirituale sacrificium. Tum quia desolatio illa, quam describit Daniel, vsque ad consummationem & finem perdurabit, vt ex illius verbis constat. Sed secundùm Confessionistas desolatio per Papam facta per reformationem Lutheri magna ex parte sublata est: Ergo de hac desolatione locum Danielis intelligere non possunt.

Ad locum Pauli dico, tempore Antichristi magnam fore multorum apostasiam à fide; non tamen generalem omnium: nisi totam Ecclesiam sub illo perituram velint; imò jam à multis sæculis perijsse. Idem cum Paulo indicat Chri-

stus

ctus Luc. 18. 8. dicens: *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Quo significat, paucissimos quidem illo tempore fideles, non tamen nullos fore: vt concedere debent Aduersarij, qui Ecclesiam inuisibilem, & consequenter veram fidem nunquam totaliter perituram docent. Quamquam verò maxima sub Antichristo persecutio futura est; non tamen reddet Ecclesiam prorsus inuisibilem, & soli Deo cognitam; sed manebit ipsa visibilis, quamuis obscurior, sublato passim publico Religionis exercitio.

RESPONDEO ergo VI. Tametsi per totum orbem publicum veræ religionis exercitium prohibitum foret, prout jam prohibitum est in Anglia, adhuc tamen Ecclesiam mansuram esse visibilem. Quia tametsi respectu infidelium, Ecclesiam persequentium, lateret; respectu tamen eorum qui communionem cum illa retinerent, visibilis & cognita esset. Sicut de facto in Anglia veri Catholici agnoscunt & audiunt Doctores suos, & ab illis Sacramenta percipiunt. Quando ergo dicimus, Ecclesiam semper esse visibilem, non volumus illam ab omnibus hominibus semper manifestè cognosci debere; sed de facto in partibus suis cognosci à veris Ecclesiæ filijs, & semper esse cœtum in visibili, siue sensibili doctrinæ & Sacramentorum communione coniunctum. Id quod ipse Meisnerus fatetur, f. 594. dicens: *Licet Christiani latentes mundo & persecutoribus sint ignoti; attamen sibi inuicem sunt noti, si non omnes, tamen aliqui junctim latitantes, qui mutuis sese officijs semper juuant. Vti factum tempore decem persecutionum, & Arrianismi.*

Addo tamen, Ecclesiam etiam in persecutionibus diu ita abscondi non posse, quin eius membra persecutoribus aliquando innotescant; vt patet in allatis exemplis: nam tempore persecutionum istarum & Episcopi, & alij fideles veram religionem constanter profitentes, ad Ecclesiæ hostes delati, & varijs supplicijs ac pœnis affecti sunt. Ergo Ecclesia postremis his temporibus per plurima sæcula ita latuisse non potuit, vt nullus quisquã inuentus fuerit, qui veram fidem

fidem publicè aliquando profiteretur. Prout Confessionistæ Ecclesiam, per Papatum pressam, latuisse volunt, & per mille ac plures annos ante Lutherum ne vnicum quidem ostendere possunt, qui publicè docuerit, quod ipsi docent.

INSTABIS: Si Ecclesia tota publico Religionis exercitio priuari potest, & tantùm cognosci à consortibus eiusdem fidei; nihil valet argumentatio illa, qua dicunt, Ecclesiam ideò debere esse visibilem, quia infideles ad eam accedere posse debent, & ipsam audire. Quod enim coram infidelibus latet, hoc ab ipsis cognosci, & audiri non potest.

RESPONDEO I. Meisnerum, qui tanquam nobis deuictis triumphat, quòd cum Gregorio de Valent. concedamus, Ecclesiam aliquando ita premi posse, vt cognitio eius apud imperitos, & non satis prudenter rationes temporũ, rerumque circumstantias æstimantes, difficilis sit; pag. 568. concedere, *quòd Ecclesia semper à prudentibus rerum æstimatoribus internosci queat; modò istud maneat, illam quandoque priuari publico exercitio, atque in cauernis latere abditam: in quo statu non potest non inuisibilis esse*, inquit. Sed contrà: Ecclesia, quæ semper à prudentibus rerum æstimatoribus internosci potest, non potest non esse visibilis; quia signa quædam externa habere debet, per quæ internoscatur: interiora enim soli Deo nota sunt. Ergo si Meisnerus concedit, Ecclesiam veram semper ab hominibus internosci posse, videlicet per fidei professionem, & Sacramentorum administrationem, concedit eandem semper esse visibilem.

RESPONDEO II. Vincentium Lirinensem in aureo suo contra hæreses libello duas tradere regulas, per quas vera Christi Ecclesia inter hæreses discerni possit: I. Si se pauci à totius orbis Christiani communione separauerint, tunc, relictâ parte, toti adhærendum est. II. Si totã quasi Ecclesiam hæretica prauitate ita premi contingat, vt in publico citra periculum apparere non possit, tunc antiquitas nouitati præferenda est.

Verba ipsius c. 4. hæc sunt: *Quid igitur faciet Christianus Catholi-*

Digitized by Google

Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula (vt ante cētum annos Saxonia) *ab vniuersa fidei communione præciderit? Quid vtique, nisi vt pestifero corruptoque membro sanitatem vniuersi corporis anteponat? Quid si nouella aliqua contagio non jam portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab vlla nouitatis fraude seduci.*

Prioris exemplum ponit c. 5. his verbis: *Tempore Donati* (Lutheri) *à quo Donatistæ* (Lutheristæ) *cùm sese multa pars Africæ* (Germaniæ) *in sui erroris furias præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, professionis, vnius hominis sacrilegam temeritatem Ecclesiæ Christi præponeret; tunc quicumque per Africam* (Germaniam) *constituti, profano schismate detestato, vniuersis mundi Ecclesiis associati sunt; soli ex illis omnibus intra sacraria Catholicæ fidei salui esse potuerunt. Egregiam profectò relinquentes POSTERIS formam, quemadmodum scilicet & deinceps bono more vnius, aut certè paucorum vesania vniuersorum sanitas anteferretur.*

Posterioris autem exemplum ponit c. 6. *Item quando Arianorum*, inquit, *Venenum non jam portiunculam quandam, sed penè orbem totum contaminauerat, adeò vt propè cunctis latini sermonis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis caligo quædam mentibus offunderetur; quidnam potissimùm in tanta rerum confusione sequendum foret. Tunc quisquis verus Christi amator & cultor extitit, antiquam fidem nouellæ fidei præferendo nulla contagij ipsius peste maculatus est, &c. Tunc temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monasteria demolita* (putares illū de nostro tēpore loqui) *disturbati Clerici, verberati Leuitæ, acti in exiliū Sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis vrbibus protrusi, atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, contriti, & tabefacti sunt. Atqui hæc omnia, nunquid vllam aliam ob causam, nisi vtique dum pro cælesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur? Dum benè fundata ANTIQVITAS scelesta NOVITATE subruitur? Dum Superiorum INSTITVTA violantur; dum rescinduntur SCITA PATRVM; dum conuelluntur DEFINITA MAIORVM; dum sese*

intra sacratæ atque incorruptæ vetustatis castißimos limites, profanæ ac nouellæ curiositatis libido non continet? Hæc sanctissimus, doctissimus simul, & antiquissimus Auctor, ante annos circiter mille ducentos, mortuus enim est Theodosio & Valentiniano regnantibus.

Sed si vtramque hanc regulam adhibeamus, non admodùm difficilè erit judicare, cuinam Ecclesiæ quouis tempore, & nominatim isto adhærendum sit: Primò enim quanta particula fuit cõgregatio Lutherana respectu reliqui orbis Christiani? Anno 1530. cum Lutherus jam à tredecim annis ab Ecclesia Romana defecisset, & doctrinam Lutheranam prædicasset, VII. tantùm Principes Germani, & II. Ciuitates Cõfessioni August. subscripserunt. Etiamsi autem posteà plures Principes, & Ciuitates defecerint, eiusdem tamen inter se Sectæ omnes, etiam eiusdem nominis, non extiterunt. Et tamen vniuersi in vnum collecti Romanæ Ecclesiæ hostes, Confessionistæ, Caluinistæ, Anabaptistæ, Schvvenckfeldiani, &c. reliquos fideles, Catholicam Religionem profitentes, numero non æquant.

II. Quamuis Confessionistæ soli longè plures essent Catholicis, quia tamen contra receptam, & multo longiore annorum tractu fundatam, quàm tempore Vincentij erat, antiquitatem fidei, nouam doctrinam induxerunt; *In illa Ecclesia permanendum est*, verba sunt S. Hieron. cont. Lucif. *quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari; vt puta Marcionitas, Valentinianos*, Lutheranos, Caluinistas, &c. *scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quod POSTEA INSTITVTI SVNT, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit. Nec sibi blandiantur, si de SCRIPTVRARVM CAPITVLIS videntur sibi affirmare quod dicunt: cùm & Diabolus de Scripturis aliqua sit locutus: & Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo. Alioquin si litteram sequimur, possumus & nos quoque nouum nobis dogma componere.*

QVAE-

QVAESTIO IV.

Vtrùm Ecclesia Christi visibilis in fidei doctrina errare non possit?

HActenus de perpetua Ecclesiæ visibilis duratione, nunc de eiusdem ab erroribus immunitate pauca dicenda sunt; de qua Confessionistæ docent, omnem Ecclesiam visibilem, siue particularem, hæc enim pro synonymis habent, in omnibus fidei articulis errare posse: vniuersalem autem Ecclesiam, siue inuisibilem, in fundamentalibus articulis nunquam totam errare; in secundariis, & minùs principalibus etiam hanc errare posse; & de facto in multis errasse. Quia antiqui Patres, inquiunt, ad hanc Ecclesiam pertinuerunt: sed illi in secundarijs fidei articulis sæpè errarunt: vt in doctrina de purgatorio, de orationibus pro defunctis, de Sanctorum inuocatione, &c.

Summa ergo sententiæ aduersariæ hîc discutiendæ est ista: Ecclesia Christi, quamdiu talis manet, in fundamentalibus fidei articulis non errat, nec errare in illis potest tota Ecclesia Catholica: in minùs autem principalibus etiam hæc erroribus obnoxia est. De quo sit

CONCLVSIO: Ecclesia Catholica, quam contra Confessionistas jam probauimus semper esse visibilem, non tantùm in fundamentalibus, sed etiam in quibusuis fidei articulis ab omni errore immunis est, hoc sensu, quidquid vel ex perpetua traditione, vel per legitimos Ecclesiæ Pastores vniuersaliter propositum reliqui fideles vt articulum fidei profitentur, hoc infallibiliter verum est.

Probatur I. Quidquid nos Deus, non tantùm per se immediatè, sed etiam per alios docet, id infallibilis veritatis est: aliàs enim ipsa Scriptura sacra non esset infallibilis; quia Deus illam non per se immediatè, sed per Scriptores sacros nobis tradidit. Sed dum Ecclesia credenda proponit, Deus per illam nobis loquitur: Ergo quæ credenda proponuntur ab Ecclesia, infallibilia, & ab errore immunia sunt.

Probatur Minor ex illo 2. Cor. 5. 20. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* 1. Thes. 2. 13. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè Verbum Dei.* Ergo verbum fidei, quod Thessalonicensibus prædicando proposuit Paulus, fuit Verbum Dei. Ergo Deus per Paulum locutus est, & per modernos quoque Ecclesiæ veræ Pastores in rebus fidei loquitur. Quia inspiratio Dei non solis Apostolis, sed eorum quoque successoribus promissa est, Ioan 16. 13. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: quod ad Ecclesiam perpetuò pertinet, juxta illud Ioan. 14. 16. *Ergo rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Et Ioan. 17. 17. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est, &c. Non pro eis autem rogo tantùm; sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, &c.* Vnde Matt. 16. 18. ait idem Dominus: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Hoc est, in vera fidei confessione ita fundabo, vt nulla ipsam falsitas occupare possit; sed futura sit *columna & firmamentũ veritatis*, 1. Timoth. 3. Id quod diu ante in nouo Testamento futurum prædixit Isaias, c. 59. à v. 19. *Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab Ortu solis gloriam eius, cùm venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit: & venerit SION REDEMPTOR, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, à modò & vsque in sempiternum.*

II. Veros Ecclesiæ Pastores & Doctores in rebus fidei Ecclesiam vniuersaliter docendis errare non posse constat ex illo Ephes. 4. vbi Apost. dicit, ideò Pastores & Doctores Ecclesiæ perpetuò dandos, *vt non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.* Quia videlicet ordinarij Ecclesiæ Pastores

Pastores acceptam à Maioribus fidei doctrinam sinceram & illibatam tradunt: & si quid in ea nouæ controuersiæ oriatur, Spiritu sancto dirigente, citra admixtionem erroris, exponunt. *Christi enim Ecclesia,* verba sunt Vincentij Lirinensis c. 32. *Sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non vsurpat aliena. Sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitùs informata, & inchoata, accurret & poliat; si qua jam expressa, & enucleata, consolidet, firmet; si qua jam confirmata & definita, custodiat.* Quales autem Pastores hîc intelligendi sint docet idem c. 22. dicens: *Omnes Catholici nouerint, se cum Ecclesia Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debere.* Qui enim hoc faciunt omni vento doctrinæ cum Doctoribus suis, & etiam contra illos circumferuntur; vt & nostra tempora luculenter docuerunt, & olim quoque factum esse testatur. S. Hilarius in lib. ad Constantium dicens: *Postquam noua potiùs cœpit condere, quàm accepta retinere; nec veterata defendit, nec innouata firmauit: & facta est fides temporum potiùs, quàm Euangeliorum: dum & secundùm annos scribitur* (vt etiam factum est in Confess. August.) *& secundùm confessionem baptismi non tenetur* (agit enim de fide SS. Trinitatis) *Periculosum nobis admodùm, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas esse, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare, quod vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur, vt volumus; aut ita, vt volumus, intelliguntur: & cùm secundùm vnum Deum & Dominum, & vnum baptisma, etiam fides vna sit; excedimus ab ea fide, quæ sola est; & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne vlla sit, &c. Incerto enim doctrinarum vento vagamur; & aut, dum docemus, perturbamus* (scindendo videlicet vnitatem Ecclesiæ) *aut dum docemur, erramus, &c. Annuas, atque menstruas de Deo fides decernimus.*

III. Ecclesiam sub graui comminatione audire jubemur: Matt. 18. 17. *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Cuius rei ratio prima est, quam jam

Digitized by Google

reddidimus, & quæ ibid. v. 20. insinuatur: *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si Christus, Magister veritatis, in medio duorũ vel triũ in nomine suo cõgregatorum est; quanto magis est in medio Ecclesiæ, quæ tot populorum in nomine Christi congregatorum societas est? Et ideò meritò anathema dicit ijs, qui Ecclesiam, siue docentem, siue corrigentem, non audiunt: quia qui Ecclesiam audit, Christum audit; qui Ecclesiá spernit, Christum spernit, Luc. 10. 16. Secunda ratio est: quia quamuis Christus immediatè fidei veritatem homines docere posset; ad conseruandum tamen ordinem, vnitatem, & charitatem inter Ecclesiæ membra, non aliter suos instruit, quàm per externam & ordinariam Verbi Dei prædicationem: juxta illud. Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Qui ergo hanc prædicationem audire renuit, meritò dicitur sicut Ethnicus & Publicanus: quia fidem veram, qua ab Ethnicis Christiani distinguuntur, nec habet, nec accipere potest: donec se Pastoribus subiiciat, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,* Act. 20.

IV. Quamuis Ecclesiæ Pastores homines sunt, per se erroribus obnoxij, cùm tamen vniuersaliter Ecclesiam docet, non sunt considerandi vt homines; sed vt organa Spiritus sancti, per quæ nos ipse in omnem veritatem inducere statuit. Ideò enim in Symbolo post Articulum de Spiritu sancto, immediatè subiungitur articulus de sancta Ecclesia Catholica; quòd per Spiritus sancti directionem quoad doctrinam fidei, & præcepta morum semper sit, & maneat sancta. Et cùm Ecclesiam Catholicam in fundamentalibus articulis errare non posse docent Aduersarij, cùm tamen ex hominibus, qui per se etiam in his articulis errare possent, constet; omni fundamento carent, quando Ecclesiam totam visibilem ideò errare posse affirmant, quia constat hominibus errori obnoxijs. Si enim propter Christi promissionem, vt inquiunt, corruptâ totâ Ecclesiâ visibili, semper conseruantur homines in fundamentalibus fidei articulis non errantes (cùm talem Christi promissio-

missionem nusquam legamus) quanto rectiùs dicimus, veram Ecclesiam visibilem per Pastores suos omni errore vacuam Euangelij doctrinam nobis tradere, propter has & similes Christi promissiones: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Ioan. 16. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*, Matt. 28. &c.

V. Si tota Ecclesia visibilis, nos instruens, in quibusuis fidei articulis errare posset (vt Confessionistæ volunt, dum hanc etiam in fundamentalibus errasse dicunt) non maior esset auctoritas Ecclesiæ nos docentis, quàm cuiusuis hominis priuati: sicut enim homo priuatus in tota fide errare potest; ita & Ecclesia tota visibilis: & sicut doctrina priuati hominis audienda est, quando Scripturæ sacræ conformis est; ita doctrina Ecclesiæ secundùm ipsos etiam à priuatis examinanda est: & si conformis reperiatur, amplectenda; sin difformis, reiicienda. Quid autem hoc est aliud, quàm Ecclesiæ in docendo auctoritaté hominum contemptui exponere? Contra tot, & tam manifesta Scripturæ testimonia, quibus conuictus ipse Caluinus, lib. 4. Inst. c. 1. §. 5. in illud Ephes. 4. quod supra citauimus, inquit: *Videmus, vt Deus, qui posset momento suos perficere, nolit tamen eos adolescere in virilem ætatem, nisi educatione Ecclesiæ. Videmus modum exprimi, quia Pastoribus iniuncta est cœlestis doctrinæ prædicatio. Videmus omnes ad vnum cogi in eundem ordinem, vt mansueto & docili spiritu regendos se Doctoribus, in hunc vsum creatis, permittant.* Et relato loco Isaiæ 59. sup. cit. *Vnde sequitur*, inquit, *dignos esse, qui fame & inedia pereant, quicumque spiritualem animæ cibum, diuinitùs sibi per manus Ecclesiæ porrectum, negligunt. Fidem nobis Deus inspirat; sed Euangelij sui organo: sicuti admonet Paulus: Fidem esse ex auditu, &c. Ergo vt sciamus, ex vasis testaceis nobis proferri inæstimabilem thesaurũ; Deus ipse in medium prodit, & quatenus huius ordinis auctor est, vult se præsentem in sua institutione agnosci.* Si autem Deus præsens in Ecclesiæ prædicatione agnoscendus est, Christianorum non est examinare ea, quæ publicâ Ecclesiæ auctoritate proponuntur: quia hoc est Deum ipsum in ordinem redigere.

VI. Ex

VI. Ex doctrina Confessionis vlteriùs sequitur, neminem certò & infallibiliter secum statuere posse, id verum esse quod ab Ecclesia audit, tametsi fidei fundamentum tangat; nisi ipse Scripturæ sacræ testimonijs certò didicerit, rem ita se habere, vt Ecclesia docet. Ergo idiotæ, qui Scripturam ne legere quidem possunt, dè nullo fidei articulo certi sunt: quia omne ministerium visibile erroribus in fide etiam fundamentalibus subiectum est, vt asserunt: Ecclesia autem Catholica, quæ sola à fundamentalibus erroribus immunis est, vtpote inuisibilis & soli Deo nota, adiri & audiri non potest.

VII. Si solus error in fidei fundamento destrueret Ecclesiam Catholicam, sequeretur I. plurimos & nostro & Confessionistarũ judicio manifestè hæreticos, cum suis hæresibus posse esse membra Ecclesiæ Catholicæ. Quicumque enim fide speciali apprehendunt merita Christi, eo modo quo Lutherani docent, fidei fundamentum retinent, quoscumque in alijs fidei mysteriis errores profiteantur: quia Apologia tit. de Eccl. hoc modo loquitur: *Hæc Ecclesia propriè est columna veritatis, retinet enim purum Euangelium* (Si purum est) quod innumeris erroribus pollutum est) *& vt Paulus inquit, fundamẽtum, hoc est, Christi cognitionem & fidem: etsi sunt in his multi etiam imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones; quæ tamen, quia non euertunt fundamentum, tum condonantur illis, tùm etiam emendantur. Ac Sanctorum Patrum scripta testantur, quòd interdum stipulas etiam ædificauerint supra fundamentum; sed quæ non euerterunt fidem eorum.* Ergo qualescumque quis errores profiteatur, modò non euertat fidem specialem, qua credat peccata sibi propter Christum esse remissa, pertinet ad Ecclesiam Catholicam. Et consequenter Caluinistæ, Zvvingliani, & alij, Confessionistarum judicio hæretici, qui specialem hanc fiduciam in Christum habent, pertinent ad Ecclesiam Catholicam. Imò etiam Turcæ, in alijs Alcorani sui erroribus permanentes, modò in hoc vno cum Lutheranis conueniant, erunt viua Ecclesiæ Catholicæ membra. Si enim Bernardus, Franciscus, Dominicus, qui ex

mente

Digitized by Google

mente Confessionistarum in multis superstitiosi & idololatræ fuerunt, sanctos inuocando, sacram Eucharistiam adorando, Monachatum colendo, &c. nihilominùs judicio Confessionis August. Sancti fuerunt, quia more Lutherano (si Deo placet) peccata sibi remissa esse crediderunt; quid impedit, quominùs Turca aliquis, modò Lutheranã fidem specialem habeat, cum plurimis Alcorani sui erroribus Sanctus, & Ecclesiæ Catholicæ membrum esse possit?

II. Sequeretur eum, qui negaret Scripturam sacram esse Verbum Dei, posse esse membrum Ecclesiæ Catholicæ. Quia sine quo potest haberi vera fides, illud, vt ignorari, ita & negari sine dispendio salutis potest, vt ex doctrina Confessionis sequitur: Sed sine Scripturæ sacræ notitia potest haberi vera fides, vt in Lege naturæ anteqnam scripsisset Moyses; & in Lege Euangelica, ante scriptionem & promulgationẽ noui Testamenti, multi fidem & salutem per viuam prædicationem Apostolicam consecuti sunt. Imò, vt Irenæus de tempore suo testatur, multi barbari per viuam vocem sine Scriptura veram fidem didicerunt: & proinde colligit, Scripturam Ecclesiæ non esse simpliciter necessariam, lib. 3. c. 4. dicens: *Quid autem si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quàm tradiderunt ijs, quibus cõmittebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum, qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem; & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum Deum credentes, &c.* Ergo Scriptura sacra secundùm S. Irenæum neque singulis Christianis, neque toti Ecclesiæ absolutè necessaria est: & consequenter, cùm Ecclesiam in non necessariis errare posse doceat Confessio, & manere tamen Christi Ecclesiam; non tantùm singuli fideles, sed etiam tota Ecclesia verè Catholica negare posset, Scripturam esse Verbum Dei.

VIII. Ad Ecclesiam, tanquam ad infallibilem fidei Magistram, passim prouocant SS. Patres: vt dictus Irenæus (qui loc. cit. c. 3. testatur, se Polycarpum, ab Apostolis edo-

ctum, & Episcopum constitutum vidisse) c. 4. ex Traditione Apostolica ait: *Tantæ igitur ostensiones cùm sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere: cùm Apostoli quasi in depositorium diues plenißimè in eam cõtulerint omnia, quæ sunt veritatis: vt omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ cum magna diligentia diligere, & apprehendere VERITATIS TRADITIONEM.*

Tertullianus quoque, antiquissimus Latinorum Scriptorum, lib. de Præscript. hæreticorum, agens contra Marcionitas, Valentinianos, & similes, qui errasse dicebant alias Ecclesias visibiles, per se reformandas: *Age nunc*, inquit, *omnes* Ecclesiæ *errauerint, deceptus sit & Apostolus, de testimonio reddendo quibusdam; nullam respexerit Spiritus sanctus, Vt eam in veritate deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis: neglexerit officium Dei Villicus, Christi Vicarius* (hoc est Spiritus sanctus) *sinens Ecclesias aliter intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat. Et quid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint?* (in eosdem errores vnanimiter consenserint?) *nullus inter multos euentus vnus exitus variasse debuerat ordinem doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quod apud multos vnum inuenitur* (vt doctrina Ecclesiæ Romanæ à tot sæculis) *non est erratum.*

S. Augustinus lib. 1. contra Crescon. c. 33. *Scripturarum*, inquit, *à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Et Epist. 118. ait: *Si quid tota per orbem frequentat*, vel docet *Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentißimæ insaniæ est.*

Excipit Meisnerus I. Patres ad Ecclesiam vniuersalem prouocasse.

II. Prouocasse quidem aliquando ad visibilem, vt ad

Roma-

Romanam, ſed quæ integritatem adhuc tunc in fide retinebat. In quo Caluinum imitatur, lib. 4. Inſt. c. 2. §. 3. dicentem: *Cùm extra controuerſiam eſſet, nihil à principio vſque ad illam ætatem mutatum fuiſſe in doctrina, ſumebant Patres, quod omnibus nouis erroribus conficiendis ſufficeret, illis oppugnari doctrinam, ab ipſis vſque Apoſtolis conſtanter & vnanimi conſenſu retentam.*

III. Patres ſæpiùs prouocare ad Scripturam, quàm ad Eccleſiam.

RESPONDEO I. Patres manifeſtè prouocare ad Eccleſiam viſibilem, cuius iudicium audiri poterat: Ergo ipſos non poſſe intelligi de Eccleſia vniuerſali Lutherana, quia hæc inuiſibilis, & ſoli Deo nota eſt.

II. Illam Eccleſiam audiendam proponunt, quam Scripturarum auctoritas, tanquam in doctrina veracem, commendat. Quod non de ſui tantùm temporis Eccleſia viſibili intelligere potuerunt; ſed de Eccleſia perpetuò futura, quam Spiritus ſanctus in Scriptura, & Symbolo ſemper nobis commendat. Quòd ſi enim ex mente SS. Patrum rectè dici potuiſſet, aliquando erraturam eſſe Eccleſiam; nunquam ipſi contra hæreticos in dubiis ad Eccleſiæ iudicium prouocaſſent; quia æquè dicere potuiſſent iſti, Eccleſiam viſibilem erraſſe, atque moderni dicunt.

Qua verò ratione tempore SS. Patrum in integritate ſua perſiſtebat Eccleſia viſibilis, & nihil à principio vſque ad illam ætatem in doctrina fidei mutatum erat, cùm ipſos Patres plurimorum errorum accuſare ſoleant? Idem enim Meiſnerus pag. 713. dicit: *Eccleſia primùm pulchrè erat ornata, tempore Apoſtolorum, & virorum Apoſtolicorum* (Et nihilominùs hanc ipſam primitiuam Eccleſiam, poſt Chriſti aſcenſionem, in doctrina fidei erraſſe docet. pag. 669.) *Deinde nonnihil maculata tempore Patrum, paulatim à puritate antiqua deflectentium* (Et tamen à pag. 543. conatur oſtendere, totam Eccleſiam viſibilem ſub Arrianiſmo, hoc eſt circa Annum Dom. 300. defeciſſe) *Pòſt penitùs deformata, ſub Papatu conſummato. Et nunc iterum reformata poſt Antichriſtum reuelatum.* Et ideò pag. ſeq. di-

cit: *Primam Ecclesiæ faciem fuisse virginalem; secundam lasciuienti puellæ similem, tertiam meretriciam, quartam matronalem.* Sed quæ est ista impudentia, Ecclesiam, in qua SS. Patres ante Annos 1200. 300. & 400. extiterunt, comparatione Ecclesiæ Lutheranæ habere instar puellæ lasciuientis, & ad improbam libidinem proruentis, respectu Matronæ castæ & pudicæ? Nisi fortè lascinia Monachorum, ad sacrilegas nuptias in Lutheranismo prouolantium, matronalis pudicitia; & admirabilis SS. Patrum in Cœlibatu, & Monachatu continentia lasciuia dicenda est.

RESPONDEO III. Sanctos Patres sæpiùs Scripturis contra Hæreticos vti, quàm Ecclesiæ testimonio; tanquam argumento ad hominem validiore. Communiter enim omnes Hæretici, vt Ecclesiæ auctoritatem spernunt, ita ad Scripturæ patrocinium prouocant. Interim ad præsens institutum sufficit, quòd ad Ecclesiam, tanquam ad columnam veritatis, errantes sæpè remittunt; quodque dicunt, tametsi nulla foret inter Christianos Scriptura, ad veritatem tamen fidei inter ipsos conseruandam sufficienter valituram esse perpetuam Ecclesiæ traditionem.

OBIICIES I. Tametsi Ecclesiam visibilem in articulis fidei errare non posse concederemus, nihihilominùs absurda foret sententia Pontificiorum, quia per Ecclesiam non omnium fidelium congregationem; sed Pastores; & ne hos quidem omnes; sed solum Pontificem intelligunt: præter quem omnes alios errare posse concedunt. Atqui neque vna persona, nisi ineptissimè, Ecclesia dici potest, neque ab errore immunis esse congregatio, quæ in doctrina fidei ab eo dependet, qui erroribus, non minùs quàm cæteri, obnoxius est: qualem esse Pontificem plurimis exemplis ostendi potest: Nam ipse Petrus Apostolus, quem primum Pontificem fuisse volunt, negando Christum, Matt. 26. & cogendo gentes judaizare, ad Galat. 2. grauissimè errauit. Alij autem Pontifices Hæretici & Idololatræ fuerunt: vt Zepherinus Montanista: Marcellinus Idololatra, metu mortis sacrificando Idolis. Liberius Arrianus, Vigilius Eutychianus, &c. Ne-

Digitized by Google

Neque tantùm ipsi per se sæpè Hæretici fuerunt; sed etiam errores suos publicè docuerunt: vt Leo X. Erasmaniam versionem in Epistola ad illum commendauit; quàm Paulus IV. damnauit, & in Catalogum librorum prohibitorum retulit. Quin imò totum Concil. Trid. cum vulgata Bibliorum editione plurimos errores, qui in illa cõtinentur, canonizauit, Sess. 4. ita definiens, *Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit; anathema sit.* Quod in Declarationibus Cardinalium ita explicatur, vulgatam editionem adeò cum omnibus partibus suis esse tenendam, *vt nulla periodus, nulla clausula, nulla dictio aut syllaba, iotaue vnum, vulgata editioni repugnans, suscipiendum sit.* Cùm tamen vulgata hæc editio operâ Sixti V. posteà correcta fuerit; & editionem ipsius Sixti Clemens VIII. ab erroribus purgatam aliter ediderit. Imò ipsam hanc postremam editionem in plurimis erroneam, & ab originali textu valdè discrepantem esse nemo negare possit

RESPONDEO I. Nomen Ecclesiæ, etiam in Scriptura, non tantùm toti fidelium congregationi tribui, sed etiam solos Ecclesiæ Pastores & Doctores significare, atque adeò quotiescumque de auctoritate, judicio, directione in fide & moribus agitur, per nomen Ecclesiæ solos Pastores intelligendos esse. Vt Matt. 18. 17. *Dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, &c.* Sicut ergo ciuitas auctoritatiuè residet in Magistratu, & quod Magistratus decernit, aut facit ex auctoritate sua, tota ciuitas rectè facere dicitur; ita auctoritas Ecclesiæ residet in Pastoribus, quos *Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei.* Cùm ergo dicimus Ecclesiam Catholicam in Articulis fidei ita dirigi à Spiritu sancto, vt errare non possit, sic intelligendi sumus: Ecclesia, quatenus est congregatio Pastorum alios fideles vniuersaliter instruentium, ita dirigitur à Spiritu sancto, vt nihil in articulis fidei à veritate alienum doceat: quatenus autem est congregatio aliorum fidelium, non potest errare in fide, quamdiu ipsi in communione doctrinæ, & Sacramento-

mentorum, à legitimis Pastoribus suis traditorum manent. Alius est enim Spiritus cuiuscumque fidelis, alius Pastorum, quà Pastorum: Spiritus fidelium datur ad propriam cuiusque salutem; Spiritus Pastorum ad communem aliorum vtilitatem. De Spiritu, quo instructi debent esse fideles, dicitur Rom. 8. 9 *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*: de Spiritu Pastorũ Rom. 12. 6. *Habentes donationes secundùm gratiã, quæ data est nobis, differentes*. Et hic Spiritus non omnibus fidelibus, sed Apostolis, Prophetis, Pastoribus, & Doctoribus, *secundùm mensuram donationis Christi, ad consummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Christi* conceditur, Ephes. 4. *Non enim omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores*, 1. Cor. 12. 29. De hoc eodem Spiritu ait ibid. Paulus c. 7. 40. *Puto quòd & ego Spiritum Dei habeam.*

Et quamuis omnes fideles de veritate doctrinæ per Spiritum sanctum iudicare possint, 1. Ioan. 4. 1. *Probate Spiritus, si ex Deo sint*. Matt. 7. 15. *Attendite à falsis Prophetis, &c. A fructibus eorum cognoscetis eos*: longè tamen eminentius est iudicium Pastorum. Fideles enim tunc tantùm in iudicio suo non falluntur, quando æstimant quid doctrinæ, quam & à Maioribus suis per continuam traditionem, & ab ordinariis Pastoribus in vnitate fidei Catholicæ manentibus, acceperunt, conforme, quid difforme sit; iuxta illud Rom. 16. 17. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab eis.* Et cit. loc. v. 6. docet Ioannes, Quomodo probandi sint spiritus à fidelibus: *Qui nouit Deum*, inquit, *audit nos*; *qui non est ex Deo, non audit nos*: *in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.* Pastores autem, ortis in fide vel moribus controuersiis, non pro libitu, vt nos docere fingunt Aduersarii, sed diligenti cònquisitione factâ, examinatisque Scripturis, Conciliorum Decretis, & Patrum orthodoxorum sententiis, ita à Spiritu sancto diriguntur, vt nihil à veritate aut pietate alienum decernant. Quo modo Act. 15. 6. *Conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*, vt videlicet certi quid statuerent de obseruatione, vel abrogatione Legalium,

lium, *& cùm magna conquisitio esset*, siue, vt vertit Erasmus, *cùm magna disceptatio fuisset; surgens Petrus* definitiuam sententiam tulit inquiens: *Viri Fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere, &c.* Quæ sententia posteà communi consensu ad Christianos, ex Gentibus conuersos, hoc tenore scripta est: *Visum est Spiritui sancto, & Nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, &c.*

RESPONDEO II. Ipsum quidem Pontificem, solitariè & seorsim consideratum, non posse dici Ecclesiam; Decreta tamen eius in articulis fidei, diligenti examine præuio omnibus fidelibus proposita, vocari decreta Ecclesiæ: tum quia ad totam Ecclesiam spectant; tum quia Pontifex aliquid è Cathedra decernens non debet seorsim & solitariè, sed vt Caput Ecclesiæ visibilis, cum ea realiter coniunctum, considerari. Et proinde quidquid Pontifex decernit, Ecclesiæ decretum censendum est. Sicut homo rectè dicitur videre, tametsi per solos oculos videat: & sicut totum corpus impingere non potest, si directionem capitis & oculorum, nusquam à recta via deflectentem, vbique sequatur; ita Ecclesiæ Catholicæ corpus errare in fide non potest, quando Pastorum suorum, in antiquæ, & à temporibus Apostolorum ad nos vsque continuatæ doctrinæ communione manentium, & maximè summi omnium Pastoris, & successoris S. Petri, in credendis & agendis ductum sequitur.

RESPONDEO III. Quia ad extenuandam Ecclesiæ auctoritatem priuatos quorundam Pontificum lapsus obiiciunt Aduersarii, & ipsi Petro, Apostolorum Principi, culpam tot lacrymis in conspectu Dei obliteratam exprobrant; Filii Châ meritò dici possũt: prout de Donastis olim cẽsuit Vincẽtius Lirinens. c. 11. dicẽs: *Sancti cuiusq; Viri memoriã, tanquam sopitos iã cineres, profanã manu vẽtilãt, & quæ silẽtio sepeliri oportebat, rediuiuã opinione diffamant: sequẽtes omninò vestigia auctoris sui Chã, qui nuditatẽ venerãdi Noë non modò operire neglexit; verùm quoq; irridendã cæteris enuntiauit.* Sicut enim, de S. Cypriano ibi agitur, cuius error personalis neque errandi exemplum aliis

aliis præbere debuit, neque Ecclesiæ auctoritatem infringere potuit; quia vt S. August. lib. 2. de Baptis. cont. Donat. c. 4. docet. S. Cyprianus ab Hæreticis baptizatos rebaptizandos docuit, antequam contrarium per Ecclesiam definitum esset: correcturus procul dubio errorem suum, si post Ecclesiæ decretum superstes fuisset. *Nec nos ipsi*, inquit, *tale aliquid auderemus asserere, nisi vniuersæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati: cui & ipse* Cyprianus *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Ita lapsus siue errores Pontificum, quos Aduersarij obiiciunt, qui verè tales sunt (Multa enim per calumniam Pontificibus falsò impingunt) personales fuerunt; non publica auctoritate ad imitandum aliis propositi; sed & à plerisque per pœnitentiam ante obitum expiati.

Ad primum enim lapsũ Petri quod attinet, neque adhuc Caput Ecclesiæ tum cõstitutus erat, cùm Christũ negaret: quia post Christi resurrectionẽ primùm illi dictum est: *Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce oues meas, Pasce agnos meos, &c.* Ioan. vlt. Neque tamen Christum negandum esse vnquam docuit. Dicimus autem, Pontifices in publicis tantùm fidei Decretis errare non posse; non autem in factis personalibus, siue propriis, siue alienis. Nam & peccare, & in fide quoque, quoad personam suam, errare posse Pontificem non negamus. Ideò enim sæpè statutum est, quid faciendum, si ipse Pontifex in hæresin labatur: vt ab Anacleto Epist. 3. à V. Synodo Rom. in qua decernitur, Oues, quæ suo Pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare posse, &c. Quæ statuta frustranea forent, si in personalis fidei conseruatione Deus Pontificibus infallibiliter semper assisteret. Sed dum ea è Cathedra decernunt, quæ vniuersis fidelibus credenda proponuntur, non personale, sed publicũ, & ad Ecclesiæ conseruationem necessarium opus exequuntur. Quare Christus, qui & perpetuam Ecclesiæ suæ durationem promisit, & fidelibus suis præcepit, vt præpositos sibi per legitimam vocationem Pastores audiant, nunquam permittet,

Digitized by Google

tet, vt erroneum quid in fide à summis Pontificibus toti Ecclesiæ præscribatur. Neque vllum vnquam exemplum proferent Aduersarii, quo Pontificem, vt Pontificem, vniuersam Ecclesiam è Cathedra docentem, in rebus ad fidem spectantibus quidpiam veritati contrarium decreuisse conuincant.

Ad id, quod II. loco de Petro obiicitur, dico, eum non doctrinâ, sed conuersatione gentes ad Iudaizandum induxisse: ne enim Iudæos offenderet, quos fidem docuerat, sicut Paulus Gentes (juxta id quod cit. cap. ad Galat. dicitur: *Qui operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes*) incautâ simulatione à Gentibus se subduxit, & cum Iudæis Iudæorum ritu conuersatus est. Qua re scandalizati sunt Gentiles, existimantes & sibi necessariò judaizandum esse. Id quod patet ex textu: *Cùm venisset*, inquit Paulus, *Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat* (ergo sentiebat cum gentibus edere licere) *cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex Circumcisione erant: & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi: ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis & non judaicè; quomodo cogis gentes judaizare?* siue autem verè in hoc facto culpabilis fuerit Petrus, vt S. August. sentit, siue non fuerit, vt S. Hieron. diu & multum contra S. Augustinum contendit, vt patet ex Opere Epistolarum S. Augustini Epist. 8 9. & seq. personale factum, non publica doctrina fuit; quâ longe aliud de obseruatione Legalium tradidit Petrus, vt ex dictis constat. Ne quis autem existimet, hanc obiectionem esse nouam, ante mille & quadringétos annos ab Hæreticis proposita fuit; quam & Tertul. lib. de Præscript. Hæret præclarè soluit, vbi inter alia multa dicit: *Cæterùm, si reprehensus est Petrus, quòd conuixisset Ethnicis, posteà se à conuictu eorum separabat, personarum respectu; vtique CONVERSATIONIS fuit vitium, non PRAEDICATIONIS. Sed quomodò peruersissimi isti illam reprehensionem*

ad hoc obtendunt, vt suspectam faciant doctrinam superiorem (quæ Modernorum quoque Aduersariorum intentio est) *respondebo quasi pro Petro, ipsum Paulum dixisse, factum se omnibus omnia; Iudæis Iudæum, non Iudæis non Iudæum, vt omnes lucrifaceret. Adeò pro temporibus, & personis, & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus, personis, & causis committebant. Quemadmodum si & Petrus reprehenderet Paulum, quòd prohibens Circumcisionem circumciderit ipse Timotheum.*

Ad Zepherinum quod attinet, vt non est omninò certum, quod de eo Tertullianus scribit; quia ipse Montanista falsò hunc Pontificem ad suas partes trahere potuit: ita non est contentiosè negandum, eum vel fraudibus Montanistarum persuasum, ipsorum doctrinam nihil à Catholica discrepare; vel alio errore deceptum pacem eis dare voluisse: nunquam tamen publico decreto statuit, Montanistas ab omnibus tanquam Catholicos esse habendos, aut eorum hæresim non esse damnandam.

Marcellinus vt peccantem, ita pœnitentem quoque Petrum imitatus est: & adeò errorem suum publicè non docuit, vt eum animo nunquam fouerit; sed actu tantùm externo, perculsus metu mortis, simulauerit. Interim facti sui pœnitens, cùm se Pontificatu, tanquam eo indignum, abdicasset, paulò post martyrio coronatus est.

Liberius quoque, vt Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes testatur, tædio exilij victus Arrianæ hæresi subscripsit: cùm Arrianis autem ex animo nunquam sensit, nec illorum errorem credendum publicè alijs proposuit: sed post suum ab exilio reditum sanctè vixit, & in Catholica Confessione mortuus est. Vnde & ab alijs Patribus post mortem sanctus est habitus: Ambrosius enim lib. 3. de Virginibus ait: *Tempus est, Soror sancta, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere: vt quò vir sanctior, eò sermo accedat gratior.* Similia de eodem dicunt Epiphan. hæres. 75. Basil. Epist. 74. &c.

Ex his constat, quid de alijs Pontificibus, quos hæreseos accusant, dicendum sit, siue verè tales fuerint, siue per calumniam,

Digitized by Google

niam, vt de plerisque dubium non eſt, tales appellentur.

RESPONDEO IV. Leonem X. non publico Decreto, omnes fideles obligante, ſed priuatâ epiſtolâ (ſi tamē ea verè Leonis eſt, de quo non pauci dubitant) laborem Eraſmi commendaſſe. Neque tamen in illa epiſtola dici, quòd nihil quidquam à veritate alienum in tota verſione Eraſmiana contineatur: ſed tantùm quòd multum boni S. Theologiæ Studioſis ſit allatura. Data autem ſcribitur epiſtola illa An. 1518. cùm Lutherana hæreſis adhuc in incunabilis verſaretur, & ipſe Eraſmus nondum ea contra communem Eccleſiæ Catholicæ ſenſum in publicum ſparſiſſet, quæ poſteà maximè in Paraphraſibus, & Annotationibus in nouum Teſtamentum, vt & in Apologijs contra varios docuit, qui multos errores eius, prætertim in Academia Pariſienſi, obſeruarunt & confutarunt. Paulus autem IV. Eraſmianam verſionem libris prohibitis accenſuit, vel quia ſolam vulgatam verſionem communiter à Chriſtianis legi voluit; vel quia multa lapſu temporis ab Eraſmo ſtudio deprauata in verſione eius deprehenſa ſunt; vel denique, quia cum Annotationibus edi ſolet, in quibus grauiſſimi errores continentur: præterquam quòd propter ipſum auctorem verſio Eraſmiana illo tempore meritò ſuſpecta eſſe potuit.

RESPONDEO V. Concilium Trid. nihil aliud voluiſſe, quàm ex tot verſionibus latinis aliam publicè & vniuerſaliter in Eccleſia ſuſcipiendam & legendam non eſſe, quàm vulgatam, quâ Eccleſia Catholica mille fere annis vſa fuerat. Hoc autem Decreto neque recurſus ad fontes Hebraicos & Græcos ſtudioſis prohibetur, per quem Scripturarum intelligentiam plurimùm adiuuari manifeſtum eſt; neque negatur, quin vel Interpretis non ſatis accuratâ fortè vbique verſione, vel librariorum incuriâ, quædam vulgatæ editioni inſperſa ſint, quæ aliter verſa originalis textus ſenſum magis genuinum redderent. Ideò enim poſteà Sixti V. & Clementis VIII. operâ multa in vulgata editione emendata ſunt. Vt autem Concil. Trid. vulgatam verſionem, quæ tunc ex-

tabat, non quasi omnibus numeris absolutissimam, & quæ maiorem nullibi perfectionem admittere posset, suscipi mandauit; ita neque Sixti V. neque Clementis VIII. ea mens existimanda est. Sed quia vulgata editione tanto tempore in Diuinis Officiis, Conciliorum Decretis, & alijs Libris vsa est Ecclesia, & citra absurditatem dici non potest, ipsam verâ Scripturâ caruisse; nouam editionem condere noluerunt: sed, Hebraicis, Græcis, & Latinis emendatioribus, & antiquioribus Codicibus adhibitis, antiquam vulgatam puritati suæ, quantum fieri potuit, restituere studuerunt.

Cùm ergo Concilium Trid. vulgatam editionem cum omnibus partibus suis suscipiendam decernit, non vult singulas, etiam minimas, editionis huius particulas, diuinæ auctoritatis esse: cùm neque Interpres semper verbum verbo reddiderit; neque Propheta, aut Scriptor Canonicus fuerit: sed quòd tota vulgata editio, cũ omnibus suis partibus, tanquam regula fidei suscipi tutò possit: ex qua rectè intellecta nullus error in fide trahi queat, sicut ex alijs editionibus, quæ tunc temporis ab Hæreticis vulgatæ circumferebantur. Nec aliam fuisse Concilii mentem ex Cardinale S. Crucis, qui summi Pontificis nomine Concilio præsedit, se accepisse docet Vega, lib. 15 c. 9.

Itaque declaratio ista Cardinalium, qua dicitur, nullam syllabam, aut iota contra vulgatam editionem suscipi posse, non est decretum de fide: nisi hoc modo intelligatur, neminem priuatum tantum sibi præsumere debere, vt Biblia vulgata, publicè edenda, sua auctori[illegible], &, vt loquitur Concil. Trid *suæ prudentiæ innixus* in minimo corrigat, aut mutet.

Porrò Decretum Concilii Trid. publicæ Ecclesiæ tranquillitati maximè consentaneum est: præterquam enim quòd vulgata editio antiquitate meruerit auctoritatẽ; nisi in publicis Officiis, Lectionibus, Disputationibus, Prædicationibus, &c. vnâ versione vterentur fideles, magna ex variatis editionibus confusio oriretur, quæ plurimorum errorum seminarium existere posset: præsertim isto tempore, quo tam multæ depra-

Digitized by Google

deprauatæ editiones in lucem prodierunt. Certè vt nihil aliud sit, sola varietas non exiguam præbet erroribus occasionem: quod adeò verum est, vt ipse Lutherus, lib. de Can. Script. auctorit. dixerit: *Si diutiùs steterit mundus; iterum erit necessarium, vt propter diuersas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem, Concilij decreta recipiamus.* Neque enim minima tam discrepantium interpretationum causa erat, quòd illo tempore tot penè Bibliorum exemplaria diuersa occurrerent, quot codices. Quia verò Aduersarij semper ad textum græcum in nouo Testamento prouocant, Obseruandum est, illum non esse ab erroribus vbique immunē: vt enim alia multa omittam, desunt in illo magnæ & præclaræ Scripturæ partes: vt historia adulteræ, Ioan. 8. Caput vltimum Marci: & excellentissimum illud de S. Trinit. testimonium, 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Quod quamuis à Luthero in Bibliis omittatur; tamen à Lutheranis jam vt verè diuinum agnoscitur: Ioannes enim Schmidt Præses siue Superintendens Argentinensis, in Concione quam in nupero Iubilæo Lutherano habuit, pag. 17. hoc solo testimonio mysterium Trinitatis, in Art. 1. Confess. August. assertum, probauit.

Ex quibus deduci potest, non adeò ipsos indignari debere, cùm Matt. 6. clausulam istam orationi Dominicæ in textu græco annexam: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula,* partem Scripturæ sacræ esse negamus. Præsertim cùm Beza & alii Acatholici fateantur, illam in vetustissimis aliquibus codicibus græcis deesse: & cũ antiquissimi Patres, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, orationem Dominicam exponentes, vel recitantes, nullam fecerint clausulæ istius mentionem. Quidquid autem sit, si Patres isti rectè precati sunt, nos accusare nulla ratione possunt de orationis Dominicæ mutilatione, quòd clausulam illam, per se quidem bonam, huc tamen à Christo, nostrâ opinione valdè probabili, non relatam omittamus.

OBIICIES II. Promissiones Ecclesiæ, de perpetua Spiritus sancti assistentia & instructione, factæ, conditionatæ sunt: si videlicet ipsa vocem sponsi sui semper audiat, juxta illud Ioan. 8, 31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Nam Spiritum quoque sanctificantem promisit Ecclesiæ Christus; & nihilominùs ipsa peccare potest: Ergo & errare; quia error & peccatum ex vno fonte procedunt. Adde quòd omnis Ecclesia particularis secundùm Pontificios errare possit, & Romanam Ecclesiam particularem esse constet.

RESPONDEO I. Idem argumentum contra inuisibilem Confessionistarum Ecclesiam valere: docent enim illam in fundamentalibus fidei articulis, propter Christi promissionem, errare non posse. Atqui promissio hæc conditionem istam inuoluere debet: Si Ecclesia inuisibilis in fundamentalibus articulis Christum semper audiat: neque enim cogitari vera potest Ecclesia, quæ non audiat vocem Christi. Item Ecclesiam inuisibilem peccare posse procul dubio concedent, nisi non hominibus, sed Angelis eam constare velint. Ergo si argumentum ipsorum quidquam concludit, contra ipsos sequetur, totam Ecclesiam inuisibilem in quolibet fidei articulo errare posse.

Sicut ergo ex promissione Christi, de Ecclesia sua perpetuò conseruanda, colligunt, illum singulari Prouidentiâ semper conseruare homines, vocem suam audientes; ita nos, nihil obstante hac obiectione, dicimus, quòd, cùm Ecclesiam per externum Verbi ministerium, & non aliter conseruare statuerit Christus, ita ipse hoc ministerium dirigat, vt alios vniuersaliter in fide instruendo nō erret; & vt qui ad publicum ministerium legitimè vocatos audit, Christum ipsum audire censeatur. Cùm ergo promissio de Ecclesia perpetuò conseruanda fallere non possit, & Ecclesia semper sit columna & firmamentum veritatis; vel Pastores, à Christo per continuam successionem missi, quos ipse audiendos ab Ecclesiæ membris jubet, infallibilem ex communi consensu semper

per

per fidei veritatem proponunt; vel omnes fideles, Pastores suos à veritate aberrantes ex obligatione sequendo, similiter aberrabunt: & ita Ecclesia non erit columna & firmamentum veritatis; sed ex ordinatione Christi fiet plurimorum errorũ confusio. Atqui, vt ipse Caluinus lib. 4. Inst. c. 2. §. 1. non malè ait: *Si vera Ecclesia columna est & firmamentum veritatis, certum est non esse Ecclesiam, vbi regnum occupauit mendacium, & falsitas.* Ergo vt vera sit & maneat Ecclesia, Pastores eius veritatem in fide perpetuò docere debent; & consequenter, qui eos audit, manet in sermone Christi.

Neque tamen hoc dicimus, Ecclesiæ Pastores ita ab erroribus immunes esse, vt quiduis pro libitu, tanquam Articulum fidei, proponere possint; sed quòd cùm adhibitis fidei regulis, id est, Scripturæ testimoniis, & Maiorum traditione, aliquid cum matura deliberatione definiunt, à Spiritu sancto in errorem labi non sinantur. Cùm enim assistentia Spiritus sancti in omni Articulo fidei infallibiliter recipiendo necessaria sit; si quando in fide controuersia vel dubitatio oriatur, Spiritus iste apud eos potiùs quærendus est, qui ab eodem positi sunt vt regant Ecclesiam Dei; quàm apud illos, qui tanquam oues alienæ directioni subesse debent. Nisi tandem tot fides, quot capita habere velimus. Simplices Christi ouiculæ vocem Ecclesiæ sine vlla exceptione audiunt; hædi autem petulci absque ista conditione audire detrectant: si ipsorum judicio Ecclesia rectè docere videatur: vt tandem ipsi se Pastorum suorum Iudices constituant, sintque sibimetipsis Magistri. Atqui ouinam simplicitatẽ in audiendis Ecclesiæ Præpositis commendat Apost. 2. Cor. 11. 3. *Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua* (causam videlicet præcepti diuini interrogando: *Cur præcepit vobis Dominus? &c.* sicut Aduersarij nostri interrogare solent: Cur hoc, vel illud præcipit, vel docet Ecclesia?) *ita & corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.*

RESPONDEO II. Sicut singuli fideles peccare, ita & in priuato judicio suo errare possunt: sed error iste persona-

personalis est. Quibus autem judicium ad ædificationem Corporis Christi necessarium est, illorum doctrina vniuersalis veritate carere non potest: quia Christi Corpus, quod est Ecclesia, perpetuò consistere debet. Si enim errarent illi, & alios, ex præcepto Domini se audientes, in errorem deducerent; non ædificarent, sed destruerent Corpus Christi. Itaque Aduersarij, cùm legitimorum Ecclesiæ Pastorum doctrinam aliorum hominum examini ita subiiciunt, vt illorum judicio approbari, vel reprobari possit, similes, imò peiores sunt rebellibus istis, Num. 16. contra Moysen & Aaronem clamantibus: *Cur eleuamini super populum Dei? Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus.* Eodem enim modo dicunt ipsi: Cur Pontifices Romani, & Rom. Ecclesiæ Pastores in directione fidei Christianis præponantur? Cùm omnes sint Oues Christi, vocem vnici Pastoris sui agnoscentes; cùm vnctio doceat illos de omnibus; cùm illis præceptum sit, vt probent Spiritus, si ex Deo sint, vt à falsis Prophetis caueant? &c. Ergo quibus medijs Ecclesiæ Pastores aliquid judicant & decernunt, ijsdem quilibet Christianus judicare & decernere potest. Qua argumentatione quid magis schismaticum dici aut fingi potest?

RESPONDEO III. Ecclesiam Romanam non esse particularem; sed vniuersalem & Catholicam: quia Vrbis Romanæ mœnibus non concluditur, sicut Sectariorum synagogæ per suas quæque prouincias continentur; sed *a solis ortu vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur*, vt S. August. Serm. 131. Ecclesiam Catholicam describit. Romana autem dicitur, quia Romæ summa est doctrinæ Euangelicæ Cathedra, cui qui in vnitate fidei non coniungitur, ab Ecclesia Catholica alienus est. Hinc S. Cyprianus lib. de Vnit. Eccles. ait: *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus; pari,* quoad Apostolatum, *consortio præditi honoris & potestatis. Sed exordium ab vnitate proficiscitur* Cùm videlicet Petrus aliis præficitur, vt patet ex verbis paulò ante positis) *vt Ecclesia vna monstretur.* Et paulò pòst; *Hanc vnitatem qui non tenet, tenere se fidem*

se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, in Ecclesia se esse confidit? Quæ omnia de Ecclesia visibili intelligenda sunt, vt clariùs docent, quæ sequuntur.

Et tempore S. Ambrosij Ecclesia Catholica, & Romana erat eadem. Nam in oratione funebri de excessu fratris sui Satyri ait: *Aduocauit ad se Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam: percunctatusque est ex eo, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret?* Neque vllus alicuius nominis auctor ante nostri temporis Nouatores dubitauit, quin S. Petrus Ecclesiæ Catholicæ Cathedram Romæ constituerit, & ibidem martyrio coronatus sit. Non enim tantùm hoc vnanimiter affirmant; sed etiam ex instituto Successorum Petri vsque ad sua tempora seriem texunt antiquissimi Scriptores: Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Alii. Et quidem Romæ passum esse S. Petrum, quidquid contrà clament Confessionistæ, vt alios omittam, manifestè docet idem Tertul. lib. de Præscript. hæret. dicens: *Age iam, qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, &c. Si Italiæ adiiceris, habes Romanam, vnde nobis quoque AVCTORITAS præstò est statuta. FELIX ECCLESIA, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; vbi Petrus passioni Dominicæ exæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur.*

QVAESTIO V.

Vtrùm Confessionistarum Ecclesia centum abhinc annis omnino noua fuerit, & consequenter non sit vera Ecclesia Christi?

VTrimque certum est, Ecclesiam, quæ postremis his temporibus omnino noua fuit, à vera Christi Ecclesia alienam esse. Cùm enim Confessio August. doceat, *Vnam Sanctam Ecclesiam perpetuò mansuram,* & quæ centum abhinc an-

nis noua fuit, ita vt ante illud tépus nusquā extiterit, non possit dici perpetuò mansisse; citra omnem controuersiam sequetur, Confessionistarum Ecclesiam non esse Ecclesiam Christi, si ante vnicum sæculum omnino noua fuit.

Negant autem, & pernegant Confessionistæ, Ecclesiam suam nouam, aut Lutherum eius esse Auctorem: sed Deo, inquiunt, Auctore per Apostolos olim publicè fundata, postquam visibiliter per Papæ tyrannidem prorsus oppressa fuit, occultè sub ipso Papatu, imò & sub Turcismo, ac Ethnicismo delituit, & adhuc delitescit. NOTA verò Confessionistas, dum toto orbe visibilem Christi veram Ecclesiam periisse docent, idem omnino docere, quod olim Donatistæ: Meisnerus enim pag. 603. etiam defendit eos dicens: *Si Donatistæ docuerunt: quòd Ecclesia possit deficere, & tota exercitium publicum amittere, in eo erraruntt minimè.* Itaque omnia argumenta SS. Patrum, præsertim S. August. quibus errorem Donatistarum refutat, etiam contra Confessionistas valent. Argumenta enim ista omnia pro Ecclesia visibili pugnant, vt patet ex lib. S. August. de Vnit. Eccles. ex Epist. *166.* 171. & alijs ferè omnibus eius operibus, quibus contra Donatistas agit. Si autem doctrina Confessionistarum vera foret, omnia S. Augustini argumenta essent inualida, æquè enim Donatistæ excipere potuissent, Ecclesiam toto quidem semper orbe diffusam esse, non tamen semper visibiliter diffundi; sed inuisibiliter sæpè latere per totum orbem: idque suo tempore factum, quo visibiliter restituta per Donatum florere cœpit in Africa. Sicut Confessionistæ dicunt, Ecclesiam ante Lutherū toto orbe latuisse, per ipsum autem visibiliter esse reformatam, & in parte Germaniæ jam palàm apparere. Neque dicere possunt, Sanctos Patres de sui temporis Ecclesia visibili agere, quæ in fidei doctrina adhuc fuerit pura: non autem de Ecclesia inuisibili perpetuò duratura: tum quia pleraq; propter quæ Ecclesiam Romanam defecisse volunt, etiam ab Ecclesia in qua Patres extiterunt docta fuisse ex eorum libris cōstat, vt de Missa, de Sanctorum inuocatione, de veneratione

Reli-

Reliquiarum, de oratione pro mortuis, de Monachatu, abstinẽtia ciborum, quadragesima, &c. Tum quia Patres manifestè docent Ecclesiam, de qua agunt, perpetuò esse mansuram: vt S. August. passim, & nominatim in Psal. 47. dicens: *Non insultent Haeretici per partes concisi* (visibiles nimirum, aliàs dicere potuissent, se quidem visibiliter in parte tantùm orbis existere; vnam tamen cum aliis fidelibus, toto mundo inuisibiliter latentibus, Ecclesiam constituere: vt modò Confessionistæ dicunt) *non se extollant, qui dicũt: Ecce hîc est Christus, ecce illic. Qui dicit: Ecce hîc est, ecce illic, ad partes inducit* (separãdo à totius Ecclesiæ visibilis cõmunione, vt alibi sæpè tradit) *Vnitatẽ promisit Deus, Reges in vnum collecti sunt; non per schismata dissipati sunt. Sed fortè ista Ciuitas, quæ mũdũ tenuit, aliquãdo euertetur*; fortè Ecclesia tota visibilis aliquando deficiet? *Absit. Deus fundauit eam in aeternum: quid times ne cadat firmamentum?*

Ostendam autem hîc I. Ecclesiam Confessionistarum ante centum annos omninò nouam fuisse. II. Tametsi concederemus, totâ Ecclesiâ verâ visibili per orbem extinctâ, veros fideles inuisibiliter esse conseruatos, ipsos tamen nunquam ostensuros, fideles hos ad suam potiùs, quàm ad Caluinisticam, aut aliam Ecclesiam pertinuisse.

CONCLVSIO I. Confessionistarum Ecclesia centum abhinc annis, id est, eo tempore, quo Confessio August. componebatur & offerebatur, omnino noua erat. Probatur: Quia illa tunc temporis Ecclesia noua erat, quæ nusquam terrarum extiterat ante apostasiam Lutheri: Ecclesia Confessionistarum nusquam terrarum ante apostasiam Lutheri extitit: Ergo tunc tẽporis noua erat. Probatur Minor, Maior enim probatione non indiget, hoc inuicto argumẽto: Illa Ecclesia ante Lutherũ nusquam terrarum extitit, cuius doctrina ante illum nusquam prædicata fuit: Doctrina Ecclesiæ Confessionisticæ, quoad ea, per quæ Catholicæ Ecclesiæ contraria est, nusquam terrarum prædicata fuit ante Lutherum: Ergo nusquam terrarum extitit Ecclesia illa.

Probatur Maior: Vbi nulla est fides, ibi nulla potest esse

Ecclesia: Sed vbi doctrinæ credendæ nulla omnino prædicatio est, præsertim per aliquot sæcula, ibi nulla potest esse fides; quia Deus per se immediatè fidem hominibus non infundit, sed illam per ministerium prædicationis edocet, Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Ergo vbi nulla est prædicatio doctrinæ credendæ per aliquot sæcula, ibi nulla est Ecclesia.

Minor probatur I. generaliter: Vbi nulla est vera Ecclesia visibilis, ibi nulla est doctrinæ Euangelicæ vera prædicatio (Ecclesia enim, quæ per prædicationem docet, non potest esse inuisibilis; cum constet Doctoribus & Auditoribus inuicem cognoscentibus: inuisibilis autem Ecclesia soli Deo nota sit, vt aiunt) Sed ante Lutherum, secundùm Confessionistas, nulla erat Ecclesia vera visibilis, idque per aliquot sæcula: Ergo tanto tempore nulla fuit eius doctrinæ, quam pro verè Euangelica habent, prædicatio.

Probatur II. specialiter ex ipso Luthero, lib. contra Regem Angliæ dicente: *Ego Scripturam sacram, & Verbum Dei ita in lucem protuli, vt à mille annis nunquam fuit.* Ergo fatetur, à mille annis Verbum Dei nunquam ita prædicatum fuisse, vt ipse ante centum annos prædicare cœpit. Imò in lib. de Potest. Ciuil. plus etiam dicit, referente Keslero in suo Lutheranismo, quem hoc anno euulgauit: *Per Dei gratiam*, inquiens, *talem gloriam & honorem habeo, siue gaudeat siue doleat Diabolus cum omnibus squammis suis, quòd à temporibus Apostolorum nullus Doctor, aut Scriptor, nullus Theologus, aut Iurista tam excellenter & clarè conscientias Politicorum statuum confirmauerit, erudierit, & consolatus fuerit, vt ego. Hoc certò scio.*

Prætereà in præfatione Confessionis ita loquitur Philippus: *De iustitia fidei omnia templa, monasteria, scholæ, denique libri omnes Theologorum recentium anteà muti erant: in doctrina pœnitentiæ nusquam tradebatur certa & firma consolatio conscientiarum: nemo docebat peccata remitti per fidem in Christum.* Ergo fundamentalem hunc Ecclesiæ Lutheranæ Articulum nemo prædicabat. Imò doctrinam Euangelicam vbique oppressam fuisse

Digitized by Google

fuisse ibid. dicitur: *Sacramenta impiè prophanata sunt, postquam recepta est opinio, quòd ex opere operato justificent. Et hæc opinio doctrinam fidei prorsus oppreßit.* Si autem per totam Ecclesiam Romanam doctrina Euangelica tanto tempore oppressa jacuit; inter quos ergo purum Euangelium eo tempore prædicatum fuit? Fortè inter Iudæos, Turcas, & Paganos?

OBIICIES cum Apologia, Art. II. *Nostri Concionatores nihil noui tradiderunt, sed Sanctam Scripturam, & Sanctorum Patrum sententias proposuerunt.* Et Art. de Coniug. Sacerd. *Scimus aliquid offensionis esse in schismate.* (Ergo Confessionistæ Schismatici sunt) *quòd videmur diuisi ab his, qui existimantur esse ordinarij Episcopi. Sed nostræ conscientiæ tutißimæ sunt, postquam scimus, nos summo studio concordiam constituere cupientes non posse placare Aduersarios, nisi manifestam veritatē projiciamus.*

Et cùm Confessione Variata Art. XXI. *Non aspernamur consensum Catholicæ Ecclesiæ; nec est animus nobis vllum nouum dogma, & ignotum sanctæ Ecclesiæ inuehere in Ecclesiam; nec patrocinari impijs aut seditiosis opinionibus volumus, quas Catholica Ecclesia damnauit. Non enim adducti praua cupiditate, sed coacti auctoritate Verbi Dei, & veteris Ecclesiæ, amplexi sumus hanc doctrinam.*

Denique cum Apologia Art. de Missa: *Sicut in Israël Baalitici cultus durauerūt, & tamē erat ibi Ecclesia Dei, quæ impios cultus improbabat; ita hæret in regno Pontificio cultus Baaliticus, hoc est, abusus Missæ.* Quibus verbis aliquot indicantur exceptiones contra assertionem nostram, qua diximus, Ecclesiam Lutheranam esse nouam. I. Dogmata sua docet ex Scriptura sacra, quæ antiquissima est. II. Prouocat ad Ecclesiam Apostolicam. III. Ad scripta sanctorum Patrum. IV. Nullas hæreses ab Ecclesia Catholica damnatas renouat. V. Latuit sub Ecclesia Romana, sicut in Israël latuerunt septem millia virorum sub Baalismo. Ergo tempore Lutheri non fuit noua.

Ad illā ergo exceptionē: Ecclesia, quæ dogmata sua tradit è Scriptura sacra, non fuit noua tempore Lutheri: Ecclesiæ Confessionistarum dogmata sua tradit è Scriptura sacra: Ergo tempore Lutheri non fuit noua. R. distinguendo Maiorem:

iorem: Ecclesia; quæ dogmata sua Scripturæ testimoniis confirmare nititur, non fuit illo tempore noua; nego (vix enim vllam hæresim nominabunt, quæ Scripturæ testimoniis ad dogmata sua confirmanda non sit abusa) Ecclesia quæ dogmata sua è Scriptura sacra verè probat, & nihil Scripturæ contrarium docet, non fuit tempore Lutheri noua; concedo: & hoc sensu nego Minorem. Præterquam enim quod nec vnicum Articulum controuersum manifestis Scripturæ testimonijs confirmare possunt; Scripturæ sacræ in eo vel maximè contrarij sunt, quòd contra tot & tam manifesta testimonia asserunt, veram Ecclesiam visibilem multis sæculis de mundo periisse, ne illam, juxta perpetuum Christi mandatum, in fidei & morum directione audire cogantur.

Et quamuis in nullo alio fidei dogmate errarent; separando tamen se ab Ordinariis Ecclesiæ visibilis Episcopis, ad Ecclesiam Catholicam non pertinerent, nec salutem consequi possent. Nam sicut Ecclesiæ filii non sunt, qui manifestis Scripturis pertinaciter contradicunt, ita nec illi ad Ecclesiam Catholicam spectant, qui omnia quidem rectè è Scriptura docent; sed à visibilis Ecclesiæ, per continuam successionem durantis, communione se separant. *Quicumque*, inquit S. August. lib. de Vnit. Eccl. c. 4. *de ipso Capite Christo ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicumque de ipso Capite Scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia: quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. V. G. Qui non credunt, Christum in carne venisse, &c. quòd apertissimè Scriptura Dei loquitur, &c. non vtique sunt in Ecclesia, &c. Item, quicumque credunt quidem, quòd Christus Iesus in carne venerit, &c. Sed tamen ab eius Corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto, quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia.* Et Serm. de gestis cum Emerito, *Salutem*, inquit, *non potest quis habere, nisi in Ecclesia Catholica; extra Ecclesiam totum*

potest

Digitized by Google

potest, præter salutem. Potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare Alleluia, potest respondere Amen, potest Euangelium tenere, potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fidem & habere, & prædicare. Sed nusquam, nisi in Ecclesia Catholica, salutem poterit inuenire.

Ad secundam exceptionem, quæ talis est: Ecclesia quæ prouocat ad Ecclesiam Apostolicam, non fuit noua ante centum annos: Ecclesia Confessionistarum prouocat ad Ecclesiam Apostolicam: Ergo ante centum annos noua non fuit. R. Negando Maiorem: Quia Confessionistæ ad primitiuam quidem Ecclesiam prouocant; sed sua contra nos dogmata ex illa non probant, nisi Scripturæ testimoniis abutendo: de quo iam dictum est, & infra pluribus dicetur. Omnes autem hæreses ad primitiuam siue originalé Ecclesiam semper prouocarunt, teste S. August. (quem Patrem eò libentiùs A. Confessioni oppono, quo impudentiùs Confessionistæ illum totum suum esse jactitant) Epist. 42. *Videtis certè*, inquit, *multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per SEDES Apostolorum, & SVCCESSIONES Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur; de sola figura ORIGINIS sub Christiano nomine, quasi arescentia sarmenta, gloriari.* Quòd autem æquè vanè de Apostolica Ecclesia glorientur Confessionistæ, atque antiqua illa sarmenta, probatur: Quia Ecclesia, cuius Pastores primi, nemini succedentes, à seipsis docere cœperunt, non pertinet ad Ecclesiam Apostolicam: hæc enim perpetuam & visibilem vsque ad finem mundi Pastorum successionem habebit, vt ex dictis q.3. constat. Vnde S. Augustinus in Psal. contra partem Donati ait: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui successit videte. IPSA EST PETRA, QVAM NON VINCVNT SVPERBAE INFERORVM PORTAE.* Sed Ecclesiæ Confessionisticæ Pastores nemini succedentes à seipsis docere cœperunt: Ergo Ecclesia illa non pertinet ad Ecclesiam Apostolicam. Vt enim S. Cyprianus Epist. 77. ait: *Nouatianus* (Lutherus, Philippus, &c.) *in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest; qui, Euangelicâ & Apo-*

& Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens à seipso ortus est. Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.

Ad tertiã exceptionẽ, quæ talis est: Ecclesia, quæ consentit cum antiquis & orthodoxis Patribus, nõ fuit noua tẽpore Lutheri: Ecclesia Confessionistarũ cum antiquis & orthodoxis Patribus consentit: Ergo tempore Lutheri noua non fuit. R. Negando minorem: Quia SS. Patres, in Articulis cum A. Confessione controuersis, pro nobis, contra Confessionistas pugnant; vt in operibus Bellarmini, Gregorij de Valentia, & aliorum videre licet. Neque hoc Aduersarii negare possunt: Meisnerus enim pag. 650. ait; *Sic fermè Patres omnes errarunt circa doctrinam de Antichristo, opiniones proponendo fabulosas, & Scripturæ minùs consentaneas. Vt nihil dicam de purgatorio, de precibus pro defunctis, de Sanctorum innocatione, & similibus erroribus, quos posteriores Patres* (imò & antiquiores) *plerique approbarunt* (Ostendant vel vnicum qui reprobauerit) Et pag. 707. *Tametsi etiam Patres in quibusdam pro se citare queãt; sunt tamẽ ista huiusmodi, in quibus & ipsi Patres errarũt.*

Et certè quicumque scripta Patrum Confessionistarum scriptis componit, tantam vtrimque spiritus differentiam primo quasi obtutu deprehendit, quanta est lucis & tenebrarum. Neque verò aliter fieri potest: cùm Lutheri Discipuli, & illius spiritu pleni sint, qui Sanctos Patres passim mirum in modum traducit. Proferam exempli causâ censuras eius de quatuor præclarissimis Ecclesiæ luminibus, Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, & Augustino: In caput 49. Genes. *Gregorius admodùm leuiter*, inquit, *agnouit Christum, & verbum Euāgelij.* Et in colloq Germ. *Gregorij conciones ne teruncium quidem valent: Diabolus enim eum in dialogo suo crassè decepit.* Et in Serm. Conuiu. cap. de Patribus Eccl. *Ambrosius*, inquit, *sex libros super Moyse scripsit; sed quàm ieiunè.* In cap. 22. Genes. *Quin te Hieronyme conculcamus cum tua Bethlehem, cuculla, & deserto.* In lib. cont Reg. Ang. *Si Augustinus etiam rotundis verbis asseruisset, ius esse alicui in Ecclesia leges condendi, quis est Augustinus? Quis nos*

coget illi credere? Qua auctoritate eius verbum est Articulus fidei? Fateor, receptum est eius verbum; sed non satis tutum, neque firmum.

His plures addit in Serm. Conuiu. inquiens: *Hieronymum legere licet propter historiam, Nam de fide, & vera religione, & doctrina ne verbum quidem in ipsius scriptis extat: Origenem iam dudum diris deuoui: Chrysostomum nullo loco habeo; non est nisi loquaculus: Basilius nihil valet; totus est Monachus: ne pilo quidem illum redimerem. Apologia Philippi* (innumeris mendaciis referta) *omnes Ecclesiæ Doctores exsuperat, etiam Augustinum.* Et in genere de omnium Patrum decretis ait in lib. de seru. arb. *Patrum auctoritas susque deque facienda est, & statuta perperam facta: qualia sunt omnia præter verbum Dei definita; disrumpenda ac proiicienda sunt.*

Ad quartam exceptionem, quæ in talem formam redigi potest: Ecclesia, quæ in damnandis quibusuis erroribus consentit Ecclesiæ Catholicæ, non est Ecclesia noua: Ecclesia Confessionistarum in quibusuis erroribus damnandis cōsentit Ecclesiæ Catholicæ: Ergo non est noua. R. Etiam hîc Minorem esse falsam: vt enim de propriis erroribus, quos Ecclesiæ illius Magistri nouiter excogitarunt, nihil dicam; plurimos ab antiqua Catholica damnatos pertinaciter defendunt & hæreticis consentiunt, Vt dum sacrificium offerre vel orare pro defunctis non licere docent, nec statuta ab Ecclesia ieiunia seruare, Aerianis: S. August. de Hæresib. c. 53. S. Epiphan. hæres. 75. Dum matrimonium Virginitati æquant, vel potiùs præferunt, & Sanctimonialibus suadent, vt nuptias celebrent; sicut & dum delectum ciborum damnant, Iouiniano: Hieron. lib. 1. & 2. cont. Iouin. S. August. loc. cit. c. 82. Dum Sanctos inuocandos negant, & Sanctorum reliquias venerandas; dum Sacerdotes vxoratos esse debere aiunt, & Monachatum damnant, Vigilantio: S. Hieronymus cont. Vigilant.

Ad quintam exceptionem, quæ talis est: Sicut sub Baalismo latuerunt Israelitæ fideles, ita sub Papismo latuerunt veri Christiani, eiusdem fidei cum A. Confessione: Ergo Con-

fessionistarum Ecclesia tempore Lutheri non erat noua. R. Negando Antecedens: Quia, vt ex dictis constat, fides haberi non potest, vbi nulla est fidei prædicatio. Cùm ergo per aliquot sæcula nullam possint ostendere continuam prædicationem eiusdem fidei Christianæ ante Lutherum, præter Romanam; sequitur nullos potuisse esse homines fidei Confessionis August. addictos. Nam Articuli Confessionis illius, & omnia quæ contra nos Confessionistæ profitentur, sine Doctore à nemine proprio marte vbique vniformiter disci possent: vt & ipsa vera fides sine docente à nemine percipitur. Ergo Confessionis August. fidem nemo ante Lutherum sub Ecclesia Rom. habere potuit; quia nullus ibi extitit illius fidei Doctor. Adde quòd si illo tempore, quo docere cœpit Lutherus, quidam extitissent, qui ante quoque doctrinæ Lutheranæ cōsensissent, vtique se prodidissent illi, & Luthero coniunxissent. Atqui omnes, qui in orbe Christiano tum Lutherani fuerunt, non extiterunt ante tales; sed per doctrinam Lutheri tales facti sunt, facilè probari potest: & ipse Lutherus Tō. 8. Ienens. pag. 181. testatur dicens: *Cùm illo tempore doctrina mea noua esset, & summè scandalosa in toto mundo*: vt fatetur Keslerus pag. 258. Quòd si autem noua, & toti mundo scandalosa initio apparuit, nemo erat illo tempore, qui illā anteà esset amplexus.

INSTABIS: Puriores esse possunt aures excipientiū, quàm labia docentiū: Ergo quāuis in Papatu multa cōtra Confessionem August. docta fuerint, auditores tamē per Scripturā sacrā instrui potuerunt, pleraque esse falsa, quæ Papistæ docebant.

RESPONDEO: Quamuis aliqui, nomine Christiani, quod tamē nunquam ostendent, ante Lutherum credidissent, Ecclesiam Romanam in illis omnibus errare, in quibus eam Confessionistæ erroris accusant; hoc tamen Ecclesiæ ipsorum nihil patrocinaretur. Quia Ecclesiæ perpetua duratio saluari non potest in paucis hominibus, per mille & plures annos verum sentientibus; sed debet ista veritas continuata esse, & vniformis fuisse in multis: Id quod nulla ratione fieri potest, nisi ab vno alteri quasi de manu in manū tradita fuerit. Nam si hominibus in Romana Ecclesia natis & educatis Confessionem

Digitized by

sionem suam jam traderent Confessionistæ, priuatim sine viuæ vocis instructione euoluendam, procul dubio non vniformem ex illa vbique fidem haurirent diuersi. Quis ergo credat homines, nihil aliud, quàm explicationem doctrinæ Romanæ audientes, Confessionis August. dogmatibus vniformiter consentire potuisse, antequã Confessio illa in lucẽ ederetur?

Adde quòd tametsi Ecclesia aliquando propter persecutiones obscurior lateat (visibilitatem nihilominùs semper inter membra sua retinens) longo tamen tempore ita abscondi non possit, quin veri fideles etiam à persecutoribus deprehendantur: vt ex primitiuæ Ecclesiæ persecutoribus constat. Et ratio est, quia quãuis fideles non semper fidem suam prodere teneãtur; nunquã tamen contrariã perfidiã profiteri possunt.

Quod si inter alios multi per orbem conuersantes aliquot sæculis continuent, impossibile est, quin ex eorum numero nonnulli quandoque manifestentur: prout in Anglia, & alijs mundi partibus, in quibus publicum Catholicæ Religionis exercitium prohibitum est, experientia docet.

Cùm ergo per mille & plures annos ante Lutherum ne vnicus quidem à Catholicis deprehensus fuerit, qui doctrinã illam defenderet, quam ante centum annos docere cœpit Lutherus; nunquid iste furor est, mundo persuadere velle, nihilominùs semper & continua serie sub Romanæ fidei Christianis latuisse Lutheranos? Ecclesia persecutionibus pressa semper Herões habuit, cõstãtes fidei ad sanguinẽ vsq; propugnatores; ostendant Confessionistæ vel vnicum, qui tanto temporis tractu doctrinam ipsorum publicè professus, pro ea ad sanguinem vsque contradicentibus restiterit.

DICES: Multi fuerũt tales, qui se Papatui palã opposuerũt: vt Ecclesia Græca, Waldenses, Ioan: Hus, & similes. Ita Kesler[a].

RESPONDEO I. Si ad Lutheranã Ecclesiã pertinẽt, quotcumq; Romanæ Ecclesiæ in aliquo fidei Articulo cõtradixerunt, ad eandẽ pertinebũt omnes, quotquot in orbe Christiano hactenus dãnati sunt Hæretici; quos vt tales etiam ipsi Cõfessionistæ agnoscunt. Omnes enim illi, vt Ecclesiæ Romanæ contradixerunt, ita ab eadẽ dãnati sunt: cùm nulla orthodoxa Ecclesia ostẽdi possit, quæ Romanã vllius vnquam damnauerit erroris in fide.

 No-

Nouatiani circa An. Dom. 254. in Concilio Romano damnati sunt, Præside Cornelio Papa: Euseb. lib. 6. c. 33. Anno 258. error, quo docebatur baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, in quo per ignorantiam etiam fuit S. Cyprianus, per Conciliū ab eodē Cornelio congregatū damnatus est: Euseb. lib. 7. c. 2. Anno 316. à Cōstantino Augusto Donatistarum causa Melchiadi Papæ dirimenda tradita est; cuius sententiâ laudatâ subiungit S. Augustinus Epist. 162. *O virum optimum! O Filium Christianæ pacis! Et Patrem Christianæ plebis!* Anno 325. damnata est in Concilio Nicæno hæresis Arriana, præsidentibus Rom. Ecclesiæ Legatis nomine Syluestri Papæ, à quo Concilium per litteras approbationem Decretorum postulauit, his verbis: *Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur Vestri oris consortio confirmetur.* Vt constat ex eius Concilij actis. Estque Canon Ecclesiasticus antiquissimus, vt videre est apud Socrat. lib. 2. c. 5. & 13. *Ne Decreta absque Episcopi Romani sententia Ecclesiis sancirentur.* Secundùm quam Regulam quotquot deinceps in Ecclesia Catholica publicè damnati sunt Hæretici, Romani Pontificis auctoritate, immediatè vel mediatè, damnati sunt. Vt Anno 381. in Concilio Constantinop. auctoritate Damasi I. congregato, damnatus est Macedonius, vt colligitur ex VI. Synodo Act. 18. Anno 390, per Siricium Papam damnatus, & extra Ecclesiam eiectus est Iouinianus; apud Hieronymum Epist. 50. ad Pammach. Anno 430. in Concilio Romano sub Cœlestino Papa damanatus est Nestorius: vt videre est in Epist. 5. Cælestini ad Nestorium. Circa idem tempus damnata est hæresis Pelagiana ab Innocentio, & Zozimo Pontificibus, teste S. August. lib. 2. Retract. c. 50. *Pelagiana*, inquit, *hæresis cum suis auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Rom. priùs Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis conuicta atque damnata est.* Anno 450. auctoritate Leonis I. in Concilio Chalcedonēsi damnata est hæresis Eutychetis, teste Euagrio lib. 2. c. 4. Anno 536. renitente quasi Imperatore Agapetus Papa Anthimum Episcopum Constantinop. hæreticum deposuit, & in

in eius locum Mennam substituit: Euagrius lib. 4. c. 11. Anno 681. damnata est hæresis Monothelitarum, in VI. Synodo Constantinop. auctoritate Agathonis Papæ, apud Baronium. Anno 787. auctoritate Adriani Papæ damnata est hæresis Iconomachorum, & confirmata fides de veneratione imaginum. Vt nihil dicam de erroribus Photij, Berengarij, Abailardi, Porretani, Ioachim Abbatis, Begardorum, Wicleff, Hus, & Aliorum, simili auctoritate posterioribus temporibus damnatorum.

Si ergo Confessionistæ hos omnes ad Ecclesiam suam spectare volunt, nihil reluctamur; nec inuidemus illis talem Ecclesiam, non Catholicæ veritatis columnam, sed omnium hæreseon sentinam & colluuiem.

RESPONDEO II. Apologiam quidem, titulo de Missa, de hac priore responsione conqueri, dum ait: *Sæpè hoc colore vtuntur Aduersarij: allegant veteres hæreses, & cum his falsò comparant nostram causam, vt illa collatione pragrauent nos.* Sed iniquam hanc esse querelam ex posita Confessionistarum doctrina ostendo hoc modo: Si ad Ecclesiam Lutheranam pertinent non tantùm nostro, sed Confessionistarum quoque judicio Hæretici, qui in quibusdam Ecclesiæ Rom. contradixerunt; non facimus ipsis iniuriam, comparando ipsorum causam cum causa Hæreticorum, ab Ecclesia Catholica damnatorum: Sed Confessionistæ ad Ecclesiam suam pertinere dicunt homines, non tantùm nostro, sed ipsorum quoque judicio Hæreticos: Ergo &c. Probatur Maior: Quia eadem ratio, quæ militat pro quibusdam Hæreticis, militat etiam pro alijs, quòd videlicet Romanæ Ecclesiæ se opposuerint.

Probatur Minor I. de Græcis, quos ad Ecclesiam suam referunt: Quia illi in omnibus ferè fidei Articulis hodiè controuersis nobiscum sentiunt, excepto quòd Romanum Pontificem non agnoscunt: vt patet ex responso Ieremiæ Patriarchæ Constantinop. ad Confess. August. Cùm ergo in Articulo de Sacrificio Missæ, cultu Sanctorum, Monachatu, & alijs nos superstitionis & idololatriæ accussent; si ad Ecclesiam

Lutheranam referendi ſunt Græci, Confeſſioniſtarum judicio ſuperſtitioſi, & idololatræ, quia Romanæ ſe Eccleſiæ oppoſuerunt; cur propter eandem cauſam ad ipſorum Eccleſiam non pertineant alij Hæretici?

Prætereà quamuis Waldenſes, ſiue Pauperes de Lugduno in plurimis contra Rom. Eccleſiam Lutheranis conſenſerint, vt patet ex Elencho Hæret. Prateoli, in aliis tamen Confeſſioniſtæ ipſos vt manifeſtos Hæreticos judicare debent: Omnem enim carnalem commixtionem inter viros & mulieres permiſerunt: Sacerdotes ſolâ eleemoſynâ viuere debere docuerunt; & Presbyteros potiores eſſe, qui vitæ merito digniores ſunt. Item ſine verbis Chriſti Euchariſtiam confecerunt, & quidem in Cœna Domini tantùm, quòd eo die confectum exiſtimarent præſtantioris eſſe virtutis. Iudicibus omnem poteſtatem ad ſupplicia damnandi ademerunt. &c. Vt videre licet apud Æneam Syluium, lib. de Orig. Bohemorum, & Guidon. Carmelitam, de hæreſibus Waldenſium.

Similiter Ioannes Hus multa, quæ in nobis Confeſſioniſtæ damnant, credidit; multa, quæ nobiſcum hæreſeos arguunt: Vt quòd Eccleſia ſit tantùm congregatio prædeſtinatorum, quod Confeſſioniſtæ negant; qui ſolos quidẽ ſanctos membra Eccleſiæ faciunt; non tamen hos omnes prædeſtinatos aſſerunt, vt conſtat ex Meiſnero. Quòd homo in peccatis exiſtens, modò prædeſtinatus ſit, non ſit membrum Diaboli: Quòd Sacerdotes criminosè viuentes non habeant poteſtatem ſacerdotalem. &c.

INSTABIS: Vt aliquis ſit membrum Eccleſiæ, præſertim tempore publici exercitii aboliti, non eſt opus, vt in nullo per imbecillitatem & ignorantiam erret; ſed ſufficit, quòd in fundamento, & principalibus punctis de vnico Mediatore Chriſto rectè ſentiat. Stipulæ enim errorum, ſuper hoc fundamentum ædificatorum, igne tribulationis abſumuntur.

RESPONDEO I. Si veræ Religionis fundamentum non euertit idololatria, cuius aliquos non minùs quàm nos reos facere debent, quos nihilominùs ad Eccleſiam ſuam ideò admittunt,

mittunt, quia Pontificem damnant, nescio quid fundamentum Religionis euertere possit. Et ex hac instantia sequitur, nullum ferè Hæreticum, ab Ecclesia damnatum, extitisse, quin, si modò in vnicum Mediatorem Christum Lutherano more crediderit, ad Ecclesiam Lutheranam cum reliquis erroribus suis referendus sit.

RESPONDEO II. fidem veram, & fiduciam in vnicum Mediatorem Christum in Ecclesia Romana semper doctam esse, & adhuc doceri; illo sensu, quòd nullis operibus nostris, absque propitiatione & meritis Christi saluari possimus. Adeò vt, si omnia bona opera, quæ humanitùs haberi possunt, haberemus; si nusquam vel in minimo cōtra mandata Dei peccaremus; sine gratia tamē Dei, ex mera misericordia Patris, & meritis Filii, per Spiritū sanctū conferēda, neq; minimi peccati mortalis ante commissi remissionē, neque salutē æternam consequi possemus. Et quam quæso perfectiorem fiduciam in Mediatorē nostrum Christum exigere possunt Aduersarij? Errant itaque grauissimè, quando Sanctos Patres, circa finem vitæ non in suis meritis, sed in Dei misericordia confidentes, vt S. Bernardum, seruum se Dei inutilem, & arborem infructuosam, nec sibi, nec aliis proficuam ex humilitate vocitantem, ad Ecclesiam suam pertinere contendunt. Adeoque Carolum V. & Ferdinandum I. vt pientissimos, ita Lutheranæ Sectæ semper infensissimos Imperatores, tandem Lutherano ritu mortuos esse, omnem fiduciam suam in meritis Christi collocando: vt per grauissimam calumniam docet Keslerus, pag. 430. de Lutheranismo. Nam in Ecclesia Catholica semper recepta fuit doctrina, quā in fine vitæ tradidit S. August. Neminem tam justum esse, qui sine pœnitentia, & consequenter sine confidentia in misericordia Dei, & meritis Christi, ex hac vita decedere possit. Eò quòd omnes, etiam justissimi, se peccatores reputare debeant

Sed cōfidētia ista non est talis, qualē Lutherani requirunt; quæ non vnicum Articulum inuoluit, vt verba sonāt; sed multos secum trahit: quos qui nō credit, fundamētū fidei Lutheranæ euertit. Vt quòd homines nō per iustitiā internā, sed per

solam

ſolam juſtitiam Chriſti extrinſecùs imputatam, coram Deo juſti ſint: Quòd nullum ſit bonorũ operum meritum reſpectu vitæ æternæ: Quòd, cùm Chriſtus ſit vnicus Propitiator noſter, nullum poſſit eſſe ſacrificium propitiatorium Miſſæ; nulla Sanctorum interceſſio, nulla ſuffragia pro mortuis, nulla votorum monaſticorum vtilitas. Quia enim hæc & ſimilia negamus, ideò Apologia hoc loco ita loquitur: *Pleraque iſtorum, quæ Aduerſarij noſtri defendunt, fidem euertunt.* Itaque vt aliquos ante Lutherum fuiſſe oſtendant, qui fidei Lutheranæ fundamentum retinuerint, non ſufficit dicere, quòd fiduciam in meritis Chriſti habuerint; ſed inſuper oſtendendum eſt, fuiſſe, qui in pleriſque, per quæ fidei fundamentum apud nos euerſum eſſe volunt, contra nos, cum ipſis ſenſerint.

RESPONDEO III. Quòd ſi ad Eccleſiam Lutheranam ſpectant, qui vnicam ſalutis viam Lutherano ſenſu per Chriſtum quærunt; quomodo ab Eccleſia ſua excludent Zuinglianos, Caluiniſtas, Alios, qui hoc tempore de vnica ſalutis via Confeſſioniſtis per omnia conſentiunt; nec in tam multis ab illis diſcrepant, quàm iſti, quos ante Lutherum ad Eccleſiam ſuam reuocant?

OBIICIES cum Keslero pag. 267. Sicut Ioannes, Chriſtus, Apoſtoli non erant obligati Phariſæis oſtendere, quinam ante ipſos eiuſdem doctrinæ fuerint; ſed ſatis erat, quòd doctrinam ſuam ex Moyſe & Prophetis probarent: ita à Confeſſioniſtis aliud exigi non poteſt, quàm vt Religionem ſuam è Propheticis & Apoſtolicis libris demonſtrent. Vt enim ante Chriſtum ſub Phariſaiſmo, & Baaliſmo veri fideles latuerunt, ita ante Lutherum ſub Papiſmo.

RESPONDEO I. Nihil hoc argumento abſurdius proponi potuiſſet. Præterquam enim quod inepta, ne dicam impia, comparatio eſt Lutheri cum Ioanne, Apoſtolis, & ipſo Chriſto; quid abſurdius dici poteſt, quàm Chriſtum, & Apoſtolos nihil docuiſſe, quod in Moyſis & Prophetarum libris non contineatur? Quàm enim hoc falſum ſit, conſtat ex collatione Scriptorum Euangelicorum cum Scriptis antiqui Te-

ſtamenti.

stamenti. Neque fauet contrariæ opinioni Paulus, dum Act. 26. 22. dicit, se nihil extra Prophetas docere. Quia vel per particulā, *Extra*, idem intelligit, quod *Contra*; vel non de vniuersa doctrina sua loquitur, quam manifestum est totam non contineri in Prophetis; sed de certis fidei mysteriis, per Prophetas prædictis, de quibus ibi in specie agit: videlicet de Passione, & Resurrectione Christi, & de illuminatione totius mundi. Hæc enim sunt Pauli verba: *Vsque in hodiernum diem sto testificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses. Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus est populo, & gentibus.*

Præthereà quàm absurdum est dicere, Christo in nulla re credendum fuisse, nisi quam ex Moyse & Prophetis probauit; sicut Luthero credi non debet, vt inquiunt, nisi in jis, quæ ex sacra Scriptura docet? Christus quidem testimonio Moysis & Prophetarum sæpè vtitur, quia multa de ipso futura prædixerunt; omnia tamen & singula dogmata sua ad illorum scripta non adstrinxit. Et si hoc fecisset, tum contra Confessionistas ad hominem tale formari posset argumentum: Qui nihil aliud docet, quàm quod in antiqua Scriptura continetur, ille miraculis ad doctrinæ suæ confirmationem non eget, vt inquiunt, quia doctrina eius per ipsam Scripturæ promulgationē, à Deo factam, sufficienter confirmata est. Sed Christus nihilominùs homines ad sibi credendum, nisi editis miraculis, obligare noluit, Ioan. 15. *Si signa non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ergo citra peccatum Luthero non crederemus, tametsi omnia sua ex Scriptura verè probaret; quia contra receptam toto orbe doctrinam docere cœpit. Nisi maior apud nos auctoritas esse debet Lutheri; quàm apud Iudæos ipsius Christi.

Ioannes autem miraculum nullum edidisse dicitur, per se videlicet, sicut Christus; Vocatio tamen eius multis miraculis confirmata est: vt illis, quæ ante conceptionem eius, natiuitatem, & circumcisionem, item quæ in Baptismo Christi

Digitized by Google

contigerunt. Adde quòd miraculis non indiguerit, quia nullam visibilem & receptam synagogæ ceremoniam abrogauit; sed cuiusuis status homines veram virtutem edocuit, & prauos mores reprehendit. Baptismo autem suo, cùm eum tantùm in pœnitentiæ & ablutionis internæ signum, neque tamen stabiliter ab omnibus retinendum, traderet, solà vitæ suæ sanctimonià auctoritatem dare potuit. Sic enim Iosephus lib. 18. Antiq. c. 10. de illo loquitur: *Ioannem, qui vocabatur Baptista, Herodes occidit, virum valdè bonum; qui præcipiebat virtuti operam dare, iustitiam colere, in Deum seruare pietatem, & per Baptismum in vnum coire. Tum demum enim Baptismum acceptabile fore, si non solùm ad abluenda peccata sumatur, verùm etiam ad castimoniam corporis, atque ad animæ iustitiam, purificationemque seruetur, omniumque pariter virtutum velut signaculum & custodia quædam fidelis habeatur.* Tantam autem sibi apud Iudæos vitæ sanctimonià auctoritatem conciliauerat, vt magnificà ad eum legatione missà, tanquam Messiam se agnituros esse profiterentur, si ipse se Messiam affirmaret. Quis ergò miretur, quòd ceremoniam baptismalem absque miraculorum exactione acceptauerint, tam multis ex ipsa lege baptismatibus assueti?

Hæc autem, & alia multa, si cum Luthero, & noua illius doctrina, quam in orbem inuexit, conferantur; facilè apparebit, quàm absurdè similis statuatur ratio prædicationis ipsius cum prædicatione Ioannis, Apostolorum, & ipsiusmet Christi.

RESPONDEO II. Tempore Eliæ, cùm Achab & Iesabel publicum veræ Religionis exercitium sustulissent, altaria euertissent, Prophetas occidissent, & ipsum Eliam ad necem quærerent, ita præ timore latuisse fideles, vt Elias se solum in Israel relictum existimaret. Interim non tantùm in Iudæa vigebat tum vera Religio, vt supra dictum est (& ideò qui in Samaria propter persecutionem latebant, occultè à veris Doctoribus instrui poterant, sicut jam Catholici in Anglia) sed in ipsa quoque Samaria habuerant vsque ad tempus illud

illud Prophetas, quos Iesabel nuper occidi curauerat. Imò præter Eliam habebant adhuc superstites Elisæum, Michæam, Abdiam, ipsius Achab & Iesabelis Dispensatorem. Atque insuper centum Prophetas, quos Abdias absconderat, ne occiderentur: 3. Reg. 18. 13. Aliorum præterea Prophetarum mentio fit 3. Reg. 20. v. 22. 28. & 35.

Ex quibus manifestum est, nullam fieri posse comparationem inter Lutheranismum, quem ante Lutherum sub Papatu latuisse prætendunt, cum fidelibus, quos Elias mœrens & afflictus omnes in persecutione aut occisos, aut peruersos existimabat. Quia neque locum aliquem nominare possunt, in quo Lutherana doctrina per mille & plures annos ante Lutherum publicè prædicata fuerit, neque vllum Doctorem, qui suos occultè latentes instruere potuerit.

Similiter tempore quo Christus in mundum venit, tametsi plerique Pharisæi veram doctrinam non purè traderent, erant tamen aliqui publicè noti Sacerdotes probi, & veram Religionem rectè profitentes: inter quos Zacharias erat Pater Ioannis Baptistæ, de quo Lucas c. 1 asserit, quòd fuerit *Iustus ante Deum, incedens in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela.* Et de publico sui temporis ministerio ait ipse Christus, Matt. 23. 3. *Omnia, quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.* Neque mirum est, tempore Pharisæorum magnas in plerisque fuisse tenebras errorum, quia in Aduentu Christi futurum prædixerant Prophetæ, vt populus sedens in tenebris & vmbra mortis videret lucem magnam, vt ex Isaia citat Matt. c. 4. à v. 14. & lucem illam illustraturam esse vniuersum mundum vsque ad consummationem sæculi.

Atqui secundùm Confessionistas longè maiores fuissent tenebræ in Ecclesia Christi quàm vnquam fuerint in synagoga Iudæorum. Nam statim post tempora Apostolorum errores in vniuersam Ecclesiam irrepsisse volunt, vt patet ex Magdeburgensibus, qui in singulis Centurijs ad finem cap. 4. annotant, omnes ferè illius sæculi

Doctores ea tradidiſſe, quæ nos hoc tempore contra ipſos tuemur: illosque Patrum næuos appellant. Imò ipſam Eccleſiam Apoſtolicam totam grauiſſimè erraſſe contendunt, ſtatuendo leges ceremoniales ex parte obſeruandas eſſe, vt docet Meiſnerus pag. *669*. Quamuis autem hunc errorem correctum dicat in Concilio Apoſtolico, Act. 15. tamen ex verbis eius colligitur, hoc quoque Concilium ab illo erroris damnari: quia quædam ceremonialia antiquæ legis obſeruanda præſcripſit, quæ iam ampliùs nõ obſeruãtur. Sed hoc eſt ipsũ Spiritum ſanctum, Apoſtolis in iſto Concilio aſſiſtentẽ, accuſare erroris: aiunt enim Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & Nobis.*

Quamuis autem negandum non eſt, Apoſtolos initio priuatim de quibusdam fidei myſteriis non fuiſſe ſatis inſtructos; nunquam tamen oſtendent, eos aliquid publicè tanquam Articulum fidei omnibus credendum propoſuiſſe, quod veritati conſentaneum non fuerit.

CONCLVSIO II. Tametſi viſibilis Chriſti Eccleſia tanto temporis tractu tam denſis tenebris inuoluta fuiſſet, vt Confeſſioniſtæ volunt, nunquam tamen oſtendere poſſent, fideles occultè latitantes ad ſuam potiùs, quàm ad Caluiniſtarum, vel aliorum Hæreticorum ſynagogam pertinuiſſe. Ad eam enim Eccleſiam pertinuerunt, inquiunt, quæ Verbum Dei purè profitetur: Sed noſtra verbum Dei purè profitetur: Ergo &c. Eodem autem modo argumentantur Caluiniſtæ, & proinde æquè ſe Euangelicos dicunt, atque Confeſſioniſtæ: neque Confeſſioniſtæ vllo argumento oſtendent, ſe præ Caluiniſtis Euangelium purè docere. Vt enim in omnibus Articulis ſuis ad probationem per Scripturam prouocant Confeſſioniſtæ, eodem modo & Caluiniſtæ: & quidquid in ſingulis Articulis controuerſis præſtant illi, idem præſtant pariter iſti. Ergo cùm Confeſſioniſtæ dicunt, ad noſtram Eccleſiam ante Lutherum pertinuerunt infantes baptizati, ſimplices fideles, & quotquot ſe Papæ Rom. acriter oppoſuerunt, ſemper principium ſine vlla probatione petunt.

Adde

Digitized by Google

Adde quòd per similem principii petitionem omnes se Hæretici à nouitate doctrinæ facilè defenderent. Omnes enim dicere possunt, suam quidem doctrinam apparere nouam, eam tamen semper occultè inter homines latuisse, & tempore Apostolorum publicè toto orbe prædicatam fuisse. Atque hoc modo eneruaretur argumentum, quo SS. Patres constanter contra omnes hæreses vsi sunt, quòd nimirum ipsorum doctrina non possit esse vera, vtpote respectu doctrinæ in Ecclesia communiter receptæ noua, & longo temporis tractu ante inaudita. Hac enim præscriptione, tanquam validissima, vt alios innumeros omittam, passim Hæreticos vrget Tertullianus: vt lib. de Præscript. Hæret. cùm parabolam de Zizaniis ab inimico seminatis retulisset: *Ex ipso*, inquit, *ordine manifestatur, id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum; id autem extraneum, & falsum, quod sit posteriùs immissum. EA SENTENTIA MANEBIT ADVERSVS POSTERIORES QVASQVE HAERESES, quibus nulla constantia, & conscientia concedit ad defendendam sibi veritatem.* Et paulò ante: *Vbi tunc Marcion? Vbi tunc Valentinus?* Vbi Lutherus? Vbi Caluinus? *Nam constat illos neque adeò olim fuisse, Antonini ferè* (Caroli V.) *Principatu; & in Catholicam doctrinam credidisse apud ECCLESIAM ROMANENSEM, sub Episcopatu Eleutheri* (Leonis X.) Et paulò pòst: *Ad hanc formam prouocabuntur* (vt nimirum successionem Pastorum suorum à temporibus Apostolorum continuam ostendant) *ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, vt multo posteriores, quæ denique quotidiè, instituuntur; tamen in eadem* (cum Maioribus suis) *fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.* Hanc verò consanguinitatem paulò ante probat per continuatos semper Episcopos, quos *Apostolici seminis traduces* vocat.

Et in hoc argumento totus pænè liber iste occupatur, ad quem proinde remittere videtur lib. 1. contra Marcionem dicẽs: *Non negabunt Discipuli eius* (Marcionis, Lutheri, &c.) *primam illi fidem nobiscum fuisse: vt hinc jam destinari possit Hæ-*

reticus, quia deserto quod prius fuerat, id posteà sibi elegerit, quod retro non erat. In tantum enim Hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retro & à primordio (per continuam successionem) *traditum est. Sed alius libellus hunc gradum sustinebit aduersus Hæreticos, ETIAM SINE RETRACTATV DOCTRINARVM reuincendos, quòd hoc sint de præscriptione NOVITATIS.*

Et librum contra Hermogenem hoc modo inchoat: *Solemne Hæreticis, compendij gratiâ, de posteritate præscribere. In quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreses renuntiauit; in tantum posteriores quæque doctrinæ hæreses præiudicabuntur. Quia sunt, quæ futuræ* semper *veritatis antiquiore regula prænuntiabantur. Hermogenis autem doctrina tam nouella, denique ad hodiernum homo in seculo, & naturâ quoque hæreticus, etiam turbulentus, qui loquacitatem facundiam existimet, & impudentiam constantiam deputet, & maledicere singulis officium bonæ constantiæ judicet.*

OBIICIES: Illa doctrina non est noua, quæ diligenter ad Scripturas examinata inuenitur eis esse conformis: Sed ita se habet doctrina Confessionistarum: Ergo non est noua. Ipse enim Tertullianus tanquam præcipuam nouitatis rationem, in sui temporis Hæreticis, adducit discrepantiam à doctrina Apostolica, lib. de Præscript. hæret. dicens: *Confingant tale aliquid Hæretici* (de perpetua Pastorum suorum successione) *quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confinxerint nihil promouebunt: ipsa enim doctrina eorum, cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque Apostolici.*

RESPONDEO I. Si doctrinæ Confessionistarum credendum non est, nisi per diligẽs examen inueniatur conformis esse Scripturis, quomodo doctrinæ illi credere poterunt Lutherani in controuersis Articulis non exercitati? Vt Idiotæ, qui ne legere quidem Scripturas possunt, multo minùs dijudicare, Vtrùm suis, an aliis in controuersis Articulis magis patrocinetur. Ait quidem Reihing, Ministros à talibus audiri posse, & debere. Sed si ideò tantùm credunt simplices, quia

quia Ministrorũ auctoritate persuadentur, nõ fide diuina, quæ per diuina arguméta, è Scriptura sacra deprõpta produci debet, vt aiũt; sed fide humana credũt, fundatâ videlicet in auctoritate hominũ, errori, etiam in ijs quæ de fide docẽt, subiectorum. Id quod constat ex Meisnero pag. 672. dicente, plerosque Patres in Commentariis Ezechielis, Danielis, & Apocalypsis errasse, præsertim de Antichristo. *Eò quod media interpretationis non sint absolutè certa & infallibilia.* Ergo Confessionistarum Ministri, qui his interpretandi mediis vtuntur, non sunt omnino certi de ipsis fidei Articulis. Qualis, & quidem ex præcipuis apud Lutheranos est Articulus de Antichristo. Quomodo ergo de fide sua certi erunt, qui solâ Ministrorum auctoritate moti plerisque Articulis, quos contra nos defendere solent, credunt? Præsertim cùm simplices Catholicos fide diuina credere non posse contendant, quòd per Ecclesiæ auctoritatem inducantur ad credendum; ipsi per se Scripturarum testimonia de Articulis fidei tractantia non examinẽt.

RESPONDEO II. Tertullianum illo loco contra hæreticos agere, qui fortè per singularem impudentiam continuam Doctorum suorum à temporibus Apostolorum successionem confícturi erant: & docere, tametsi tale quid ostenderent, ipsos tamen pro sua causa nihil esse acturos: quòd ipsorum doctrina longè diuersa sit ab Apostolica. Hæc autem verba Confessionistis non patrocinantur, sed repugnant: quia si Tertullianus impudentiæ adscribit, sui temporis hæreticos originem suam, & perpetuam successionem ab Apostolis deriuare velle, quòd nullus ante eos extiterit palam ita docens, vt ipsi docebant (quamuis à temporibus Apostolorum nondum ducenti effluxissent anni) quanto maior erit illorum impudentia, qui per mille & quingentos annos Ecclesiam suam cõtinuò durasse cõtendũt, cùm ne vnicũ quidẽ fidei suæ assertorẽ per tantum temporis interuallum demonstrare possint?

Prætereà addit argumentum, quo sui temporis doctrinas hæreticas probat Apostolicas esse non posse, quamuis à temporibus Apostolorum continuò durassent: *Quia*, inquit, *Apostoli non diuersa inter se docuissent.* Quibus verbis tale argumentum

mentum insinuat: Quicumque diuersa inter se docent, non tenent doctrinã Apostolicam: vt enim non procul à fine ait: *Illic & Scripturarum, & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ.* Hæretici diuersa inter se docent: Ergo, &c. Id quod non tantùm in antiquos, sed etiam in modernos Ecclesiæ Romanæ hostes, & nominatim in Confessionistas valet. Præsertim si omnes computemus, quos ante Lutherum ad Ecclesiam suam reducunt.

Itaque Tertullianus ex hypothesi argumentatur hoc modo: Quamuis aliqui illius temporis hæretici continuam doctrinæ suæ successionem ab Apostolis ad se vsque deducerẽt; Apostolici tamen non essent: quia doctrinas manifestè non Apostolicas defendunt. Absolutè verò, & generaliter contra quosuis hæreticos agens docet, ipsorum doctrinas non esse Apostolicas, quia nouæ sunt: idque probat ex eo, quòd perpetuâ Doctorum successione destituantur. Ita enim paulò ante verba in Obiectione posita loquitur: *Cæterùm si quæ hæreses audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: Edant ergo Origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, &c.* SICVT ROMANORVM CLEMENTEM A PETRO ORDINATVM REFERT. Contra eos autem, qui talem successionem ostendere non possunt, ait ibidem: *Probent se nouos Apostolos, dicant Christum iterùm descendisse, iterùm ipsum docuisse, iterùm crucifixum, iterùm resuscitatum. Sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ & ipsi. Volo igitur virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.*

Quin imò tales, qui successione Pastorũ continua carent, ne prouocare quidem ad Scripturas permittit, in eodem libro dicens:

dicens: *Sed ipsi de Scripturis agunt, & de Scripturis suadent* (arrigant hîc aures Confessionistæ) *aliunde scilicet suadere non possent de rebus fidei, nisi ex Litteris fidei. Venimus igitur ad propositum: Scripturas obtendunt, & hac suâ audaciâ statim quosdam mouent; in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potißimum gradum obstruimus, non admittendo eos ad illam de Scripturis disputationem; si hæ sunt illæ vires eorum, vt ne eas habere poßint.* DISPICI DEBET, CVI COMPETAT POSSESSIO SCRIPTVRARVM (Cui competebat antequam veniret Lutherus?) *ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit.* Rationem subiungit, quòd juxta præceptum Apostoli nouis vocibus aures accommodare non debeamus. Et paulò ante finem libri aliam rationem addit. *Non periclitor,* inquit, *dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent: cùm legam, Oportere hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possent.*

Postquam autem hîc ostendit, nihil proficere eum, qui Scripturis cum hæreticis congreditur, ita concludit: *Ergo non ad Scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen; quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parùm certa. Nam etsi non ita euaderet collatio Scripturarum, vt vtramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat illud priùs proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturæ: à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ* (quam ex antiquitate & successione perpetua colligit) *ILLIC ERIT VERITAS SCRIPTVRARVM, ET EXPOSITIONVM, ET OMNIVM TRADITIONVM CHRISTIANORVM.* Et paulò post addit: *COMMVNICAMVS CVM ECCLESIIS APOSTOLICIS, quòd nulla doctrina diuersa* (nulla ei, quæ continuò palàm tradita est, contraria) *HOC EST TESTIMONIVM VERITATIS.*

Et non procul à fine: *Si hæc,* inquit, *ita se habent, & veritas nobis adiudicetur, QVICVMQVE IN EA REGVLA INCEDIMVS, QVAM ECCLESIA* (per continuum *fidei traducem, & se-*

mina doctrinæ, vt supra loquitur) *AB APOSTOLIS, APOSTOLI A CHRISTO, CHRISTVS A DEO TRADIDIT; constat ratio propositi nostri desinentis*, NON ESSE ADMITTENDOS HAERETICOS AD INEVNDAM DE SCRIPTVRIS PROVOCATIONEM, *QVOS SINE SCRIPTVRIS* (per Ecclesiæ auctoritatem) *PROBAMVS AD SCRIPTVRAS NON PERTINERE,&c. Ad quos meritò dicendum est*: *QVI ESTIS? QVANDO*, ET VNDE *VENISTIS? QVID* IN MEO AGITIS NON MEI? *Quo denique Marcion jure syluam meam cædis? Qua potestate limites meos commoues? Quid hic cæteri* (Luthere Philippe &c.) *ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? MEA EST POSSESSIO; OLIM POSSIDEO* (quod de Romana Ecclesia negari non potest) *Habeo origines firmas, & ipsis Auctoribus* (SS. Patribus) *quorum fuit res*, EGO *SVM HERES APOSTOLORVM.*

QVAESTIO VI.

Vtrùm Confessionistæ contra superioris quæst. doctrinam rectè replicent, Ecclesiam Romanã esse nouam, quòd ab antiqua Christi Ecclesia defecerit?

AD argumentum nostrum, quo concludimus, Ecclesiam Confessionistarum esse nouam, quòd per mille & plures annos ante Lutherum ne vnicus quidem ostendi possit, qui per omnia docuerit, vel crediderit, quæ superiore sæculo docere cœpit Lutherus; replicare solent: simile argumentum contra nos formari posse: nos enim neminem esse ostensuros, qui ante mille annos per omnia ita docuerit, vt jam docemus. Cùm è contrario manifestum sit, modernam Ecclesiam Rom. multa antiquæ Ecclesiæ repugnantia profiteri.

CONCLVSIO I. Ecclesia Rom. moderna in nullo fidei Articulo antiquæ Christi Ecclesiæ, quæ ante mille ducentos, trecentos, & plures annos extitit, contrarium docet. Probatur: Quia Aduersarii nunquam ostendent vllum fidei Articulum, ab antiquis Doctoribus toti Ecclesiæ propositum, cui Romano-Catholici jam contradicant: sed potiùs per inductio-

Digitized by Google

ductionem probari poteſt, pleraque, inter nos & Confeſſioniſtas controuerſa, eo modo ab antiquiſſimis Patribus tradita, quo in Rom. Eccleſia jam docentur. Vt in ſingulis Articulis, in quibus Auguſt. Confeſſio nos accuſat, quòd ab antiquæ doctrinæ puritate receſſerimus, oſtendetur. Imò, vt ſupra demonſtratum eſt, fatentur Aduerſarij, antiquos Patres in multis, quæ inter nos & ipſos controuerſa ſunt, idem docuiſſe quod nos docemus: nec vllum aliud habent refugium, quàm quòd Patres iſtos ex fragilitate humana lapſos eſſe contendãt.

Vbi tamen NOTA, inter Eccleſiæ ritus, & articulos fidei ponendum eſſe diſcrimen, Nam ritus, qui ad varias temporum, perſonarum, & locorum circumſtantias accommodari in Eccleſia ſolent, non ſemper ſunt iidem: & poſſunt, prioribus abrogatis, alij ſubſtitui; idque citra læſionem vnitatis, & conſenſus Eccleſiæ in fide: vt Confeſſio Auguſt. hoc loco fatetur. Tales præter alios in Eccleſia Rom. ritus ſunt, Cœlibatus Clericorum, Delectus ciborum, Communio Laica ſub vna ſpecie. Cùm enim communio ſub vtraque ſpecie ſingulis fidelibus ex præcepto Diuino neceſſaria non ſit; ad Eccleſiæ diſpoſitionem ſpectat, pro diuerſa temporum, & perſonarum ratione, Sacramentum iſtud vel ſub vna tantùm, vel ſub vtraque ſpecie diſtribuere. Quare non ſequitur Eccleſiam Rom. ab antiqua Eccleſia defeciſſe, quòd nullos ampliùs Laicos ſub vtraque ſpecie communicet (quod tamen poſſet, ſi ita expedire iudicaret) cùm antiqua Eccleſia talem morem vſurpauerit: quia nullum antiquæ Eccleſiæ decretum adduci poteſt, quo ſtatutum fuerit, omnes & ſingulos fideles ad vtramque ſpeciem ita obligatos eſſe, vt ex auctoritate Eccleſiæ aliter Sacramentum iſtud diſtribuere, vel ſumere non poſſint.

CONCLVSIO II. Eccleſia Rom. ab antiqua Chriſti Eccleſia non defecit, quamuis non omnes Articuli, quos jam credendos proponit, fuerint olim ita expreſsè definiti. Probatur: Quia iſtâ nouitate non deſtruitur fides antiqua (ſicut per Aduerſariorum nouitatem: quæ antiquitùs credita & obſeruata ſunt euertuntur) ſed creſcit. Idque Vincentius Li-

rinẽsis aduersus prophanas hæreseon nouationes, c.27. in illud 1. Timoth. 6. *O Timothee depositũ custodi, deuitans prophanas vocũ nouitates, pulchrè tradit,* inquiens: *Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est; non quod à te inuentũ: Quod accepisti; non quod excogitasti: Rem non ingenij; sed doctrinæ: Non usurpationis priuatæ; sed publicæ traditionis. Rem ad te perductam; non à te prolatam. In qua non author debes esse; sed custos: non institutor; sed sectator: non ducens; sed sequens.* Et c.28. *Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis? Habeatur planè, & maximus. Nam quis ille est tam inuidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, vt profectus sit ille fidei non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in semetipsa vnaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transuertatur. Crescat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quàm omnium; tam vnius hominis, quàm totius Ecclesiæ ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentiâ, scientiâ, sapientiâ. Sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.* Idq́; c. 29. explicat exemplo hominis, ab infantia ad maturã vsque ætatem crescentis, in quo membra priora tolli non debent, & alia substitui; sed eadem manere, & maiora incrementa suscipere Et c.30. exemplo sementis, in qua quod à Maioribus seminatum est, à filiis excoli & perfici potest: non autem Zizania, euulso frumento antiquo, nouiter seri. Atque idem argumentum c. 31. & 32. continuat.

Ex quibus omnibus manifestum est, parem inter Catholicos & Confessionistas in hoc negotio rationem constitui nõ posse. Ipsi enim nouiter se à Catholicis separando, & ante inauditam in mundo doctrinam disseminando, veterem quoad plurimos Articulos sustulerunt. Nos autem antiquæ, & per continuam successionem à Maioribus nostris traditæ inhæremus. & si quæ noua apud nos audiri videntur, ea antiquis contraria non sunt, sed in illis virtualiter latuerunt. Itaque in Confessionistas aptè quadrat, quod c. 26. dicit idem Vincentius: *Audias quosdam ipsorum* (omnes Confessionistas) *dicere:*

Venite

Digitized by Google

Venite O insipientes & miseri, qui vulgò Catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit (nullus antiquorum intellexit) *quæ multis ante sæculis latuit; nuper verò reuelata & ostensa est.* Cùm videlicet Lutherus Euangelium sub scamno delitescens in publicum protraxit. Quodque S. Cyprianus lib. de Vnit. Eccl. ait: *Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & eius Euangelio separari?* Et rationem reddit: *Non enim nos ab illis; sed illi à nobis recesserunt. Et cùm hæreses & schismata postmodùm nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.*

Interim NOTANDVM est, Ecclesiam nouis reuelationibus non niti, quando aliquid ante non explicitè definitum omnibus fidelibus credendum proponit: sed examinatis Scripturis sacris, SS. Patrum dogmatibus, & traditione Maiorum, assistente Spiritu sancto infallibiliter decernere, quid cuique tenendum, quid reprobandum sit. Nihil enim vnquam Ecclesia definire solet, quod non ante quoque à magni nominis Authoribus doctũ, vel scriptum fuerit: quamuis nõ omnes fideles ad eam doctrinam tenendam ante Ecclesiæ definitionem essent obligati. Ita supra diximus, S. Cyprianum non fuisse hæreticum, dum baptizatos ab hæreticis rebaptizandos docuit: quia contrarium per Ecclesiæ auctoritatem omnibus, vt fidei Catholicæ Articulus, nondũ propositum erat. Quamuis hac in parte etiam ante definitionem illam non pauci rectè senserint, per priuatam videlicet reuelationem, vniuersam Ecclesiam non astringentem: quæ nisi per publica fidei decreta ad vniuersaliter aliquid credendum non astringitur.

OBIICIES: Quamuis Papistæ plurimos Articulos suos controuersos ex Patribus, non tantùm S. Augustino posterioribus aut coæuis, sed etiam antiquioribus probare possint; hoc tamen non conuincit ipsorum Ecclesiam à primitiua non defecisse. I. Quia non ex Scriptis Patrum vbique probandum est, quæ fuerit vera primitiua Ecclesia; sed ex Scriptura Sacra, & primitiua Ecclesia Apostolorum, per Scri-

pturam expressa: hæc enim est regula omnium sequentium Ecclesiarum. Cùm ergo ex hac regula constet, statim post Apostolorum tempora superstitiones in Ecclesiam irrepsisse; Patres, ex humana fragilitate illis consentientes, næuos quosdam contraxerunt, qui tamen fidei fundamentum non euerterunt.

II. Papistæ non omnia & singula moderna sua dogmata ex Scriptis Patrum demonstrare possunt. Constat enim à mille & ducentis annis plurimos abusus in Ecclesiam Rom. irrepsisse, quorum initium licet demonstrari nequeat; quia per incuriam irrepserunt: ex eo tamen, quòd Scripturæ sacræ contrarij sunt, manifestè colligitur, illos esse grauissimos abusus, à puræ Religionis amatoribus explodendos. Sicut verè colligimus aliquam esse meretricem, quæ extra coniugium concepit; tametsi de tempore non constet, quo virginitatem suam violauit. Et hoc insinuare voluit Christus, quando Matth. 13. ait, zizania dormientibus, & non aduertentibus hominibus tritico superseminata.

Et si Ecclesia Rom. ab antiquæ Ecclesiæ puritate non defecisset, non fuisset opus Concilium Trid. tot Articulos reformatorios abusuum conscribere: Ita ferè Keslerus à pag. 40. Tractatus hoc anno editi, quem Papismum vocat.

RESPONDEO I. Confessionistas, dum Patres antiquos nobis consentientes erroris accusant, ita procedere, ac si is, qui alterum per vim antiqua possessione sua spoliasset, eo prætextu, quòd ipse eiusdem rei antiquior Dominus sit, cõtra plurimos antiquissimos, & omni exceptione maiores viros, pro spoliato testimonia ferẽtes, nihil aliud exciperet, quã testes illos omnes mẽtiri. An non enim omni exceptione maiores in hoc negotio testes iudicari debent ij, qui Apostolicæ Ecclesiæ proximi, veræ Religionis studiosissimi, in sacris Litteris maximè exercitati extiterũt? Quis enim credat, quòd si sacris Litteris conformia non essent, quæ non tantùm in nobis, sed in antiquis istis Maioribus nostris vt erronea taxant Aduersarij, nullum vnquam Scriptorem orthodoxum futurum fuisse, qui

ista

ista, vel à se ante credita mutaret, vel in aliis notata reprehenderet? Ostendant verò vel vnicum Scriptorem antiquum, qui ea, quæ in nobis superstitiosa vocant, à coætaneis suis tradita damnauerit: Vt inuocationem Sanctorum, orationem pro mortuis, obseruationem quadragesimæ, delectum ciborum, vota Monachorum, Cœlibatum Clericorum, &c. Itaque Confessionistæ non solius se Romanæ Ecclesiæ modernæ, sed antiquissimorum quoque Patrum, atque adeò Ecclesiæ primitiuæ Apostolicæ reformatores constituunt, vt ex dictis colligitur.

Ad id autem, quod de Scriptura in obiectione additur, iam sæpiùs responsum est.

RESPONDEO II. Non omnia & singula, quæ in Ecclesia Rom. iam docentur, explicitè in antiquis Patribus ostendere debemus: quia sufficit, quòd ea, quæ iam docentur, antiquam fidem non destruant, sed explicatiorem reddant, vt ex Vincentio ostensum est. Quamuis pænè omnia, quæ nobis tanquam antiquæ Ecclesiæ incognita obiiciuntur, non ad Articulos fidei, sed ad Ecclesiæ ritus spectent; quos constat in moderna Ecclesia, si ita expediat, de nouo institui posse. Quemadmodùm & in antiqua quædam obseruata sunt, vt vel ex Concilio Apostolico Act. 15. colligitur, quæ iam non sunt in vsu.

RESPONDEO III. Ecclesiam Rom. non potuisse publicè ab antiqua Ecclesia deficere, quin eius defectus à veris Christi fidelibus, quos semper extitisse docet Confessio, notaretur, & palàm accusaretur. Cùm enim nulla vnquam noua doctrina in Ecclesia publicè tradita fuerit, cuius auctor & initium non fuerit ab aliis deprehensum; nemo sanæ mentis credet, Ecclesiam Rom. quam olim semper famosissimam fuisse, & verè Apostolicam fatentur Aduersarij, ita à puritate doctrinæ Apostolicæ, & quidem secundùm se totam, deficere potuisse, vt defectus eius à nemine notaretur, aut culparetur. Et quamuis errores initio clam irrepere potuissent, qua tamen ratione ita diu à nemine rectè sentiente deprehensi, à

ſi, à nemine publicè reprehenſi fuerunt? Zizania quidem non aduertentibus ſeruis ſeminata fuerunt, quia clam, dormientibus hominibus, & ab vno inimico ſeminata ſunt, ſicut doctrina Confeſſionis ab vno Luthero: quamprimùm tamen creuerunt, manifeſtè ſe prodiderunt,& ſeruos ad euellendum excitarunt. Quomodo ergo tota Eccleſia viſibilis per tot ſæcula communi conſenſu zizania errorum nutrire potuit, ſeruis Dei interim dormientibus, & nemine ex illis aduertente, nemine palàm contradicente, atque ex mandato Dei Eccleſias reformante, donec poſtremis his temporibus aduenit Lutherus?

Quod ſi antiqui Eccleſiæ Doctores abſurdum judicarunt, Eccleſiam viſibilem centum, vel ducentis, vel trecentis annis ita erraſſe, vt nouorum hominum reformatione in fide indigeret (neque enim Chriſtum, aut Spiritum ſanctum ſuos tam diu deſerturum fuiſſe, quibus vtriusque continua præſentia vſque ad conſummationem ſæculi promiſſa eſt) quanto abſurdiùs docent Aduerſarij, totam Eccleſiam viſibilem à mille & pluribus annis, non aduertentibus & contradicentibus veris Dei cultoribus, in tantis errorum, ſuperſtitionum, & idolomaniæ tenebris verſatam eſſe?

Ergo æquum eſt, vt de ſe dici credant, quod de ſui temporis hæreticis Tertullianus, ſimili modo errorem Eccleſiæ prætendentibus, in lib. de Præſcript. hæret. dicit: *Videamus, ne Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè omnem ordinem regulæ ediderint: Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperint, quàm Apoſtoli præferebant. Omnia iſta ſcrupuloſitatis incitamenta inuenias prætendi ab hæreticis.* Reſpondet autem: *Age nunc, omnes errauerint, nullam reſpexerit Spiritus ſanctus, vti eam in veritate deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, vt eſſet Doctor veritatis.* Et reliqua, quæ ſupra addidimus, poſt quæ ſubiungit: *Audeat ergo aliquis dicere illos erraſſe, qui tradiderunt? Quoquo modo ſit erratum, tam diu vtique errauit error, quamdiu hæreſes non erãt. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos* (Lutheranos) *liberanda veritas* (ſub modio incluſa) *expectabat. Intereà perperam euangelizabatur; &c.*

RE-

RESPONDEO IV. Quamuis tota Ecclesia visibilis doctrinam Apostolicam ita sensim corrumpere non potuerit, neque ita diu in errore perseuerare, vt Spiritus sanctus neminem per tot sæcula ad reformandam Ecclesiam miserit; hunc honorem Luthero, & eius Discipulis reseruans: nihilominùs si quos in fide errores publicos manifestè probarent (priuatim enim in Ecclesia Rom. errari non negamus) tum totam Ecclesiam visibilem à puritate doctrinæ Apostolicæ quoquo modo defecisse concederemus; licet defectus huius tempus præcisè demonstrari non posset. Nunc verò quia de nullo hactenus errore publico in fide Ecclesiã Romanã manifestis Scripturæ testimoniis conuincere potuerunt; argumento ab antiquitate ducto, quo SS. Patres contra omnes nouitias doctrinas, Scripturæ auctoritatem æquè prætendentes, vsi sunt, meritò repelluntur.

Ad Decreta autem Reformatoria Concilij Trid. quod attinet, nõ agunt illa de vllo fidei Romanæ Articulo reformãdo; sed de prauis quorumcumque statuum moribus, vitio priuato personarum, citra publicam Ecclesiæ approbationem introductis. Quales etiamnum vbique terrarum reperiri scimus, & dolemus. *Sed neque propter malos pisces retia rumpimus, neque propter vasa in contumeliam facta domum magnam deserimus*, cum Augustino.

QVAESTIO VII.

Vtrùm extra Ecclesiam veram visibilem salutem quis consequi possit?

NEmini ingressum ad salutem patere, nisi quem Ecclesia visibilis per doctrinã suam pepererit, aluerit suis vberibus, & sub custodia sua in finem vsque tenuerit, initio huius Art. ex ipso Caluino ostendimus. Quia autem moderni Confessionistæ contrarium docent, vt constat ex Mensnero de Notis Ecclesiæ c. 1. q. 1. videndum est, an hoc Confessioni August. consentaneum sit.

Digitized by Google

CONCLVSIO. Confeſſioniſtæ dum extra veræ Eccleſiæ viſibilis ſocietatem ſaluari homines docent, Confeſſioni Auguſt. contradicunt. Probatur: Quia, vt ſupra ex Articulo V. Confeſſ. oſtenſum eſt, fidem, & Spiritum ſanctum nemo conſequitur, niſi per prædicationem Verbi Dei, & vſum Sacramentorum. Ideò enim ibi damnantur Anabaptiſtæ, quòd Spiritum ſanctum ſine verbo externo contingere doceant. Ergo extra Eccleſiam viſibilem nemo fidem conſequitur. Verbum enim externum non prædicatur, neque Sacramenta extra Eccleſiam viſibilem adminiſtrantur, vt manifeſtum eſt. Et conſequenter ſi quis extra Eccleſiam viſibilem ſaluaretur, Spiritum ſanctum ſine verbo externo conſequeretur, quod tanquam erroneum Confeſſio damnat.

Nihil autem valet inſtantia iſta Meiſneri: *Vt ſcientia & externa conſociatio cum viſibili Eccleſia non ſaluat, ſic ignorantia contraria & defectus aſſociationis non damnat.* Eodem enim modo argumentari quis poſſet: Sicut ſola ſuſceptio Sacramenti Baptiſmi non ſaluat, ita eiuſdem Sacramenti defectus non damnat: quod eſt contra Art. IX. Confeſſionis. Multa ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, quæ tamen ſola non ſufficiunt: inter quæ eſt etiam externa coniunctio cum Eccleſia, per ſalutaris doctrinæ profeſſionem.

Neque ſecunda inſtantia pro ſententia Meiſneri facit, qua dicit: *Qui ſalutarem Chriſti doctrinam ex animo amplectitur & profitetur, licet alicubi ſolus fortaſsè degat neque externam vllam cum particulari quapiam Eccleſia communionem alere poſſit; ſaluabitur ſine dubio.* Primò enim ſalutaris Chriſti doctrina ſine viſibilis Eccleſiæ prædicatione percipi non poteſt, vt ex dictis conſtat. II. Qui ſolus inter infideles verſatur, in vera fide inſtructus, membrum & filius eſt Eccleſiæ viſibilis, juxta illud Pauli: *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Neque ſaluatur ſine eiuſdem Eccleſiæ notitia: quia fidem percipere non potuit, niſi per auditum, & conſequenter per notitiam eorum, qui fidem docuerunt, & Eccleſiæ viſibilis mẽbra extiterunt. A quibus ſi per neceſſitatem aliquam abeſſe cogatur,

animo

Digitized by Google

animo tamen non abest; sed coniungi denuò optat: vt nimirum fides eius, & alia Spiritus sancti dona, ministerio publico Ecclesiæ genita, conseruentur & confirmentur. Constat enim sine perpetuo horum vsu dona Dei ordinariè paulatim elanguescere in hominibus, & tandem penitùs extingui. Sed in isto puncto necessitatis, quo v. g. aliquis inter infideles captiuus detinetur, Deus per extraordinariam gratiam hominem, vero fidei zelo per Ecclesiam ante instructum, confirmabit, & ad salutem perducet.

DICES: si extra Ecclesiam visibilem non esset speranda salus, infantes hæreticorum ab ipsis baptizati non saluarentur, quia non sunt in Ecclesia vera visibili.

RESPONDEO, Negando sequelam, & eius probationem. Quia ad illam Ecclesiam pertinent infantes, vbicumque baptizati, ad quam baptismus ipse pertinet: Sed ille pertinet ad veram Ecclesiam Christi visibilem: Ergo, &c. Vnde & Confessionistæ aiunt, infantes in Papatu baptizatos ad Ecclesiam suam pertinere.

Sanctus verò Augustinus, dum lib. 7. contra Donatistas c. 51. Ecclesiam propriè constare ait *è Sanctis, vbique dispersis, & spiritali vnitate deuinctis; siue se facie nouerint, siue non nouerint*; non vult Sanctos illos extra omnem Ecclesiam visibilem esse posse; quia dicit illos debere in eadem communione Sacramentorum existere: sed tantùm hoc vult, Sanctos istos vnione spiritali coniunctos esse, quamuis inuicem non nouerint tanquam sanctos. Quando verò dicit, Corpus istud, solis sanctis constans, esse Ecclesiam, cui traditæ sunt claues regni cœlorum, & quæ fundata est super Petram, & quam jubemur audire; nihil aliud vult, quàm hæc Ecclesiæ principaliter propter Sanctos collata esse: tametsi etiam mali ea, quæ ad sanctificandos homines ordinata sunt, vtiliter administrent. Sed in corpore Ecclesiæ visibili: extra quod sentit quidem omnia, quæ in Ecclesia sunt, esse posse, ante nimirum mediatè, vel immediatè ab Ecclesia accepta, non posse tamen prodesse: vt constat ex ijs quæ supra citauimus, & ex lib. 4. contra Dona-

tistas c. 17. *Salus*, inquit, *extra Ecclesiam non est: quis negat? Et ideò quæcumque ipsius Ecclesiæ habentur extra Ecclesiam, non valent ad salutem. Sed aliud est, non habere baptismum; aliud, non vtiliter habere.* Et paulò pòst: *Potest igitur nobis & hæreticis baptisma esse commune, cum quibus potest & Euangelium esse commune. Quãuis à fide nostra error distet illorum, siue aliud de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto sentiant, quàm veritas habet; siue ab vnitate præcisi non colligant cum Christo, sed spargant.* Ergo ex S. Augustini sententia etiamsi quis Euangelium, siue veram fidem, profiteatur, & habeat; si tamen ab vnitate Ecclesiæ visibilis se præscindat, salutem non consequetur.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm Notæ, quas pro inuenienda vera Christi in terris Ecclesia Confessionistæ ponunt, sint legitimæ?

DE hac re ita loquitur Meisnerus pag. 782. *Theologi nostri quandoque plures, quandoque pauciores Ecclesiæ Notas enumerant: communis tamen est sententia, quòd duæ sint generales eiusdem Notæ: nimirum pura verbi Dei prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio. Quando autē generales Notæ dispescuntur in speciales, & insuper istis essentialibus adduntur quædam accidentales, mirū esse nemini debet, quòd plures constituantur à Theologis.*

Vbi OBSERVA I. Theologos nostros per calumniam accusari, quòd inter se non consentiant, dum alij plures, alij pauciores Ecclesiæ Notas enumerant. Si enim Lutheranis plures aut pauciores Notas statuere intra contradictionē licet, quòd vel per plures duæ generales magis explicentur, vel generalibus & essentialibus etiam accidentales adiungantur; cur Catholicis modò plures, modò pauciores Notas statuere non liceat? Cùm nemo eorum, qui pauciores numerant, affirmet, non posse dari plures: & pauciores per plures vel magis explicentur, vel tanquam accidentibus quibusdam illustribus magis à Deo exornentur. Sic enim antiquitas, continua fidei prædicatio, consensus in doctrina, amplitudo, illustrantur

tur & confirmantur miraculis, heroicis credentium factis, & vitæ sanctimoniâ, aliisque Dei donis singularibus; atque adeò etiam sæpè felicitate temporali. Itaque perpetuis Ecclesiæ notis æquè talia adiungere licet, atque Luthero inter alia adiungere licuit persecutionem, quæ tamen, teste Meisnero pag. 783. non est Nota Ecclesiæ perpetua.

Porrò non tantùm moderni Theologi; sed antiqui etiam Patres, modò plures, modò pauciores Ecclesiæ notas constituunt. S. enim Augustinus sex adducit, quibus se justissimè in Ecclesia Catholica teneri dicit, & quas ijs, qui veram sapientiam, siue puram Euangelii doctrinam in Ecclesia illa non credunt, opponit. Quo satis ostendit, ipsam Euangelij puram doctrinam non posse talibus esse Ecclesiæ Notam. Verba autem eius lib. cont. Epist. Fundament. c. 4. hæc sunt: *Vt hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in eius gremio me justissimè teneat: 1. Tenet CONSENSIO Populorum, atque Gentium. 2. Tenet AVCTORITAS MIRACVLIS inchoata, 3. SPE nutrita, CHARITATE aucta, 4. VETVSTATE firmata. 5. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum SVCCESSIO SACERDOTVM. 6. Tenet postremò ipsum CATHOLICAE nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere* (Rationem addit alibi, quia non possunt intelligi, nisi Catholicam vocent, quæ reuera talis est. Quod in nostri quoque temporis Aduersarios conuenit) *Ista ergo tot, & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat.*

S. Hieronymus contra Lucif. in fine, Antiquitatem, & continuam ab Apostolis Successionem tanquam validissimas Notas, contra omnes Sectas posteriùs ortas adducit. *Breuem,*

 inquit,

Item omnes Notæ simul sumptæ nullibi nisi in vera Christi Ecclesia reperiuntur: nulla enim Ecclesia præter verè Catholicam veram simul sanctitatem vbique docet, simul toto terrarum orbe, modo supra dicto, diffusa est, simul à tempore Apostolorum continua successione durauit, & denique in fidei prædicatione semper consensit; ita vt nullum vnquam Articulum publicè receptum, publicè denuò reprobauerit; sed quod antiquiori semel placuit, succedens tanquam fidele depositum semper inuiolatum conseruârit.

OBSERVA III. Notas Ecclesiæ non tantùm eos respicere debere, qui de vera Ecclesia, & eius prædicatione non dubitant; sed cùm maximè propter eos, qui vel controuersiam de vera Ecclesia mouent, vel ignorant vbi illa sit, à Deo concedantur; potissimùm ad illos spectare debere, qui vel dubitant de vera Ecclesia, vel eam omnino negant. Fatetur id Meisnerus pag. 76. dicens: *Christiani in duplici sunt differentia: vel enim planè dubitant, cuinam cœtui sese adiungere, aut quam Religionem profiteri debeant: vel certi cœtus membra, & certæ fidei sunt socij; qui rursus vel sunt verè credentes, quibus Notas præscribere vt Ecclesiam primùm agnoscant non est necessarium; vel sunt seducti, & Religioni falsæ addicti: atque hi potissimum, vt etiam dubitantes Notis indigent, quarum manuductione veritatem Ecclesiæ cognoscant.*

Iam verò si de Notis agere velimus, quibus credentes veram Christi Ecclesiam à falsis discernere possint, legitimam Verbi Dei prædicationem, & Sacramentorum administrationem efficacissimas ad hoc Notas esse concedimus. Supposito enim quòd prædicationi Ecclesiæ tanquam legitimæ certò credant, euidenter concludunt, illam non esse veram Ecclesiam, in qua non reperitur ea prædicatio, & Sacramentorum administratio, quam ipsi vt legitimam per Dei gratiam agnoscunt. Faciliùs tamen per has Notas Ecclesiam veram à falsis discernunt sapientes, & in mysteriis fidei versati fideles, quàm simplices, & in rebus fidei parùm exercitati: qui aliquando per externam similitudinem in prædicationi-

bus,

bus, vel ritibus decepti, prima fronte Catholicos esse putant, ad quos veniunt, cùm sint minimè tales. Ita non paucis accidit, qui Nurenbergam, vel aliò ad publicos cœtus venerunt, vbi omnes vestes, & ceremoniæ ferè omnes, quæ apud nos in Missa vsitatæ sunt, secundùm Confessionis August. tenorem obseruantur. Quamquam plerique Confessionistæ in hac parte Cofessionem suam contemnant.

Interim vt illi ipsi simplices Ecclesias adulteras à vera Christi sponsa discernant, non est opus singulos ab illis fidei Articulos examinari, & intelligi: alia enim multa media habent; & si nihil aliud haberent, ipsi ritus discrimen abundans facerent. Nam vt S. Augustinus loc. cit. cont. Epist. Fundament. ait: *Ad cognitionem sincerissimæ sapientiæ* (puræ & legitimæ prædicationis) *pauci spiritales in hac vita perueniunt, vt eã ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant. CÆTERAM QVIPPE TVRBAM*, simplicium, *NON INTELLIGENDI VIVACITAS, SED CREDENDI SIMPLICITAS TVTISSIMAM FACIT.*

His pro defensione nostra breuiter præmissis, sit contra Confessionistas

CONCLVSIO: Notæ, quas tanquam generales ad veram Christi Ecclesiam infallibiliter inuestigandam Confessionistæ ponunt, non sunt legitimæ. Probatur I. Quia Notæ generales tales esse debent, vt per eas quilibet homo ad veræ Ecclesiæ notitiam manduci possit: Sed per puram Euangelii prædicationem,& legitimam Sacramentorum administrationem quilibet homo ad veræ Ecclesiæ notitiam manuduci non potest; Ergo, &c. Probatur Minor: Quia simplices Christiani dubitantes, quænam sit vera Christi Ecclesia, per puram quoad omnes Articulos fidei prædicationem ad eius notitiam peruenire non possunt: cùm singulos Articulos controuersos dijudicare nequeant; nisi etiam simplices apud Lutheranos sunt perfectissimi Theologi.

Si autem prædicatio non in omnibus Articulis, sed in fundamentalibus tantùm pura est Nota Ecclesiæ (vt concedit

dic Meisnerus pag. 817. dicens: *Si quandoque impuritas aliqua misceatur, attamen si fundamentum maneat illæsum, tum etiam Ecclesia manet: ex illaque fundamentali puritate æstimari & cognosci potest*) sic argumentor: Omnis Nota, per quam quis in falsam Ecclesiam deduci potest, non est talis, vt per illam vera Ecclesia infallibiliter cognoscatur, vt in terminis clarum est: Sed per prædicationem Verbi Dei, in fundamento tantùm puram, deduci quis potest in falsam Ecclesiam: In omnem enim illam deduci potest, in qua est puritas doctrinæ fundamentalis: Sed doctrinæ fundamentalis puritas, sensu Lutherano, est etiam sæpè in falsa Ecclesia: vt apud Papistas ante Lutherum fuisse dicunt. Et de facto eadem est apud Caluinistas & Lutheranos: vtrique enim fiduciam in sola Christi merita, modo superiùs explicato, pro fidei suæ fundamento habent: Ergo per hanc Notam non minùs in Ecclesiam Caluinianam, aut etiam aliam, quàm in Confessionisticam deducētur homines.

Item non tantùm illi, qui Christo & Scripturæ jam credunt, & de vera Ecclesia dubitant; sed etiam Pagani per veras Notas ad Ecclesiæ notitiam deduci posse debent: Sed Meisnerus pag. 776. negat, Paganos per has Notas ad veram Christi Ecclesiam deduci posse, nisi priùs de veritate verbi diuini rectè informentur, siue priùs Christiani fiant: Ergo Notæ illæ non sunt generales.

Istæ autem, quas Catholici ponunt, quosuis homines rationabiliter mouere possunt: & proinde S. Augustinus Epist. 42. Madaurenses idololatras ad veræ Ecclesiæ ingressum per Sedes Apostolicas, successionem perpetuam Episcoporum, & amplitudinem Ecclesiæ hortatur: *Videtis certè*, inquit, *multos præcisos à radice Christianæ Societatis, quæ per Sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine, quasi arescentia sarmenta, gloriari: quas hæreses & schismata nominamus.*

Vnde patet, Notas quas Confessionistæ ponunt in primo requisito, quod ad veras Ecclesiæ Notas pag. 778 exigit Meisnerus, *vt nimirum Nota notatum certò indicēt ac demonstrēt,*

 deficere.

deficere. De secundo autem requisito nulla est controuersia: *Vt Nota notato conueniat.*

Probatur autem Conclusio II. ex defectu tertij requisiti: *Vt Nota soli notato conueniat.* Notæ, quæ, quatenus ante veræ Ecclesiæ notitiam cognosci possunt, soli Ecclesiæ veræ non conueniunt, ex huius requisiti defectu non sunt legitimæ: Pura Verbi Dei prædicatio, & rectus Sacramentorum vsus, quatenus ante veræ Ecclesiæ notitiam cognosci possunt, non conueniũt illi soli: Ergo,&c. Probatur Minor: Quia ante Ecclesiæ notitiam Notæ illæ aliter cognosci non possunt, quàm quòd examinatæ ad Scripturam sacram eius testimoniis in speciem defendantur: Atqui hoc omnibus hæresibus commune est, vt ex dictis patet: Ergo veræ Christi Ecclesiæ ita proprium non est, vt conueniat illi soli.

Quartum requisitum ponit Meisnerus: *Vt Nota semper conueniat notato,* & propterea Gregorium de Valentia reprehẽdit, quòd scripserit, non omnes Notas ab Ecclesiæ exordio illi necessariò conuenire. Ex huius requisiti defectu probatur Conclusio III. Notæ, quæ à primo exordio Ecclesiæ non conuenerunt, non sunt legitimæ: Pura Verbi Dei prædicatio, vt à Confessionistis sumitur, à primo exordio Ecclesiæ non conuenit; quia per Verbũ Dei solam Scripturã intelligunt: Sed hoc Dei Verbũ Ecclesiã posterius est, vt ex ante dictis, nõ tantũ de lege Naturæ, sed etiã de primitiua Ecclesia Christiana manifestum est. Ergo hæc Nota, ex Aduersariorũ doctrina, nõ est legitima.

Quintum requisitum pag. 780. ponit: *vt Nota sit notior notato*: *Si enim*, inquit, *obscurior fuerit ipsâ re notandâ, tum ex ea in cognitionem rei nunquam deuenies.* Vnde sic argumentor: Nulla Nota debet esse æquè vel magis obscura, quã res notata: Pura Verbi Dei prædicatio, & recta Sacramentorum administratio sunt æquè vel magis obscuræ, quàm Ecclesia: Ergo nõ possunt esse veræ Ecclesiæ Notæ. Probatur Minor: Quia hæ Notæ vel considerantur prout in speciem ex Scriptura sacra probantur, & ita non sunt infallibiles; quia omnibus Sectis, nomine Christiano abutentibus, communes sunt: vel quatenus

Scriptu-

Digitized by Google

Scripturæ sacræ verè sunt conformes, & ita sunt æquè vel magis obscuræ, quàm Ecclesia: quia sola fide percipiuntur, & quidem solidè percipi non possunt, nisi supposità certâ & infallibili cognitione Ecclesiæ, vt ex dicendis patebit.

Item Quidquid quærimus, quamdiu quærimus Ecclesiã, id nobis non est Ecclesiâ notius: Purã Verbi Dei prædicationẽ, & legitimam Sacramentorum administrationem quærimus, quamdiu quærimus Ecclesiam: Ecclesia enim nihil aliud est, quàm congregatio eorũ, qui Verbum Dei purè docẽt, & Sacramenta rectè administrant, vt ipsa Confessio definit. Ergo pura Verbi Dei prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio in intimis ipsius Ecclesiæ penetralibus latet.

Præterea adeò non sequitur, has Notas esse notiores Ecclesiâ, quòd sint de Ecclesiæ essentia, vt Aduersarii volunt; vt contrariũ potiùs hinc sequatur. Non enim essentia rei est notior re ipsa, sed potiùs res per externa accidentia ante in cognitionem venit, quàm essentia illius. Sicut per accidentia in externos sensus incurrentia ante cognosco hominẽ, quàm essentiam illius: & dum hominem per Notas aliquas cognoscere volo, non possum ipsam essentiam eius pro Nota statuere, quia illa quoque inuestigatur, quamdiu perfectã hominis notitiam quæro. Per alia ergo indicia manifesta fieri debet essentia, in re de qua agitur latens. Id quod S. Augustinus in Ps. 57. pulchrè expressit dicens: *In ventre enim Ecclesiæ veritas manet: quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necessè est vt falsa loquatur. Necessè est, inquam, vt falsa loquatur, quisquis aut concipi noluit, aut quem conceptum Mater excussit.* Ergo Mater hæc ante cognoscenda est, vt nos concipiat & pariat, quàm veritatem in ventre eius absconditam cognoscere possimus.

Vnde idem S. Augustinus, lib. 13. cõtra Faust. c. 13. ostẽdens, qua ratione Catechumenus, vel alius quicumq; verã Ecclesiã adhuc ignorans, & simul veritatem doctrinæ ab erroribus discernere non valens, ad veram Ecclesiam ducendus sit, longè aliam ab Aduersariis nostris viam ingreditur, dicens:

Et tanquam ille, quem catechizamus, quæreret, & diceret: Quo ergo signo manifesto adhuc paruulus, & nondum valens liquidam discernere à tot erroribus veritatem, quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem jam credere tanta rerum antea prædictarũ manifestatione compellor? Responderent Confessionistæ: puritas doctrinæ, & cum Scriptura conformitas tali ostendenda est. Sed S. Augustinus per claritatem, & amplitudinem Ecclesiæ hos mouendos esse ait: *Propter hos enim,* inquit, *motus paruulorum, qui possunt seduci ab hominibus à manifestatione claritatis Ecclesiæ, Dominus quoque prouidens dicit: Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta* (Quomodo ergo tanto tempore ante Lutherum abscondita fuit?) *Vt non audiantur illi, qui ad Religionum scissuras traducunt; dicentes: Ecce hic est Christus, ecce illic. Partes enim ostendunt dicentes: Ecce hic, ecce illic: cùm illa Ciuitas super montem sit. Quem montem, nisi eum, qui secundùm prophetiam Danielis ex paruulo lapide creuit, & factus est mons magnus, ita vt impleret vniuersam terram?*

Denique Ecclesiam esse istis Aduersariorum Notis notiorem vel inde probatur: quia Ecclesiam nemo fidelium ignorare potest; cùm omnes in Symbolo se credere profiteantur *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Scripturam autem omnes scire non tenentur. Item ipsam Verbi Dei veritatem absque Ecclesiæ ministerio nemo percipit: ante ergo cognoscenda est Ecclesia, quàm vera Verbi prædicatio: sicut ante cognoscendus est Doctor, quàm doctrina.

DICES: Ecclesia quidem confusâ, imperfectâ, & coniecturali notitiâ priùs cognoscitur, quàm pura Verbi prædicatio: perfectâ autem, explicitâ, & infallibili cognitione priùs cognoscitur pura prædicatio, quàm Ecclesia. Id quod Doctoris & doctrinæ exemplo confirmatur: vt enim Doctori perfectè fidere non possum, nisi cognoscam, quæ sit eius doctrina; ita de Ecclesia vera certum judicium ferre non possum, nisi ante cognoscam, an Verbum Dei purè doceat. Vnde & S. Augustinus, lib. de Vnit. Eccl. c. 2. dicit: *Quæstio inter nos versatur: vbi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris*

stris eã quæsituri, an in verbis Capitis sui? Puto quòd potiùs in illius verbis eã quærere debeamus, qui veritas est, & optimè nouit Corpus suũ.

RESPONDEO I. Ecclesiam quidem, jam ante cognitam & creditã, per Scripturæ testimonia magis confirmari, cognitionem tamen Ecclesiæ, quæ Scripturæ fidem antecedit, non esse tantùm coniecturalem; sed omnino certam & infallibilem. Nam si non posset esse certa, nisi examinatis Scripturis, & conformitate doctrinæ cum illis, nunquam certa foret simplicibus, qui ne legere quidem Scripturas possunt; multo minùs Articulos controuersos ex illis diiudicare. Item primitiuæ Ecclesiæ fidelibus nunquam certa esse potuisset: quia hi doctrinam Ecclesiæ ad Scripturam, nondum editam, & in vnum corpus redactam examinare non potuerunt. Neque illis, qui vsque ad Irenæi tempora veram Religionem per viuam Ecclesiæ vocem, sine vlla Scriptura dedicerunt, vt supra relatum est.

Neque verò inter disciplinarum naturalium Doctores, & Ecclesiam, Disciplinæ cœlestis Magistram, omnimoda paritas constituenda est: sed in illo est paritas: quòd sicut disciplinas, quas sine Doctore discere quis non potest, nemo percipiet, nisi ante Doctorem cognoscat, eique erudiendum se tradat: neque vnquam doctus euadet, si, antequam disciplinam à Doctore percipiat dubitare semper velit, quis vt Doctor agnoscendus sit: quia, vt tradunt Philosophi, & ipsa experientia probat, *Oportet discentem credere.* Ita cùm Ecclesia Magistra nostra sit, quam multis indiciis, etiam sepositâ Scripturâ agnoscere possumus, quamque simplicissimi homines in Symbolo, quod pueri didicerunt, se credere profitentur, & si nihil aliud esset, quæ publicè & perpetuò hoc officio fungitur (Sic enim receptis, & ordinariis disciplinarum Magistris se tradere solent studiosi) non debent ij, qui veram Religionem discere cupiunt, ante examinare, an doctrina ista quam Ecclesia proponit vera sit; sed toto se pectore in Ecclesiæ disciplinam tradere. Non enim ante intelligendum, posteà credendum est; sed qui Ecclesiæ sim-

pliciter credere detrectat, nunquam ad veram doctrinæ cœlestis intelligentiam pertinget. Et ideò S. Augustinus lib. cont. Epist. Fundam. c. 14 monet, vt *eos sequamur, qui nos inuitant priùs credere, quod nondum valemus intueri: vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur.*

In eo autem non est constituenda Doctorum sæcularium, & Ecclesiæ paritas, quòd, cùm Doctores in multis hallucinari possint, vt Discipulis, postquam sufficienter instituti sunt, ipsa doctrinæ principia examinare licet, & non rarò Doctorem suum corrigere, eique contraria tenere; ita etiam Ecclesiæ Discipuli, in Scripturis sacris instituti, per ipsas Scripturas Ecclesiæ veritatem examinare possint, & quæ voluerint reijcere: quia sic Ecclesiæ, in decidendis fidei controuersiis, nulla foret auctoritas: quam tamen Confessionistæ ipsâ praxi agnoscunt, vt vel ex libro Concordiæ manifestum est. Quotiescumque enim alicui, in re per se dubia & controuersa (vt inter Lutheranos est doctrina de Vbiquitate humanitatis Christi) perque Ecclesiam decisâ, ipsa Ecclesiæ in decidendis controuersiis auctoritas opponeretur, responderet ille ex hac Confessionistarum doctrina: Per ipsam Scripturam examinandum esse, an id, quod per Ecclesiam decisum est, veritati conforme sit, nec ne; & an ipsa sit vera Ecclesia. Atque ita singulis hominibus ianua aperitur, vt in Religione Christiana sentiant, quodcumque voluerint, modò id Scripturæ sacræ magis conforme esse duxerint. Quòd autem inter Confessionistas idem plures pertinaciter defendant, faciunt vel auctoritate, vel potentiâ humanâ, vel præconceptâ opinione, vel aliis medijs naturalibus inducti: non autem infallibili, supernaturali, & vniformi regulâ fidei. Scriptura enim, cuiusque examini in Articulis fidei dijudicandis relicta, non est regula vniformis: quia omnes hæretici, quantumuis inter se contrarij, ex eadem Scriptura diuersissimas doctrinas deducunt; dum propriâ curiositate, & intelligentiâ niti, quàm Ecclesiæ auctoritatem, & ductum sequi malunt.

Sed

Digitized by Google

Sed ista, per se doctrinam fidei, contra communem Ecclesiæ sensum ex Scriptura examinantium curiositas iam olim ab Ecclesiæ Doctoribus proscripta fuit, teste Tertulliano, in sæpè cit. lib. de Præscript. hæret. *Nobis*, inquit, *curiositate opus non est, post Christum Iesum, nec inquisitione, post Euangelium* (per Ecclesiam videlicet traditum & prædicatum) *Cùm credimus, nihil desideramus vltrà credere: hoc enim priùs credimus non esse, quod vltrà credere debemus* (quod nimirum vltrà nouiter exorti proponunt) *Venio itaque ad illum articulum, quem nostri* (dubitantij) *prætendunt, ad ineundam curiositatem, & hæretici inculcant, ad importandam curiositatem. Scriptum est inquiunt: Quærite, & inuenietis. Quando hanc vocem Dominus emisit recordemur: Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cùm adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset, &c. Secundùm quod & alibi apertè inquit: Scrutamini Scripturas, in quibus salutem speratis, &c.* Itaque secundùm Tertullianum hæc loca fidelibus, post toto orbe promulgatam veritatem Euangelicam, inculcanda non sunt: quæ tamen Confessionistæ etiamnum inculcant. Et paulò pòst: *Hanc tibi*, inquit, *fossam determinauit ipse, qui te non vult aliud credere, quàm quod instituit* (& per Ecclesiam tradidit, vt ex toto libri contextu manifestum est) *ideóque nec quærere.* SEMPER *QVÆREMVS*, ET *NVNQVAM* OMNINO CREDEMVS? *Vbi enim erit finis quærendi? Vbi statio credendi? Vbi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronunciatione pulsauit, & Ebion, & Simon*, & Lutherus, & Caluinus, *& omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes me sibi adducant, &c.*

Et infra: *Viderit, qui quærit semper: quia non inuenit. Illic enim quærit, vbi non inuenietur* (videlicet extra infallibilem Ecclesiæ regulam) *Viderit, qui semper pulsat: quia nunquam aperietur. Illic enim pulsat, vbi nemo est* (Quis ergo aperuit Luthero?) *Viderit, qui semper petit: quia nunquam auditur. Ab eo enim petit, qui non audit. Nobis & quærendum est adhuc, & semper: Vbi tamen quæri oportet?*

Apud

Apud hæreticos, vbi omnia extranea, & aduersaria nostra veritati (dixisset Confessionista, hoc ex Scriptura examinandum est) *ad quos vetamur accedere? Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat? Etiam anus illa intra tectum suum* (Ecclesiam suam) *dragmam requirebat, &c.* QVÆRAMVS ERGO IN NOSTRO, ET A NOSTRIS, ET DE NOSTRO, *&c. Si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, & est frater aliquis Doctor* (v. g. Lutherus) *gratia scientiæ donatus, est aliquis inter exercitatos conuersatus, aliquid tecum curiosius tamē quærens;* NOVISSIME IGNORARE MELIVS EST, NE QVOD NON DEBEAS, NORIS. FIDES, *inquit*, TVA TE SALVVM FECIT: NON EXERCITATIO SCRIPTVRARVM. *&c. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certè aut non obstrepant, aut quiescant aduersus Regulam:* NIHIL SCIRE, OMNIA SCIRE EST. *Vt non inimici essent veritatis hæretici, vt de refugiendis eis non præmoneremur; quale est conferre cum hominibus, qui & ipsi adhuc se quærere confitentur? Si enim adhuc quærunt, nihil adhuc certi reprehenderunt: & ideò quodcumque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt, quamdiu quærunt. Itaque tu, qui proinde quæris, spectas ad eos, qui & ipsi quærunt* (nemini credendum dicentes, nisi quod ipsi in Scriptura inuenerint) *dubius ad dubios, incertus ad incertos, cæcus à cæcis in foueam deducaris necesse est. Sed cùm decipiendi gratia prætendant se adhuc quærere* (scopus omnium nostri temporis hæreticorum) *vt nobis per sollicitudinis iniectionem tractatus suos insinuent: denique vbi adierunt ad nos, statim quæ dicebant quærenda esse* (v. g. an Papa sit Antichristus) *defendunt. Iam illos sic debemus refutare, vt sciant nos non Christo, sed sibi negatores esse*

Et paulò pòst addit, tales ad disputationem de Scriptura admittendos non esse, vt supra citatum est: quòd ijs, qui ab Ecclesia se præsciderunt, possessio Scripturarum non competat: ac insuper addit, sine fructu esse omnem disputationem ex Scriptura cum illo, qui Ecclesiam fidei Magistram non audit: *Quid promouebis*, inquit, *exercitatissimè Scripturarum? Cùm, si quid defenderis, negetur; ex diuerso si quid negaueris, defendatur.*

Et

Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentionem; nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Ille verò, si quis est, cuius causâ in congressum descendis Scripturarum, vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? Hoc ipso motus, quòd te videat nihil promouisse, æquo gradu negandi, & defendendi diuersâ parte statutum (quia videlicet contrariæ sententiæ ex Scriptura speciosè probari solent) *Certè & pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresin judicet.* Vnde colligit, in rebus obscuris non ad Scripturas prouocandum; sed ad eos, quibus Scripturarum possessio competit, nimirum ad Ecclesiæ Pastores & Doctores. Et hoc Epiphonemate claudit: *COMMVNICAMVS CVM ECCLESIIS APOSTOLICIS, QVOD NVLLA DOCTRINA DIVERSA: HOC EST TESTIMONIVM VERITATIS.*

RESPONDEO II. Nihilominùs SS. Patres Scripturæ sæpè testimoniis, ad Ecclesiam veram contra hæreticos demonstrandam, vti, tanquam argumento ad hominem: quia videlicet communiter hæretici Scripturas admittere, Ecclesiæ autem judicium contemnere solent. Neque tamen hoc modo ad Scripturam prouocant, quasi singula Ecclesiæ dogmata ante ex Scripturæ testimoniis examinanda sint, quàm Ecclesia vera cognoscenda; sed loca adducunt de Ecclesia in specie loquentia, & affirmantia, quòd toto orbe perpetuâ successionis serie propaganda sit. Constat enim S. Augustinum lib. de Vnit. Eccl. in quo ad Scripturæ se testimonia refert, non singula dogmata, etiam tunc controuersa, per Scripturam examinare; sed tantùm manifesta loca adducere, quibus Ecclesia toto orbe visibiliter diffundenda probatur. Et ideò contra Donatistas de paucitate gloriantes c. 7. dicit: *Quid est hæretici, quòd de paucitate gloriamini; si propterea Dominus noster Iesus Christus mortuus est, vt hereditate multos possideret?* Id quod non minùs contra Confessionistas, quàm contra Donatistas valet. Meisnerus enim pag. 843. docet, paucitatem hominum esse negatiuam Ecclesiæ Notam. Id est, licet non omnes cœtus, qui paucos homines continet, sit vera Christi Ecclesia; illum

tamen non esse veram Ecclesiam, in quo multi reperiuntur. Neque enim Donatistæ minùs quàm Confessionistæ S. Augustino respondere potuissent, ea loca, quæ de amplitudine Ecclesiæ loquuntur, de temporibus Apostolorum intelligenda; non de illo, quo ipsi viuebant. Præsertim cùm Confessionistæ sentiant, Patres cum tota Ecclesia visibili tunc temporis in multis erroribus versatos; & consequenter Donatistis, Ecclesiam visibilem toto orbe perijsse, & in sola Africa visibiliter remansisse docentibus, patrocinentur.

Quia verò idem S. Augustinus pro Ecclesia toto orbe manifestè diffusa clara in Scriptura habebat testimonia; ideò per ea Donatistas, Scripturam admittentes, & Ecclesiam negantes premebat. Sed cùm Scripturæ de alijs dogmatibus obscurè loquerentur, ad Ecclesiæ auctoritatem prouocabat: vt contra eosdem Donatistas in ea controuersia, an baptizati ab hæreticis rebaptizandi sint, passim fecit, præsertim Libris septem de Baptismo, quos contra eosdem conscripsit.

In Articulis autem, per vniuersam Ecclesiam receptis, hæreticos ad suarum sententiarum ex Scriptura contra Ecclesiam defensiones adeò non admittit, vt palam profiteatur, se, posito per impossibile, quòd hæretici manifestis Scripturæ testimonijs Ecclesiam toto orbe diffusam in errore versari probarent, non quidem ampliùs Ecclesiæ esse crediturum; sed nec ijs quoque, qui per Scripturam Ecclesiæ errorem detexissent, quòd per eam Scripturam Ecclesiam erroris conuicisset, cui citra ipsius Ecclesiæ auctoritatem certò & infallibiliter credi non possit. Verba eius lib. cont. Epist. Fundam. c.5. sunt ista: *Quòd si fortè in Euangelio aliquid apertissimum de Manichæi Apostolatu inuenire potueris; infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem, qui jubent, vt tibi non credam: quâ infirmatâ jam nec Euangelio credere potero; quia per eos illi credideram. Ita nihil apud me valebit, quidquid inde protuleris. Quapropter si nihil manifestum de Manichæi Apostolatu* (de reformatione Lutheri) *in Euangelio reperitur, Catholicis potiùs credam, quàm tibi. Si autem inde aliquid manifestum pro Manichæo legeris; nec illis, nec tibi. Illis, quia*

de tu

de te mihi mentiti sunt; tibi autem, quia eam Scripturam mihi profers, cui per illos crediderам, qui mihi mentiti sunt. Sed absit vt Euangelio ego non credam. Verùm hac de re paulò latiùs per sequentem quæstionem.

QVAESTIO IX.

Vtrùm Scripturæ Sacræ citra infallibilem Ecclesiæ auctoritatem certò credi possit?

NOTA I. Non esse quæstionem, an Scriptura sacra per Ecclesiæ auctoritatem infallibilitatem suam accipiat; quia illam in se, independenter ab Ecclesia, à Spiritu sancto habet: sed vtrùm alicuius Scripturæ auctoritas respectu nostri certa & infallibilis esse non possit, citra Ecclesiæ testificationem, quæ ipsi quidem Scripturæ nihil conferat, sed nos tâtùm de ea certò instruat. Eo ferè modo, quo Salomon 3. Reg. 3. duarum mulierum, de eodem infante contendentium controuersiam dirimens, & dicens: *Hæc est Mater eius*, non fecit vt illa mulier esset mater, sed sententiâ suâ tantùm declarauit, eam esse matrem. Et vt peritus Margaritarius, veras margaritas ab adulterinis discernens, non facit vt sint veræ; sed tantùm ijs, qui inter veras & falsas dijudicare non possunt, veritatem ostendit: ita Ecclesia, cùm in dijudicandis veris Scripturis singulorum sententiæ errare possint, vt experientiâ notum est, infallibili sua sententia declarat, quinam libri tanquam sacri ab omnibus suscipiendi sint.

NOTA II. Nihil fide diuina credi posse citra reuelationem Dei, quæ vt Apostolis & Prophetis per immediatam inspirationem facta est, ita nunc ordinariè non fit, absque externo Ecclesiæ ministerio: juxta illud Rom. 10 *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Ergo fides ex auditu; auditus autem per Verbum Christi.* Itaque auditus fidem antecedere debet, & consequenter ante cognoscendi sunt, qui audiri à nobis debent, quàm credere valeamus.

NOTA III. Ecclesiæ testimonium, Articulum aliquem fidei proponentis, non esse merè humanum, vt vult Meisnerus, pag. 13. vbi dicit, locum de Ecclesia esse locum de humano testimonio; sed esse instrumentum Dei, per quod ipse nobis loquitur. Quod enim Ecclesia per publicam auctoritatem suam commendat, Spiritui sancto adscribitur, Act. 15. *Visum est Spiritui sancto, & Nobis.* Suntque Ecclesiæ directores veritatis Euangelicæ testes, diuinitùs nobis commendati, Act. 1 *Eritis mihi testes.* Vnde Ecclesiæ & Spiritus sancti testimonium coniungitur, Ioan. 15. *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Quicumque ergo testimonium Spiritus sancti intelligere vult, Pastores à Deo missos vt Christum ipsum audire debet, qui neque per se immediatè, neque per Angelos, sed per hominum ministeria, quibuscum vsque ad consummationem sæculi futurum se esse promisit, Euangelium suum docere constituit. Non quòd ipsi Pastores sint fidei nostræ lumen; sed quòd testimonium perhibeant de lumine, vt per illos credamus: quia propter imbecillitatem nostram sine isto magisterio Articulos fidei certò discere non possumus; sed omni vento doctrinæ circumferimur. Itaque quamuis Ecclesiæ auctoritas non sit fidei nostræ ratio formalis; est tamen conditio sine qua non credimus: quia nimirum reuelatio Dei per illam nobis proponitur: & in genere causæ exterioris sensibilis, per quam Deus fidem in hominibus gignit; nulla vniuersalior, nulla nobis certior auctoritas datur. Hanc enim nemo fidelium ignorare potest; Scripturam autem sacram multi ne legere quidem possunt.

NOTA IV. Quando Ecclesiam à fidelibus audiendam dicimus, non de sola Ecclesia Romana vel vniuersali in Concilio v. g. congregata sermonem esse; sed de quibuslibet Ecclesiæ ordinariis Pastoribus, qui legitimè ad nos missi Articulos fidei cum auctoritate docent. Neque enim contra vniuersalis Ecclesiæ sensum aliquid vt Articulum fidei quis publicè proponere potest, quin continuò ab aliis notetur. Quæ autem per Ecclesiam nondum definita sunt, in ijs dissen-

sio inter

ſio inter Doctores, citra fidei & vnitatis læſionem, reperiri poteſt, vt S. Auguſtinus Serm. 14. de verb. Apoſt. rectè docet: *Ferendus eſt*, inquit, *diſputator errans in alijs quæſtionibus, non diligenter digeſtis, nondum plenâ Eccleſiæ auctoritate firmatis. Ibi ferendus eſt error; non tantùm progredi debet, vt etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur.*

CONCLVSIO I. Citra infallibilem auctoritatem & deciſionem Eccleſiæ totus Scripturarum ſacrarum Canon nobis certò conſtare non poteſt. Probatur: Quia de multis libris Canonicis aliquando dubitatum eſt, & illi in Canonem publicè recepti non ſunt, niſi per Eccleſiæ auctoritatem. Vt de lib. Iudith. ait S. Hieronymus in præfat. *Liber Iudith inter Hagiographa ab Hebræis legitur, cuius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea iudicatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquieui poſtulationi veſtræ, vt eum ex hebræo in latinum transferrem.*

Concilium Carthag. III. c.47. poſtquam in Canoné retulit eundem librum Iudith, Eſther, Tobiã, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Machabæorum primum & ſecundum, de quibus in multis Eccleſijs dubitatum fuerat, rationem ſubiungit: *Quia à Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.* Si autem Concilium hoc quorundam Patrum auctoritatem, qui in Eccleſiis ſuis libros iſtos tanquam Canonicos legerant, tanti fecit; quanto maior eſſe debet auctoritas totius Eccleſiæ, libros hos vt canonicos vniuerſaliter proponentis?

Similiter ex nouo Teſtamento de Apocalypſi aliquando dubitatum eſt, & ideò in Concilio Laodicenſi, ante 1200. annos c. 59. inter libros Canonicos relata non fuit. Athanaſius autem, qui eam vt Canonicam agnouit, priſcorum Patrũ, licet non omnium auctoritate inductus eſt. Ait enim in Synopſi, ideò ſe eam admittere, *quia à priſcis Sanctis, & Spiritu Dei imbutis Patribus, veluti quæ illius ſit, accepta & approbata eſt.* Similem rationem tradit Tertullianus, lib. 4. contra Marcionem dicens: *Ordo Epiſcoporum, ab Apoſtolis ſuccedentium Apocalypſin Ioanni Euangeliſtæ tribuit.*

S. Hieronymus in Catalogo de Epist. Iacobi ait: *Paulatim tempore procedente obtinuit auctoritatem.* De Epist. Iudæ: *Quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reijcitur: tamen auctoritatem vetustate jam & vsu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.* De Epistola 2. Petri: *A plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam.* De Epist. ad Hebræos, & Apocalypsi in Epist. ad Dardanum: *Nos vtrumque recipimus, veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque vtriusque vtuntur testimonijs, non vt interdum de apocryphis facere solent; sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.* Par ratio est Epist. 2. & 3. Ioannis, de quibus olim dubitatum fuisse testatur Eusebius lib. 3. Hist. c. 25. & Hieron. de Viris illustribus, in Ioanne.

Itaque libri hi omnes, de quibus olim inter multos fideles dubitatum fuit, ab omnibus jam in Canonem recipiuntur, non ob aliam, quàm Ecclesiæ, illos publicè vt Canonicos proponentis, auctoritatem. Hinc enim S. Augustinus Serm. 191. de tempore ait: *Novum & Vetus Testamentum recipimus in illo Librorum numero, quem sancta Ecclesiæ Catholicæ tradit auctoritas.*

Quare nostri temporis Aduersarij, dum quosdam ex his Libris recipiunt, quosdam reiiciunt, nullâ aliâ, quàm priuatâ judicij sui auctoritate nituntur: quo non admittunt, quidquid ipsorum doctrinæ repugnare videtur. Ideò enim potissimùm Libros Machabæorum pro Canonicis non habent, quòd oratio pro defunctis in illis commendetur; quam ipsi contra totius antiquitatis consensum damnant. Ideò Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. c. 4. Epistolam Iacobi Apostolicam negant, quia iustitiam humanam non soli fidei, sed etiam operibus tribuit. Et in hac re antiquos hæreticos imitantur, qui, vt S. Augustinus lib. 11. cont. Faust. c. 2. ait, probabant hanc Scripturam esse Apostolicam, illam non esse; quia hæc pro ipsis sonabat, illa contra ipsos: & ita sibiipsis erant regula veritatis. Sed Ecclesiæ auctoritatem illis opponit, dicens: *Vides, in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum, vsque ad hodiernum*

Digitized by Google

ernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur? Cùm ergò de Libris Machabæorum idem Augustinus Lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 36. dicat: *Machabæorum Libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet*; illos Aduersarii rationabiliter reiicere non possunt, nisi omnes alios, de quibus aliquando dubitatum est, reiicere velint.

DICES: Ecclesia, Libros ante dubios in Canonem recipiens, potissimùm pro directione vsa est regula fidei, quæ in Libris ante vniuersaliter receptis continetur. Sed nostri eâdem regulâ vtentes cognouerunt, quosdam Libros, ab Ecclesia Romana receptos, esse reiiciendos, vt speciatim Libros Machabæorum: tum propter alias causas, tum quia eorum Auctor Lib. 2. c. 2. v. 27. de difficultate operis huius conqueritur, cùm Scriptores Canonici absque omni difficultate scripserint, vel dictauerint. Nam de Ieremia c. 36. dicitur, quòd Notario suo Baruch tanta cum facilitate dictauerit, ac si è libro omnia legeret. Prætereà Auctor Lib. 2. c. 15. v. 39. veniam petit: Ergo signum est, eum non ex directione Spiritus sancti, sed humanâ industriâ Libros istos composuisse.

RESPONDEO I. Ecclesiam Librum aliquem tanquam Canonicum non proponere, nisi diligenter adhibitis quibusdam mediis, quibus falsos Libros à veris discernit: vt antiquitate, Patrum testimoniis, & Regulâ fidei, quæ tum in Scripturis sine controuersia receptis continetur, tum ex continua & vnanimi Maiorum traditione defluxit. Quidquid enim ab hac regula alienum est, non potest non tanquam spurium repudiare. Interim quamuis scriptum aliquod antiquum sit, & quorumdam Patrum testimonia habeat, neque quidquam erroneum contra fidem contineat, hoc ipso tamen vt Scriptura Canonica ab omnibus recipi non debet, nisi publicâ Ecclesiæ auctoritate receptum sit. Ideò enim S. Augustinus apocrypha scripta sæpè nullo alio argumento reiicit, quàm Ecclesiæ auctoritate, quòd in Canonem Catholicum per lucem publicam testificationis recepti non sint: vt Lib. 1. per Serm. Dom. in monte, c. 38. Lib. 22. cont. faust. c. 79. & Lib. 11. cap. 2. Lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 23. vbi ait: *Multa*

Multa sub nominibus Prophetarum & Apostolorum ab hæreticis proferri, quæ omnia sub nomine apocryphorum ab auctoritate Canonica diligenti examinatione remota sunt.

RESPONDEO II. Quamuis Ecclesia non sine diligenti examine veras Scripturas à falsis discernit, hoc tamen eius auctoritatem nulla ratione minuit; nisi Apostolorum quoque auctoritas minor fuit, quia non sine diligenti inquisitione Decretum suum tulerunt, & nihilominus dixerunt: *Visum est Spiritui sancto, & Nobis.* Singuli autem homines priuati, quantumcumque in Scriptura versati sint, & scientiâ alios superare videantur, eam tamen auctoritatem non habent, quàm Ecclesia: I. Quia perpetuâ Spiritus sancti assistentiâ in Articulis fidei dijudicandis & proponendis non diriguntur, vt Ecclesia: quæ ideò *columna & firmamentum veritatis* dicitur. II. Quia licet priuatus aliquis ex certa Spiritus sancti inspiratione cognosceret, quid in re dubia statuendum sit, auctoritatem tamen non haberet, omnibus publicè veritatem illam sub anathemate proponendi, vt publici, & legitimâ ac ordinariâ viâ à Deo vocati Pastores, & Episcopi, quos Spiritus sanctus *posuit regere Ecclesiam Dei. Act. 20.*

His autem Scripturæ & scientiæ prætextu se prætulerunt quotquot hactenus in orbe extiterunt hæretici. Vt enim S. Augustinus Epist. 56. ait: *Illi, qui cùm in vnitate atque communione Catholica non sint, Christiano tamen nomine gloriantur, coguntur aduersari credentibus: & audent imperitos quasi ratione traducere, &c. Sed hoc facere coguntur, vt dixi, quia iacere se abiectissimè sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate Catholica conferatur. Conantur ergo auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicitatione, superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Sed ille fidei Imperator clementissimus, & per Conuentus celeberrimos populorum atque gentium, Sedesque ipsas Apostolorum, arce auctoritatis muniuit Ecclesiam.* Et S. Irenæus lib. 5. *Qui relinquunt,* inquit, *præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt. Tales sunt omnes hæretici, & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant.*

RE-

RESPONDEO III. Non rectè colligi, Libros Machabæorum à Canone excludendos, quia eorum Scriptor *non facilem se laborem, sed plenum vigiliarum & sudoris assumpsisse* dicit. Non enim eodem modo Spiritus sanctus Scriptores sacros direxit: quia Prophetis, non tantùm dum scriberent, astitit; sed etiam scribenda immediatè inspirauit. Alijs autem multis, præsertim historiarum Scriptoribus, non omnia, quæ scribenda erant immediatè reuelauit; sed eos, ad scribendum à se excitatos, proprio labore & industria multa scribentes ita direxit, vt nusquam à vero aberrârint. Hoc modo S. Lucas initio Euangelij sui fatetur, se magna cum diligentia historiam Euangelicam, ex eorum traditione, qui ipsi pleraque viderant, conscripsisse. Prætereà non erroris alicuius veniam petit hic Scriptor, sed tantùm non valdè politi & exacti sermonis: ait enim: *Sicut vinum semper bibere, aut semper aquam contrarium est; ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus.* Si ergo liber iste ideò reijciendus est, etiam multa scripta Pauli reijci poterunt, qui 2. Cor. 11. *6.* se imperitum sermone fatetur. Alia, quæ contra horum librorum auctoritatem obijciuntur, vide refutata apud Bellarm. lib. 1. de Verb. Dei c. 15.

CONCLVSIO II. Confessionistæ, quia Ecclesiæ visibilis infallibilem in consignandis Scripturis auctoritatem negant, fide diuina credere non possunt, libros istos, quos tanquam Canonicos agnoscunt, re ipsa esse tales. Probatur I. Quidquid diuinitùs reuelatum non est, id fide diuina credi non potest; Libros omnes Canonicos, quos Confessionistæ approbant, esse tales non est illis diuinitùs reuelatum: Ergò, quamuis verè tales sint, ab ipsis tamen vt tales fide diuina credi non possunt. Probatur Minor: Quidquid ex mente Confessionistarum diuinitùs reuelatum est, id vel expressè in Scriptura sacra continetur, vel per euidentem consequentiam ex ea deducitur: Hos omnes libros, quos Canonicos esse credunt, reuera tales esse nusquam in Scriptura exprimitur, neque ex vllo Scripturæ testimonio euidenter deduci potest: Ergo hos Libros, cum omnibus & singulis suis partibus, esse Canonicos, ex mente Confessionistarum diuinitùs reuelatũ non est.

II. Ecclesiæ traditio non scripta, secundùm Confessionistas, non est infallibilis: Libros omnes Canonicos esse tales non habemus, nisi per non scriptam Ecclesiæ traditionem, vt fatetur ipse Lutherus, lib. cont. Anabaptistas dicens: *Fatemur sub Papatu plurimùm esse boni Christiani: imò omne bonum Christianum; atque etiam illinc ad nos deuenisse.* Et: *Cogimur Papistis multa largiri & concedere, quoniam vera sunt: In Papatu scilicet esse Verbum Dei, Apostolatum, nosque sacram Scripturam, Baptismum, Sacramenta, prædicandi Officium ab illis sumpsisse. Alioqui quid de illis omnibus nos sciremus?* Caluinus etiam lib. 1. Inst. c. 8. §. 9. *Quærunt*, inquit, *quis nos certiores fecerit, à Mose & Prophetis hæc fuisse scripta, quæ sub eorum nominibus leguntur?* Et respondet: *Certò certius est, ipsorum scripta non aliter peruenisse ad posteros, quàm de manu in manum, vt ita loquar, perpetua annorum serie à Patribus tradita.* Ergo cùm traditio ista secundùm Aduersarios infallibilis non sit, libros Canonicos esse tales infallibiliter credere non possunt.

III. Qui Scripturæ partem aliquam negant, tametsi quandoque ex alia Scriptura quam admittunt ad hominem conuinci possint, vt Manichæos Nouum Testamentũ admittentes, & Vetus negantes ex ipso nouo sæpè confutat S. Augustinus; hoc tamen ipsum in multis Scripturæ partibus locum non habet, & proinde nihil præter Ecclesiæ auctoritaté sæpè opponi potest Scripturam aliquam negantibus. Hinc est quòd præter alios Tertullianus Scripturas sacras contra hæreticos per Ecclesiæ auctoritatem defendit, vt lib. 4. contra Marcionem: *Habemus*, inquit, *& Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin Marcion respuit; ordo tamen Episcoporum, ad originem recensitus, in Ioannem stabit auctorem.* Et paulò pòst, Euangelium Lucæ defendens, inter multa alia dicit; *His ferè compẽdijs vtimur, cùm de Euangelijs aduersus hæreticos expedimur, defendentibus & temporu ordinem, posteritati falsariorum præscribentẽ; & auctoritatem Ecclesiarũ, traditioni Apostolorum patrocinantem.* Apostolicas autẽ Ecclesias lib. de Præscript. docet esse omnes eas, quæ traducẽ fidei ab ijs Ecclesijs per continuam successionem mutuatæ sunt, quas ipsi Apostoli fundauerunt.

IV. S.

IV. S. Augustinus docet, ipsos fideles infallibiliter credere non posse Scripturam esse Verbum Dei, nisi per Ecclesiæ auctoritatem, lib. cont. Epist. Fundam. c. 5. dicens: *EGO VERO EVANGELIO NON CREDEREM, NISI ME CATHOLICÆ ECCLESIÆ COMMOVERET AVCTORITAS. Quibus ergo obtemperaui dicentibus: Crede Euangelio; cur eis non obtemperarem dicentibus: Noli credere Manichæo? Elige quid velis; si dixeris: Crede Catholicis; ipsi me monent, vt nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non possum illis credens nisi tibi non credere. Si dixeris: Noli Catholicis credere; non rectè facies per Euangeliũ me cogere ad Manichæi fidẽ: quia ipsi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autẽ dixeris: Rectè credidisti Catholicis laudantibus Euangelium: sed non rectè illis credidisti vituperantibus Manichæum; vsq; adeò me stultum putas, vt, nulla reddita ratione, quod vis credam; quod non vis, non credam. Multo quippe justiùs, & cautiùs facio, si Catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo: nisi me non credere jusseris; sed manifestissimè ac apertissimè scire aliquid feceris. Quocirca si mihi rationem redditurus es; dimitte Euangelium. Si ad Euangelium te tenes; ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio credidi, & his jubentibus tibi omnino non credam.* Et subiungit, se nec Catholicis, nec Manichæo crediturum, si aliquid manifestum pro Manichæo in Euangelio repetiatur: vt supra citatum est. Ergo sentit, Euangelij certitudinem, respectu nostri, ab Ecclesiæ auctoritate ita pendere, vt, si Ecclesia ex Euangelio falsitatis arguatur, ipsi Euangelio ampliùs credi non possit. Dicit verò cap. præcedente, se Ecclesiæ auctoritatem manifestæ veritati, si ea ostendatur, postpositurum esse: non quòd hoc possibile esse credat; sed quòd hæreticos vrgeat, vt, quoniam ipsi auctoritate Ecclesiæ destituuntur, manifestam veritatem, quam pollicentur, ostendant. Idque non ex Scriptura: quia, vt ex dictis constat, ei se credere non posse asserit, si per ipsam Ecclesiæ Catholicæ infirmetur auctoritas.

OBIICIES I. Scriptura quidem sacra Ecclesiæ testimonio commendatur; sed citra illud varia tum interna, tum externa criteria habet, quibus diligentes rei æstimatores in

eius cognitionem deuenire possunt: vt est doctrinæ ipsius maiestas, orationis simplicitas, puritas, diuinitas, librorum antiquitas, oracula, quæ multis pôst sæculis contigerunt, miracula, quæ in illis recitantur, hostium persecutio, quæ illos de medio tollere non potuit, Martyrum testimonia, populorum consensus, Scriptores rudes, diuersis locis, temporibus, & linguis tantâ concordiâ inter se conspirantes, &c. Vnde ipse Bellarminus, lib. 1. de Verb. Dei c. 2. ait: *Sacris Scripturis, quæ Propheticis, & Apostolicis litteris continentur, nihil est notius, nihil certius; vt stultißimum esse neceße sit, qui illis fidem esse habendam neget. Notißimas enim esse testis est orbis Christianus, & consensio omnium gentium, apud quas multis jam sæculis summam semper auctoritatem obtinuerunt. Certißimas autem, atque verißimas esse, nec humana inuenta, sed oracula diuina continere*, probat ex veritate vaticiniorum, conspiratione Scriptorum, testificatione Dei, ex ipsa Scriptura, cuius veritatem euentus comprobauit, & denique ex infinito miraculorum numero, quibus Scripturæ sacræ dogmata confirmata sunt.

RESPONDEO I. Ista critiria non reperiri in singulis libris Canonicis, nec in omnibus eorum partibus. Neque enim vbique est doctrinæ maiestas, aut clarè se prodens diuinitas; plurimis enim locis vulgaria quædam, & per se humana tantùm referuntur. Neque vbique est sermonis simplicitas, neq; oracula, aut miracula omnibus in locis referuntur, neque conspiratio vbique apparet; sed multoties repugnantia referri videntur, in quibus conciliandis multi hactenus desudarunt, hodieque desudant. Neque totius antiquitatis consensio omnes nobis & singulos Libros commendat, vt patet ex ijs, de quibus antiquitùs dubitatum est.

RESPONDEO II. Negari non posse, quin plerisque in Libris Canonicis ea diuinitatis indicia reperiantur, vt meritò stultitiæ argui poßit, qui libris istis fidem habendam neget. Interim per indicia hæc fidem diuinam generari non posse; sed humanam tantùm persuasionem. Nam si quis negaret Platonem, Aristotelem, vel Ciceronem aliquando extitisse,

titiſſe, ſtultus meritò judicaretur: quia tantâ contenſione tota nobis eos, & eorum ſcripta commendat antiquitas. Nihilominùs auctores iſtos aliquando in mundo extitiſſe fide diuina non creditur, ſed humana tantùm. Idque fatetur Caluinus, dum prolatis his Scripturæ ſacræ critirijs, lib. 1. Inſt. c 8. §. 13. hoc modo loquitur: *Aliæ ſunt, nec paucæ, nec inualidæ rationes, quibus ſua Scripturæ dignitas ac maieſtas non modò aſſeratur pijs pectoribus; ſed aduerſus calumniatorum technas egregiè vindicetur. Sed quæ non ſatis per ſe valeant ad firmam illam fidem comparandam, donec eius reuerentiam cæleſtis Pater, ſuo illic numine patefacto, omni controuerſiâ eximit. Quare tum verè demum ad ſaluificam Dei cognitionem Scriptura ſatisfaciet; vbi interiore Spiritus ſancti perſuaſione fundata fuerit eius certitudo. Quæ verò ad eam confirmandam humana extant teſtimonia, ſic inania non erunt, ſi præcipuum illud & ſummum, velut ſecundaria noſtræ imbecillitatis adminicula, ſubſequantur. Sed ineptè faciunt, qui probari volunt infidelibus, Scripturam eſſe Verbum Dei, quod niſi fide cognoſci nequit.* Ergo critiria iſta omnia, ſecundùm Caluinum, ſunt tantùm humanæ imbecillitatis adminicula, per quæ inducimur, vt facilè nobis Scripturam humano ingenio compoſitam non eſſe perſuadeamus. Certiſſimam autem huius rei notitiam, niſi per internum Spiritus ſancti dictamen, & fidem, non habemus. Atqui dictamen illud, & fides nobis non communicatur, niſi per externam Eccleſiæ teſtificationem: *Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante?* Rom. 10. Ergo Scriptura certâ fide credi non poteſt eſſe Verbum Dei, citra infallibilem Eccleſiæ teſtificantis auctoritatem.

OBIICIES II. Si Scripturæ ſacræ nemo fide diuina crederet, niſi per teſtimonium Eccleſiæ, vltima fidei noſtræ reſolutio fieret in Eccleſiam: Sed hoc dici ſine abſurdo non poteſt; quia fides noſtra vltimò reſolui debet in Verbum Dei, quod eſt Eccleſiâ prius. Ipſa enim ſuper Verbum Dei fundata eſt, & ipſius Verbi miniſtra tantùm eſt.

RESPONDEO I. Vltimam fidei noſtræ reſolutionem non fieri in Eccleſiam; ſed in Deum, veritatem nobis

suam per Ecclesiæ ministerium reuelantem. Ecclesiæ enim vox non est ratio formalis, vel effectiua fidei nostræ, sed tantùm dispositiua: quia nobis ea, quæ credenda sunt, proponit; non dominans, sed cooperans fidei nostræ. Neque enim propter Ecclesiam loquentem credimus; sed propter Deum, qui per Ecclesiam loquitur. Itaque Ecclesiæ auctoritatem non minuit, sed auget, quòd Dei auctoritas maior est. Quia quanto maior est auctoritas eius, cuius instrumentum est Ecclesia, tanto maior est ipsius Ecclesiæ auctoritas. Sed Dei, per os Ecclesiæ, tanquam per ordinarium suum instrumentum, nobis loquentis auctoritas maxima est: Ergo auctoritas Ecclesiæ respectu nostri tanta est, vt in eius sententia acquiescere debeamus. Tametsi enim Ministra Dei est, Magistra tamen nostra est, & legatione sibi à Deo commissâ fungitur dum nos docet. Neque enim minùs Deo credendum est, dum per alios, quàm dum per seipsum nos instruit: aliàs enim nec Prophetis, nec Angelis ex inspiratione & legatione Dei loquentibus credi debuisset. Imò nec Scripturæ sacræ sententijs fide diuina credi posset; quia ipsa non est Deus, sed instrumentum quoddam, per quod Deus loquitur.

RESPONDEO II. Ecclesiam, siue congregationẽ fidelium fundatam esse super Verbum Dei, non vt Confessionistæ intelligunt, quòd super solam Scripturam fundata sit, sed super viuam Verbi Dei prædicationem. Ante enim Christi Ecclesia fundata fuit, quàm noui Testamenti Scriptura conderetur, & promulgaretur. Interim vt Ecclesiæ Pastores, quà fideles sunt, idem cum alijs fundamentum principale, & ministeriale habent; ita, quatenus Pastores sunt, aliorum fidelium fundamentum ministeriale sunt. Et ideò fideles *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum superædificati* dicuntur, *ipso summo angulari lapide Christo Iesu*, Ephes. 2.

OBIICIES III Si tota Ecclesiæ auctoritas, quoad nos, pendet ab auctoritate Scripturæ, tum Scripturæ auctoritas, quoad nos, non pendet ab auctoritate Ecclesiæ, vt mani-

vt manifestum est: Sed verum est prius: Ergo & posterius. Probatur Minor: quia Ecclesiam in fidei Decretis errare non posse probant ex Scriptura, quòd videlicet Christi & Spiritus Sancti præsentia Ecclesiæ in illa promissa sit, vt Matt. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationē sæculi.* Matt. 18. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* Ioan. 16. *Paracletus docebit vos omnem veritatem.*

RESPONDEO I. Negando Minorem: Quia etiam sine Scriptura Ecclesiæ auctoritas fidelibus in Symbolo, quod pueri didicerunt, commendatur: & ex eodem Symbolo auctoritatem Ecclesiæ etiam ij discunt, qui de Scripturis nihil vnquam legerunt, vel legere possunt.

RESPONDEO II Nihilominùs singulari Dei prouidentiâ factum esse, vt mutuum sit Ecclesiæ & Scripturæ de se inuicem testimonium: vt nimirum hæretici, qui Scripturæ prætextu Ecclesiæ auctoritatem eleuare conantur, ex ipsa Scriptura redargui possint. Neque verò absurdum est, Scripturam per Ecclesiæ doctrinam nobis innotescere, & ipsam Ecclesiam per Scripturæ testimonia confirmari. Sic enim Ioannes testimonio suo homines ad Christum manuduxit, Ioan. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Et Christus Ioannis testimonium confirmauit, Matt. 11. 9. *Quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam.* Sic Ioannes Euangelista Euangelio suo testimonium perhibet, Ioan. 21. 24. *Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium eius.* Et ipsum Euangelium de Ioanne testatur, quòd sit *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Sic Pater Filio testimonium perhibuit, Matt. 3. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Filius similiter Patri, Ioan. 17. 4. *Ego te clarificaui super terram.* Apostolorum auctoritas ex Euangelijs probatur; & tamen quidam Apostoli Euangelia conscripserunt. Vt & Paulus in scriptis suis suam ipsius auctoritatem asserit, 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei.* Nemini proinde absurdum

absurdum videri debet, quòd Ecclesia nobis Symbolum, & Scripturam tradat, & ipsa in Symbolo & Scriptura commendetur. Si enim Apostoli de sua ipsorum auctoritate scribere, & Scripturam illam alijs credendam proponere potuerunt; quid ni possit Ecclesia, per Apostolos & viros Apostolicos, continua annorum serie traditum sibi Symbolum, & Scripturam credendam proponere, quamuis ipsa ex illis cõfirmetur?

OBIICIES IV. Si Ecclesiæ credere possumus propter Ecclesiam, ergo & Scripturæ propter Scripturam: Scriptura enim fidei nostræ principia continet, & proinde sicut in alijs disciplinis principia probãda non sunt, sed supponéda; ita Scriptura probatione non eget; sed seipsam luce sua cœlesti manifestat, & in animos hominum penetrat.

RESPONDEO: Negando sequelam: Quia quamuis Scriptura est Verbum Dei, non tamen est vox Dei nos alloquens, & de se testificans, quòd ipsa sit Verbum Dei. Ecclesiæ autem vox est organum Dei, per quod ipse nos instruit, quodnam reuera sit Verbum suum, & quo sensu ab ipso prolatum sit. Quemadmodum ergo lux, dum alia manifestat, seipsam simul manifestam facit, ita Ecclesia, alia nobis credenda proponens, simul sese Magistram nostram, & diuinæ veritatis testem esse docet. Vt & Apostolos fecisse legimus, Act. 2. 23. dicentes: *Hunc Iesum suscitauit Deus, cuius nos testes sumus,* Act. 5. 32. *Nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Scriptura autem hac ratione seipsam non manifestat, nec testimonium de se fert, quòd secundùm se totam sit Verbum Dei. Hoc ergo aliunde nobis constare debet. Et sicut initio Ecclesiæ doctrinæ Apostolicæ veritas per miracula, tanquam hominibus notiora, probabatur; ita Scripturæ veritaté, stabilitâ jam Ecclesiâ, per huius auctoritatem, tanquam nobis notiorem, cognoscimus. Iuxta illud S. Augustini lib. de Vtilitat. credendi c. 14. *Christus miraculis conciliauit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roborauit Religionem.* Non tamen dicimus,

Digitized by Google

mus, Scripturam per se Ecclesiæ probatione indigere; sed tantùm nos, propter rei obscuritatem, & nostram in dijudicando imbecillitatem aliena & infallibili directione opus habere: quam qui contemnunt, in grauissimos circa hanc rem errores incidere solent.

Porrò inter Scripturam sacram, & humanarum disciplinarum principia non est ponenda paritas: principia enim hæc quamuis propter ruditatem eorum, qui ad disciplinas accedunt, aliquando à posteriori probentur; posteà tamen manifestè in se cognoscuntur: quia ad illorum notitiam nihil aliud requiritur, quàm terminorum perfecta cognitio, quæ naturaliter haberi potest. Scripturam autem sacram secundùm omnes suas partes esse Verbum Dei, fidelibus semper obscurum manet: & proinde non per ipsius Scripturæ lectionem, sed per Ecclesiæ prædicationem, per quam nobis loqui constituit Deus, innotescere debet. In aliis quippe disciplinis potissima discentium consideratio non est, quis doceat; sed quid doceatur. In fidei verò schola, vbi non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas fideles facit, prima & fundamentalis cura esse debet, vt eos cognoscamus, quos audiendos nobis Christus, & Apostoli commendarunt: videlicet ordinarios Pastores, & Doctores, quos dedit Deus in ædificationem Corporis Christi, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, Ephes. 4.

QVAESTIO X.

Vtrùm ex Confessionis August. verbis sequatur, non Lutheranam, sed Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam Christi.

CONCLVSIO I. Ex multis Confessionis August. dictis sequitur, Lutheranam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam Christi. Probatur I. Quia Ecclesia, quæ in Articulis fidei discrepat ab antiquorum & orthodoxorum Patrum Ecclesia, non est Ecclesia vera Christi: Ecclesia Lutherana in Articulis fidei ab antiquorum & orthodoxorum Patrum Ecclesia discrepat: Ergo non est Ecclesia vera Christi.

Probatur Maior: Quia Confessio August. in fine Art. XXI. dicit, inclementer judicare eos, qui Lutheranos pro hæreticis haberi postulant: cùm in nullo fidei Articulo ab Ecclesia Romana, quantum ex Patrum scriptis colligi potest, ipsi discrepent. Sed *totam dissensionem esse de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in Ecclesias irrepserint.* Ergo Confessio August. insinuat, Lutheranos citra iniuriam posse judicari hæreticos, & ab Ecclesia Christi alienos, si non tantùm quosdam prætensos abusus mutent, sed in Articulis etiam fidei ab Ecclesia antiqua, quantum ex Patrum scriptis colligi potest, dissentiant. Atqui in plurimis fidei Articulis ab Antiqua Ecclesia hoc modo dissentiunt Lutherani; & propterea antiquorum Patrum scripta, sibi contraria, erroris accusare solent. Imò Lutherus in Sermone quodam sub comitiis Spirensibus An. 1526. habito, adeò nullum antiquæ Ecclesiæ, & doctrinæ suæ consensum esse vidit, vt dixerit: *Euangelium tam copiosè à se prædicatum esse, vt tam clarum non fuerit tempore Apostolorum*, teste Cochlæo in Actis Lutheri.

II. Congregatio, quæ in Articulis fidei à tota Christi Ecclesia aliena est, non est Ecclesia Christi: Congregatio Lutherana in Articulis fidei à tota Christi Ecclesia aliena est: Ergo Congregatio Lutherana non est Ecclesia Christi. Probatur Minor (Maior enim in terminis clara est) ex his Apologiæ verbis ad Art. X. *Hæc recitauimus, vt clariùs perspicerent, quicumque ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint Corpus & Sanguis Christi, &c.* Et totam hanc Ecclesiam paulò ante vocat Romanam & Græcam. Sed Congregatio Lutherana in plurimis fidei Art. à tota hac Ecclesia aliena est, vt ex ipso Art. de Cœna Domini constat, de quo multa contra hanc Ecclesiam docet. Ergo vt Apologia paulò ante Anabaptistas ab Ecclesia sua separat, ita Ecclesia Lutherana ob similem causam à tota Christi Ecclesia separata est.

III. Quicumque noua, & ab antiqua Ecclesia damnata dogmata pertinaciter defendunt, nō sunt in Ecclesia Chri-

Digitized by Google

ſti (ideò enim Confeſſio Variata Art. XXI. dicit: *Non aſpernamur conſenſum Catholicæ Eccleſiæ, nec eſt animus nobis vllum nouum dogma, & ignotum ſanctæ Eccleſiæ inuehere in Eccleſiam: nec patrocinari impijs, aut ſeditioſis opinionibus volumus, quas Catholica Eccleſia damnauit*) Sed Lutherani noua, & ab antiqua Eccleſia damnata dogmata pertinaciter defendunt, vt ex antedictis colligitur: Ergo Lutherani non ſunt in Eccleſia Chriſti.

IV. Quicumque propter vitia, & abuſus, ſiue Sacerdotum, ſiue populi ſchiſmata excitant, non ſunt in Eccleſia Chriſti: Lutherani propter vitia, & abuſus, ſiue veros, ſiue confictos ſchiſmata excitarunt, & Eccleſiæ vnitatem ſciderunt: Ergo Lutherani non ſunt in Eccleſia Chriſti. Probatur Maior ex his Apologiæ ad Art. VIII. verbis: *Cæterùm monuit nos Chriſtus, ne offenſi priuatis vitijs, ſiue Sacerdotum, ſiue populi ſchiſmata excitemus: ſicut ſceleratè fecerunt Donatiſtæ.* Ergo ſicut Donatiſtæ non fuerunt in vera Chriſti Eccleſia, ita nec illi, qui propter vitia & abuſus populi Chriſtiani ſuperiore ſæculo ſchiſmata excitarunt. Probatur Minor: quia Confeſſio docet, diſſenſionem inter Catholicos & Lutheranos tantùm eſſe in paucis quibusdam abuſibus traditionum: Atqui tales abuſus Eccleſiæ vnitatem non ſcindunt, vt in Confeſſione & Apologia de Eccleſia traditur: Ergo, cùm Lutherani propter tales abuſus ſe ab orbe Chriſtiano ſeparauerint, & eum vt Antichriſtianum damnent, more Donatiſtarum ſchiſmata ſceleratè excitarunt, & ſe ab Eccleſiæ vnitate præſciderunt.

DICES: Confeſſio & Apologia ſæpè docent, cur Lutherani ſe ab Eccleſia Romana ſeparare debuerint: videlicet propter ſæuitiam Epiſcoporum, ipſos perſequentium. Sic enim loquitur Apologia ad Art. XIV. *Sæuitia Epiſcoporum in cauſa eſt, quare alicubi diſſoluatur illa Canonica politia, quam nos magnoperè cupiebamus conſeruare. Ipſi viderint, quomodo rationem Deo reddituri ſint, qui diſſipant Eccleſiam. Noſtræ conſcientiæ hac in re nihil habent periculi: quia cùm ſciamus Confeſſionem noſtram veram, piam, & catholicam eſſe; non debemus approbare ſæuitiam*

istorum, qui hanc doctrinam persequuntur, &c. Porrò hîc iterum volumus testatum, nos libenter conseruaturos esse Ecclesiasticam & Canonicam politiam, si modo Episcopi desinant in nostras Ecclesias sæuire. Hæc nostra voluntas & coram Deo, & apud omnes gentes, & ad omnem posteritatem excusabit nos, ne nobis imputari possit, quòd Episcoporum auctoritas labefactatur.

RESPONDEO: Hoc ipsum signum esse, quòd Ecclesia Lutherana non sit vera Ecclesia Christi. Vel enim Episcopi, quibuscum se in vnitate politiæ Ecclesiasticæ coniuncturos profitentur, si modò in ipsos sæuire desistant, sunt in vera Ecclesia; vel non sunt. Si prius; Ecclesia Lutherana, in plurimis fidei Articulis illis contraria, non est vera Christi Ecclesia. Sin posterius; quomodo se coram Deo excusatos fore arbitrantur, si Antichristo, vt Papam vocant, si Idololatris, vt omnes Catholicos appellant, se coniungere parati sint, & Episcoporum auctoritatem tueri, modò in ipsos sæuire desinant? Anne si Turca, quo non pauci deteriores nos esse credunt, in ipsos sæuire desinat, parati esse poterunt ad Mahumeticam eius politiam & auctoritatem conseruandam? Quis non videt, ad Christi Ecclesiam, quæ tot Martyrum sanguine fundata est, non pertinere, qui schismatis sui non aliam causam prætendunt, quàm sæuitiam? Ita vt eâ sublatâ ad communicandum cum ijs se offerant, qui ipsorum judicio Christi sunt hostes infensissimi? Hoccine est veram Religionem ad sanguinem vsque defendere, cum Christi, sua opinione, Aduersariis non tantùm pacem inire velle; sed & eorum Canonicam & Ecclesiasticam politiam conseruare, modò commodè inter ipsos cum liberis & vxoribus viuere concedatur? Tales nimirum Ecclesiam Lutheranam decebat habere Confessores! Tales Martyres!

CONCLVSIO II. Ex Confessionis August. doctrina sequitur, solam Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam Christi. Probatur I. Illa est vera Christi Ecclesia, quæ in Christi Confessione sola perpetuò & continuò mansit à temporibus Apostolorum vsque ad nos: Sola Romana Ecclesia à tempo-

à temporibus Apostolorum ad nos vsque in Christi confessione perpetuò & continuò mansit: Ergo Ecclesia Romana sola est vera Ecclesia Christi. Probatur Maior: Quia veram Christi Ecclesiam perpetuò mansuram esse docet Confessio, Art. VII. Quòd autem eam de Ecclesia inuisibili loqui dicunt Confessionistæ, jam supra refutatum est. Nam de illa Ecclesia loquitur, quæ purè prædicat Euangelium, & Sacramenta rectè administrat (hanc quippe Ecclesiæ perpetuò mãsuræ definitionem ponit Confessio) sed Ecclesia illa non est inuisibilis, cùm prædicatoribus & auditoribus, inuicem cognoscentibus, & in eorundem Sacramentorum communione visibiliter existentibus constet.

Probatur Minor: Quia Ecclesiam Romanam ab Apostolis Petro & Paulo fundatam, & ipsorum sanguine consecratam esse docent antiquissimi, & Apostolorum æuo proximi Scriptores: Vt Tertullianus supra citatus, Irenæus lib. 3. c. 1. dicens: *Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Euangelij, cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam.* Vt alios interim breuitatis studio omittam. Posteà autem à veritate doctrinæ Apostolicæ Ecclesiam illam nunquam defecisse probari potest: Quia neque tempus quo, neque fidei Articulus circa quem, neque Personæ nominari possunt per quas Romana Ecclesia, alio aliquo hominum cœtu publicè reclamante, deficere cœperit. Quæ tamen in cuiuscumque congregationis defectu demonstrari possunt.

Item si per aliquot centenos annos ante Lutherum nulla alia Ecclesia continuò mansit, quæ quidem potuerit esse vera, præter Romanam; vel Romana est vera Christi Ecclesia; vel nulla talis in orbe superest (vera enim Ecclesia continuò manere debet, vt ex dictis constat) Sed alia nulla Ecclesia, quæ ipsis Aduersarijs Iudicibus vera dici possit, per aliquot centenos annos ante Lutherum præter Romanam continuò mansit: Ergo vel Romana est vera Christi Ecclesia, vel nulla talis in orbe superest.

Probatur Minor: Quia præter Romanam Ecclesiam ante Lutherum, sub Christiano nomine, fuit Ecclesia Græca, & quorundam hæreticorum synagogæ, in innumeras Sectas dissectorum, & ab Ecclesia Romana damnatorũ. Sed hi non manserunt in eadem fide continuò, & plerorumque initia demonstrari possunt: nec jam ampliùs per Dei gratiam supersunt. Illa quoque, quatenus à Romana Ecclesia diuisa est, perpetuam durationem non habuit: & ipsorum Confessionistarum judicio grauissimè errat, præsertim in Art. de Spiritu sancto, & de libero voluntatis humanæ arbitrio. Manifestè enim pelagianizant Græci, dum in Resp. ad Art. XVIII. Confess. August. per Patriarcham suum aiunt: *Oportet nos primò eligere bona, tunc ipse suum addet. Non anteuertit ille nostras voluntates: Cur? Ne officiat nostro arbitrio. Verùm quando nos elegimus, tunc ipse strenuam operam nobis nauat.* Ergo Ecclesia Græcorũ non est vera Christi Ecclesia, quia Verbũ Dei non purè prædicat. Quatenus verò cum Romana Ecclesia conspirat, eius veritatem contra Confessionistas defendit, vt vel constare potest ex dicta Responsione Patriarchæ Constantinopolitani ad Confess. August.

II. Ecclesia cuius membra veram sanctitatem habent, est vera Ecclesia Christi: Ecclesiæ Romanæ membra veram sanctitatẽ habent: Ergo Ecclesia Romana est vera Ecclesia Christi. Probatur Maior: Quia vera sanctitas non potest esse, nisi in veræ Ecclesiæ membris: ideò enim sola Ecclesia vera vocatur sancta. Et ipsa Confess. August. definit eam *Congregationem Sanctorum*. Probatur Minor: Quia Bernardus, Franciscus, Dominicus fuerunt Ecclesiæ Romanæ membra. Nam & Summum Pontificem agnouerunt; & omnes Ecclesiæ Romanæ Articulos ritusque vniuersales amplexi sunt; & non tantùm Monachi, sed & Monachorum, etiamnum in Ecclesia Romana existentium, Patriarchæ fuerunt. Sed isti viri veram sanctitatem habuerunt: Quia Apologia in Art. de Iustif. ait: *Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij Sancti Patres*

Digitized by Google

Patres elegerunt certum vitæ genus, vel propter studia, vel propter alia vtilia exercitia. Et Art. de Votis Monast. *Obedientia, paupertas, & cœlibatus, si tamen non sit impurus, exercitia sunt adiaphora: ideoque Sancti vti eis sine impietate possunt. Sicut vsi sunt Bernardus, Franciscus, & alij Sancti Viri.*

Dicunt quidem Confessionistæ, hos fuisse Sanctos, non quatenus Ecclesiæ Romanæ dogmata, hodiè controuersa, coluerunt; sed quatenus in fundamentali Articulo Lutheranis consenserunt. Ait enim Apologia statim post verba primò loco citata: *Interim sentiebant, se fide propter Christum Iustos reputari; & habere Deum propitium propter Christum; non propter illa exercitia.* Sed vt ex dictis constat, nos etiam sentimus, hominem non propter vlla opera sua; sed propter Christum habere Deum propitium: nec tamen ideò ad Ecclesiam Lutheranam pertinemus. Alio autem longè sensu per fidem, & diuinæ misericordiæ fiduciã justificari homines docuerunt isti SS. Patres, & docet moderna Ecclesia Romãa, alio Lutherani. Quia, vt in Apologia de Ecclesia dicitur, pleraque, quæ Ecclesia Romana contra Confessionistas tenet, fidei Lutheranæ fundamentum euertunt: vt celebratio Missæ, inuocatio Sanctorum, Vota monastica, &c. Cùm ergo Sancti supra nominati non minùs ista tenuerint, quàm moderna Ecclesia Romana, ad Ecclesiam Lutheranam nisi ridiculè admodum referri nulla ratione possunt: nisi nos quoque ad Ecclesiam illam spectare velint, quantumuis Articulos ab istis Patribus acceptos constanter, vsque ad extremum vitæ spiritum, contra Confessionistas defendamus.

III. Ecclesia Catholica est vera Christi Ecclesia, vt omnes concedunt: Romana Ecclesia est Ecclesia Catholica: Ergo Romana Ecclesia est vera Ecclesia Christi. Probatur Minor: Quia Confessio August. Ecclesiam Romanam aliquoties Catholicam vocat: vt in præfatione ad Lectores: *Speramus*, inquit, *omnes bonos ac prudentes viros vbique gentium his Libellis lectis intellecturos esse, quòd nullum dogma*

contra

contra auctoritatem Scripturæ sanctæ, & Catholicæ Ecclesiæ profiteamur. Sed quòd nostri optimo iure abusus quosdam reprehēderint. Et in fine Art. XXI. *Hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota est, &c. Tota dissensio est de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in Ecclesias irrepserunt.* Et in præfatione Art. de Abusibus: *Cùm Ecclesiæ*, inquit, *apud nos in nullo Articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantùm paucos quosdam abusus omittant, &c.* Cũ enim Cõfessio dicat, in nullo se fidei Articulo ab Ecclesia Catholica dissentire, sed tantùm paucos eius abusus omittere, manifestum est, quòd Ecclesiam Romanam Catholicam vocet; quia abusus, quos corrigendos proponit, Ecclesiæ Romanæ, & non alteri obijcit.

OBIICIES: Quidquid sit de Catholici vocabulo, ex Confess. August. manifestè deducitur, Ecclesiam Romanam non esse verè Catholicam. *Vera enim, & Catholica Ecclesia religiosè credit, traditque vniuersa, quæ docuerunt Prophetæ & Apostoli: neque asserit quidquam Dei Verbo contrarium*: vt loquitur Meisnerus pag. 300. Sed ex Confess. August. constat, Ecclesiam Romanam plurima Verbo Dei contraria docere: Ergo Ecclesia Romana secundùm Confess. August. non est Catholica.

RESPONDEO I. Ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen, tanquam veræ Christi Ecclesiæ indicium à SS. Patribus allegari. Hinc enim S. Augustinus lib. cont. Epist. Fundam. c. 4. ait: *Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen*, vt supra citatum est. Et lib. de vera Relig. c. 7. *Tenenda*, inquit, *est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam dicunt. Non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quæ ab vniuerso orbe nuncupatur.* Similia habent Cyrillus Cateches. 18. Pacianus Epist. 1. ad Symp.

Symp. Cyprianus, Tertullianus, Alij. Porrò si Confessionistæ, qui inter suos se Catholicos vocant, cum extraneis & ignotis loquantur, anne intelligi poterunt, Catholicam Ecclesiam aliam vocantes quàm Romanam? Si quis enim se Catholicum dicat, & non Romanum, quis intelliget, Lutheranusne sit, an Caluinista, an Anabaptista, an alius? Qui verò se Catholicum, sine alterius vocabuli additione profitetur, etiam ab Aduersariis continuò intelligitur ad Ecclesiam Romanam pertinere. Ergo signum est vocabulum istud Ecclesiæ Romanæ, prout omnes toto orbe Ecclesias sibi subiectas comprehendit, ita proprium esse, vt nulli alteri cœtui conuenire possit.

RESPONDEO II. Confessionem August. non nudum Catholicæ vocabulum Ecclesiæ Romanæ tribuere, sed etiam rem ipsam: Ecclesia enim in omnibus fidei Art. rectè sentiens, est Ecclesia Catholica; licet in paucis quibusdam rituum & traditionum abusibus erret, vt Confessio Art. VII. docet; Sed Ecclesia Romana in omnibus fidei Art. rectè sentit, & tantùm paucos abusus ex mente Confessionis omittendos tenet (Ideò enim profitetur Confessio, in nullo se fidei Art. à Romana Ecclesia dissentire, quatenus ex Scriptoribus nota est) Ergo Ecclesiam Romanam ex Confessionis August. verbis conuincitur esse, non tantùm dici Catholicam

RESPONDEO III. Vt in singulis, quæ Ecclesiæ Catholicæ Confessionistæ opponunt antiquorum se hæreticorum discipulos ostendant, etiam hoc loco obiiciunt, quod olim obiiciebant ipsorum Maiores: videlicet Catholicam Ecclesiam non à perpetua duratione, & amplitudine talem dici, sed ab vniuersali doctrinæ Euangelicæ veritate. De qua re S. Augustinus Epist. 48. ita loquitur: *Acutum autem aliquid videris dicere, cùm Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris; sed ex obseruatione præceptorum omnium diuinorum, atque omnium Sacramentorum. Quasi nos etiam (si fortè hinc sit appellata Catholica, quòd totum veraciter teneat, cuius veritatis nonnullæ particulæ etiam in diuersis inueniuntur hæresibus huius*

Tt *nominis*

nominis testimonio nitamur, ad demonstrandam Ecclesiam in omnibus gentibus; & non promissu Dei, & tam multis tamque manifestis oraculis ipsius veritatis. Sed nempe hoc est totum, quod nobis persuadere conaris, solos remansisse Rogatistas(Confessionistas) *qui Catholici rectè apellandi sunt, ex obseruatione praeceptorum omnium diuinorum, atque omnium Sacramentorum: & vos esse solos, in quibus inueniat fidem, cùm venerit Filius hominis. Da veniam: Non credimus, &c. Nos enim Apostolus ita cautos reddidit, vt etiam Angelum de cœlo nobis aliud euangelizantem, praeterquàm quod accepimus* (ab Ecclesia visibiliter crescente in omnibus gentibus vsque ad finem sæculi, vt ex verbis, quæ paulò ante leguntur, manifestum est) *anathema debere esse praeceperit, &c. Qualibet quisque ansas, & vncos aduersùs simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callida falsitatis offundat; sicut anathema erit, qui annunciauerit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse; quoniam in veritate Euangelica accepimus: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die. Sic erit anathema, quisquis annunciauerit Ecclesiam, praeter communionem omnium gentium: quia eadem veritate consequenter accepimus; Et praedicari in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes.*

Itaque cum S. August. & alijs SS. Patribus concedimus, Ecclesiam Catholicam etiam ideò talem esse, quia vniuersam veritatem Euangelicam sine errore docet, cuius partes tantùm, multis erroribus permixtas, profitētur hæretici: sed cum ijsdē Patribus ab amplitudine, & antiquitate, per continuam successionem ad nos vsque deriuata Ecclesiam Catholicam ab hæreticorum synagogis, & ipsam doctrinam orthodoxam ab heterodoxa discernimus. Si enim contingeret plures aliquando eiusdem nominis & professionis esse hæreticos, quàm Catholicos; à nouitate erroris conuinci possent: si paucos ab orbe Christiano se separare, vt initio Confessionistæ fecerunt; ab amplitudine quoque Ecclesiæ Catholicæ duci posset argumentum. Vt Vincentius Lirinensis c. 4. docet. Et quid ni ad Confessionistas, ante centum annos Confessionem August.

cudentes

cudentes dici potuerit, quod loco citato ad Donatiſtas dicit S. Auguſtinus: *Planè & Iudæi, & Pagani, ſi tam paucos putarent eſſe Chriſtianos, quàm pauci vos eſtis* (qui ante vnicum ſæculum nulli fuiſtis) *qui ſolos vos Chriſtianos* (Chriſti Euangelium purè profitentes) *eſſe perhibetis; nec blaſphemare vos dignarentur: ſed & nunquam ridere ceſſarent. Non timetis, ne vobis dicant Iudæi: Vbi eſt, quod Paulus veſter Eccleſiam veſtram intelligit, vbi dictum eſt: Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & exclama, quæ non parturis: quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius quæ habet virum; præponens multitudinem Chriſtianorum multitudini Iudæorum; ſi Chriſti Eccleſia eſt paucitas veſtra*, in qua ante vos ne vnicum quidem per mille & plures annos nominare poteſtis?

Sed vt pauci Confeſſioniſtæ, antiquorum hæreticorum more, ante centum hos annos ab orbis Chriſtiani communione nouiter ſe, titulo corruptelæ veteris Eccleſiæ, ſeparaiunt, & vt contra eiuſdem Eccleſiæ veritatem & auctoritatem iiſdem ferè argumentis vtuntur, quibus vſi ſunt quos orthodoxa antiquitas hæreticos iudicauit, & quos ipſi Confeſſioniſtæ tales iudicare debent; an eâdem ratione cum his prodromis ſuis in moribus conueniant, iudicent ipſi ex Tertulliani Lib. de Præſcript. hæret. verbis: *Non omittam*, inquit, *ipſius etiam conuerſationis hæreticæ deſcriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana ſit, &c. Pacem paſſim cum omnibus miſcent: nihil enim inuerum* (falſum) *eſt illis, licet diuerſa tractantibus* (ſiue Caluiniani, ſiue Zvvingliani, ſiue Lutherani fuerint) *dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent. Omnes ſcientiam pollicentur: ante ſunt perfecti Catechumeni, quàm edocti. Ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, fortaſſè an & tingere*, & abſoluere? *Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes. Nunc Neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros; vt gloriâ eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laici ſacerdotalia munera iniungunt. De Verbi*

autem administratione quid dicam? Cùm hoc sit negotium illis, non Ethnicos conuertendi; sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam; non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent, &c. Mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque perinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ea composuit, qui tradidit. Agnoscit naturam suam & originis suæ more profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino: idem Marcionitis, quod Marcioni (Lutheranis, quod Luthero) *de arbitrio suo fidem innouare.* Et concludit: *Adeò & de genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest; doctrinæ inde disciplina est.* Hæc ille ante annos 1400.

Nos verò quia adhuc in Ecclesia Romana videmus, quæ olim in sui temporis Ecclesia considerauit S. Augustinus, vt testatur Lib. de Vtilit. credendi, c.17. *Quòd continentia in tam multis, vsque ad tenuissimum victum panis & aquæ; & non quotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia: quòd castitas vsque ad coniugij prolisque contemptum: quòd patientia vsque ad cruces flammasque neglectas: quòd liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus: quòd denique totius huius mundi aspernatio vsque ad desiderium mortis intenditur.* Et quamuis *pauci hæc faciunt; pauciores benè, prudenterque faciunt; populi tamen probant, populi audiunt, populi fauent, diligunt postremò populi, populi suam imbecillitatem, quòd ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Quia* inquam, eiusdem verba continuando, *hoc factum est diuinâ prouidentiâ, per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis digna rebus tantis, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula*; ex hactenus dictis cum eodem August. ibid. concludimus: *Cùm tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus; dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad Confessionem generis humani, ab Apo-*

Digitized by Google

ſtolica Sede per ſucceßiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnantis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primitias dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. Nam ſi nulla certa ad ſapientiam ſalutemque animis via eſt, niſi cùm eos rationi præcolit fides; quid eſt aliud ingratum eſſe opi atque auxilio diuino, quàm tanto labore præditæ auctoritati velle reſiſtere?

ATQVE HÆC PRO INSTITVTA BREVITATE DE ECCLESIA DICTA SINT SATIS.

Quia tamen Iſaacus Frœreiſenius, Profeſſor Argentoratenſis de hac materia contra Theſes, ante quinque ferè annos ſub me habitas, duodecim prolixas Diſputationes, per aliquot annos elaboratas, publicè ventilandas propoſuit, & hoc ipſo anno vltimam abſoluit; ac proinde in poſtremis Nundinis Francofordienſibus Catalogo tanquam nouum opus inſeruit, ſub hoc titulo: *FAX CATHOLICÆ VERITATIS PRO INVENIENDA VERA CHRISTI IN HIS TERRIS MILITANTE ECCLESIA, THOMÆ HENRICI PROFESSORI FRIBVRGENSI, EIVSQVE COMPLICIBVS IESVITIS ACCENSA, ET PRÆLATA*; pauca hoc loco monenda ſunt. Indignabitur enim ſcio, vel potiùs triumphabit, quòd nullam hactenus de illo fecerim mentionem. Prout in primo ſtatim exordio de Eccleſia pag. 2. triumphat, quòd tres Diſputationes de Euchariſtia, quas Diſputationi de eodem ſubiecto Anno 1625. 11. Iunij ſub me habitas, per alium tamen, oppoſuit, non refutauerim, inquiens: *Iam enim ſemel Scuto Catholicæ veritatis* (talem Diſputationibus iſtis titulum præfixit) *victus ſuccubuit Henrici, animumque deſpondit, ſua anno ſuperiori paradoxa de Tranſubſtantiatione, portenta de πωληριοκλεψία, de Miſſa horrendæ abominationis βδελύγματα, à nobis è Scripturis detecta, & confutata aſſumere, ac defendere. Ideò ne fortè in ſuſpicionem apud ſuos abripiatur, ac ſi viſo noſtro Scuto, velut ex Gorgonij capitis aſpectu, in Saxum conuerſus eſſet; ad iſtud commune Aſſeclarum receptaculum, ceu vltimum cauſæ Pontificiæ (vt ſuauiter ſomniant) aſylum*

sese recipit: & solius Ecclesiæ specioso titulo sat tutũ se fore opinatur.

Sed fallitur, & fallit Frœreisenius luculentissimè. Non enim viso ipsius Scuto ad Disputationem de Ecclesia me recepi; sed Disputatio ista ante sub prælo erat, quàm Scutum ipsius videre contingeret. Cùm enim circa finem Decembris Anni 1625. Scutum illud absolutum fuerit (vltima enim eius Disputatio habita est 22. Decembris) post nouum annum, cùm Theses de Ecclesia ferè totæ excusæ essent, ad manus meas primùm peruenit. Quia verò pauca adhuc tum imprimenda restabant, circa finem Scuti Frœreiseniani mentionem quandam feci.

Porro Disputationis de Ecclesia occasione vsus Præfationem quandam vltimò impressam, ei præfixi, in qua ostendi, sine fine, & fructu cum Aduersarijs de alijs Articulis controuersis longas Disputationes iniri, nisi ante constitutum sit, quænam sit vera Christi in terris Ecclesia, cuius auctoritate in obscuris quæstionibus niti debeamus. Idque non Prætoriâ vel Dictatoriâ censurâ, vt calumniatur Frœreisenius; sed SS. Patrum exemplo, qui ad hanc auctoritatem in dubijs, per Scripturam non satis clarè expressis, semper prouocârunt. In primis enim quid aliud vtrimque agimus, dum quasuis controuersias disputamus, quàm vt ostendatur, cuinam Religioni tanquam veræ se tradere omnes debeant. Atqui generalem in tali dubio regulam tradit S. Augustinus lib. de vtilit. credend. c. 7. dicens: *Quæ cùm ita sint; fac nos vt dixi nunc primum quærere, cuinam Religioni animas nostras purgandas, instaurandasq; tradamus:* RROCVL DVBIO A CATHOLICA ECCLESIA SVMENDVM EXORDIVM. *Plures enim iam Christiani sunt, quã si Iudæi simulachrorũ cultoribus adiungãtur. Eorũdẽ autẽ Christianorũ cùm sint hæreses plures, atq; omnes se Catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nominent; vna est Ecclesia, vt omnes concedunt: si totum orbem consideres, refertior multitudine: vt autem qui nouerunt affirmant, etiam veritate sincerior cæteris omnibus: Sed de veritate alia quæstio est: Quod autem quærentibus satis est,* VNA EST CATHOLICA, CVI HÆRESES ALIÆ DIVERSA

VERSA NOMINA IMPONVNT; CVM IPSÆ SINGVLÆ PROPRIIS VOCABVLIS, QVÆ NEGARE NON AVDEANT, APPELLENTVR. Ex quo intelligi datur iudicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen, quod omnes ambiunt, tribuendum. Et cùm cap. 8. tradidisset, qua ipse via ad Catholicam Religionem peruenerit, nimirum docilem se Ecclesiæ præbendo, subiunxit: *Hoc ergo modo, & simili animæ tuæ cura sit. Diu quoque te affectum vides, & si iam satis tibi iactatus videris, finemque huiusmodi laboribus vis imponere; SEQVERE VIAM CATHOLICÆ DISCIPLINÆ, QVÆ AB IPSO CHRISTO PER APOSTOLOS AD NOS VSQVE MANAVIT, ET ABHINC AD POSTEROS MANATVRA EST.*

Aduersarii quidem in tali dubio Scripturam à quolibet examinandam, & ex ea Christiana dogmata iudicanda esse docēt. Ita enim Meisnerus pag. 596. *Infideles ex lumine naturæ possunt percipere, cultum inter ipsos vsitatum non esse verum; sed falsum, Deoque inacceptum. Ergo conferăt sese ad Christianos generatim ita dictos, in quorum cœtu vigere sciunt alium cultum. Ibi cognoscent ante omnia, Scripturam continere Verbum Dei, ex quo peti debeant credenda & agenda. Quod principium omnes inculcant Christiani, etiam Pontificij. Iacto hoc fundamento, & cognito veritatis principio, diligenter legant Scripturam, & juxta eius normam de variis in Christianismo Religionibus iudicent. Vbi si deuotæ preces accesserint; nullum est dubium, quin veritatem fidei sint percepturi. Quo facto, iam accesserunt ad Ecclesiam; licet non ad particularem aliquam, & visibilem, per accessum localem, & externum; tamen ad Catholicam & inuisibilem, per accessum spiritualem, & internum.*

Sed S. Augustinus cum aliis orthodoxis Patribus hanc ex Scriptura suo marte iudicandi temeritatem damnat, loc. cit. cap. 7. dicens: *Itane est? Nullâ imbutus poëticâ disciplinâ Terentianum Maurum sine Magistro attingere non auderes, &c. Tu in eos Libros, qui quoquo modo se habeant, Sancti tamen, diuinarumque rerum pleni propè totius generis humani confessione diffamantur, sine Duce irruis, & de his sine Præceptore audes ferre sententiam?* Et cap. 14. *Scripturis, ais, crede. At Scriptura omnis, si noua*

noua & inaudita proferatur (vt eſt infideli, veram Religioně inueſtiganti) *vel commendetur à paucis, nullâ confirmante ratione, non ei; ſed illis, qui eam proferunt creditur. Quamobrem Scripturas iſtas ſi vos profertis tam pauci & incogniti* (ante centum annos) *non libet credere. Rurſus me ad multitudinem famamque reuocabis? Quia famâ fundata eſt* (vt paulò ante ait) *Vtrùm per vos, an per alios? Per alios, inquis. Illis ergo credam, vt tu me doceas? Deberem fortaſſe, niſi me hoc illi præcipuè monerent, vt omnino ad te non accederem. Dicunt enim, pernitioſas vos habere doctrinas, &c. Cohibe tandem pertinaciam, & neſcio quam indomitam propagandi nominis libidinem: & mone potiùs, vt huius multitudinis Primates quarã, & quarã diligentiſſimè, ac laborioſiſſimè; vt ab his potiùs de his Litteris aliquid diſcam: qui ſi non eſſent, diſcendũ omnino eſſe neſcirem. Tu verò in latebras tuas redi, nec quidquam inſidiare ſub nomine veritatis. &c.* Quibus verbis idem ſignificatur, quod illis, quæ ſupra citata ſunt, vbi S. Auguſtinus dicebat, ſe, ne Euangelio quidem crediturum, niſi eum Catholicæ Eccleſiæ permoueret auctoritas: & proinde quibus credidit dicentibus: Crede Euangelio; ijsdem credendum docentibus, hæc vel illa conformia, vel difformia eſſe Euangelio.

Id quod confirmatur iſtis eiusdem verbis, loco proximè cit. *Sine paululùm mecum conſiderem, quibus de Chriſto crediderim, vt ad te jam tali fide præſtructus accedam. Nullis me video credidiſſe, niſi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodùm celeberrimæ: Hos autem populos Eccleſia Catholica myſteria vſque quaque occupaſſe. Cur non igitur apud eos potiſſimùm diligentiſſimè requiram, quid Chriſtus præceperit, quorum auctoritate commotus Chriſtum aliquid vtile præcepiſſe jam credidi? Tune mihi meliùs expoſiturus es, quid ille dixerit? Quem fuiſſe, aut eſſe non putarẽ, ſi abs te mihi hoc commendaretur eſſe credendum. Hoc ergo credidi, vt dixi, famæ celebritate, conſenſione, vetuſtate roboratâ. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium eſt, quin nihil dignum auctoritate præferatis. Quæ igitur tanta dementia eſt? Illis crede Chriſto eſſe credendum* (vt fatetur Lutherus à ſe creditum eſſe Catholicis) *& à nobis diſce, quid dixerit. Cur obſecro*

Digitized by Google

secro te? Nam si illi deficerent, nec me quidquam docere possent, multo faciliùs mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quam de illo cuiquam, nisi ab his per quos ei credidissem, discendum. O si initio prædicationis Lutheranæ tali discursu vsi fuissent, & adhuc vterentur, qui verè Christiani videri volunt! Nunquam profectò Luthero, Caluino, aut alijs non ita pridem exortis, nomina sua dedissent, aut darent.

Neque verò initio tantùm Ecclesia adeunda & audienda est; sed, vt ipse Caluinus supra citatus loquitur, sub custodia & gubernatione eius manere debemus, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis. Neque enim patitur nostra infirmitas à schola nos dimitti, donec toto vitæ cursu discipuli fuerimus. Idque potissimùm ideò, quia multa ad fidem pertinentia ex sola Scriptura decidere nō possumus: V. G. tempore S. Cypriani inter Episcopos etiam Catholicos, citra vnitatis læsionem, disceptabatur, vtrùm baptizati ab hæreticis essent rebaptizandi, vt docet S. Augustinus lib. 1. contra Crescon. c. 32. Et ipse S. Cyprianus erroneam hîc opinionem secutus est. Postquam autem controuersia ista per Ecclesiam decisa fuit, absque hæresi pertinaciter defendi non potuit, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos. *Quia quamuis huius rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum*, vt loquitur S. August. loc. cit. c. 33. *earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuersa jam placuit Ecclesiæ.*

Et lib. 2. de Baptism. c. 4 excusato S. Cypriano, & commendatâ eius humilitate: *Satis ostendit*, inquit, *facillimè se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret, baptismum Christi sic dari posse ab eis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent, &c. Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi vniuersæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati. Cui & ipse sine dubio cederet, si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur.*

Iam verò omnia de SS. Eucharistia hodiè controuersa

ita se habent, vt ad concordissimam Ecclesiæ auctoritatem confugere debeamus, si certi aliquid habere velimus. Vt enim quæstiones alias de illa omittam; *Quid sit Eucharistia* ex sola Scriptura, propter eorum qui veritati refragantur pertinaciam, nunquam decidi poterit (Quamuis verba Institutionis: *Hoc est corpus meum, &c.* supposito quòd corpus propriè intelligatur, vt Confessionistæ concedunt, nostram sententiam satis manifestè probant) Cùm ergo nos dicimus, *Eucharistiam post consecrationem non esse amplius panem & vinum; sed Corpus & Sanguinem Christi, sub panis & vini speciebus:* Lutherani, *Esse panem & vinum, sub quibus Corpus & Sanguis Christi contineatur, & exhibeatur:* Caluinistæ, *Esse tantùm Corporis & Sanguinis Christi figuram*; quis erit vnquam controuersiarum finis, nisi *in huius obscuritate quæstionis Ecclesiam consulamus, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat?* Vt S. Augustinus loc. cit. loquitur. Certè Lutherus de hac ipsa Controuersia in Lib. *Quòd verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firmiter stent,* conqueritur, *quòd Scriptura circa illã in decem fermè foramina, atque effugia lacerata sit: vt turpiorem hæresin nunquam legerit, quæ initio tot inter sese capita, tot Sectas habuerit.*

Hæc ergo præcipua ratio fuit, propter quam ad Disputationes istas de Eucharistia hactenus respondendum esse non duxi. Non quòd responderi non possit, vt superbè sibi imaginatur Frœreisenius; sed quòd in obscuris his quæstionibus, sepositâ Ecclesiæ auctoritate, nullus erit vnquam disputandi finis, non tantùm cum Lutheranis; sed etiam cum aliis Catholicæ Ecclesiæ Aduersariis. Et quòd *omnes propositionum* hæreticarum *riuulos vno Ecclesiæ Sole siccare possimus*, vt loquitur S. Hieronymus Lib. cont. Lucifer. Qui verò huius Solis radios non admittunt, quidquid contra ipsorum dogmata obiicias, semper effugia & latebras inuenient; nec vnquam eo deducentur, vt victos se esse fateantur. Quod profectò facillimum factu est, non tantùm in iis dogmatibus, quæ iam de facto vel excogitârunt omnes moderni Aduersarij nostri, vel ab antiquis hæreticis mutuati sunt; sed etiam in aliis multis,

quam-

Digitized by Google

quantumuis absurdis, quæ de nouo adhuc possent excogitari. Vt enim Frœreisenius de Ecclesia pag. 12. ait: *Nulla signari possunt Comitia publica, ostendi nulla colloquia, aut alij publici congressus monstrari, in quibus modo & medio legitimus fuissemus adacti, vt herbam porrigeremus, aut armis veritatis expugnatos nos fassi essemus*; ita & Caluinistæ post quamlibet Disputationem dicere solent. Quod si non credit Frœreisenius, de hac ipsa materia, de qua agimus, cum ipsis disputet, donec se victos esse fateantur.

Adhæc & de EVCHARISTIA, & de ECCLESIA causam suã sic egit Frœreisenius, vt nec responsũ mereatur, nec respõdere illi sit operæ pretium. Cùm enim omnia argumenta nostra, etiam illa, quibus grauissimi Auctores ante vsi sunt, derideat & explodat, *puerilia, inepta, anilia, insulsa, stolida, lappas & tribulos ingeniorum, &c*, vocans; & *sine mica cerebri* prolata, vt de *P. SIMONE FELICE*, nescio quanto cum cerebro scribit: sua è contrario tanti facit, ac si pro meris oraculis, cælitùs delapsis habenda sint: Nec sua tantùm; sed & Discipulorum suorum. Cùm enim ipse per se, multitudinem negotiorum prætendens, contra Disputationem nostram de Eucharistia (quæ tamen exercendi cuiusdam studiosi gratiâ tantùm, non instar iusti contra Ecclesiæ Catholicæ Aduersarios Tractatûs proposita fuerat) scribere dignatus non esset; quendam adhuc studiosum, Menonem Hannekenium nomine, vt ipse loquitur, subornauit: atque eius Disputationibus præfationẽ præmisit, in qua ait: se ex publica & priuata conuersatione didicisse, *hunc Menonem non aduersùs vnum solùm, sed (reclamante licet communi prouerbio) etiam duos*, Patrem videlicet Felicem, & me *Herculem fore sat fortem & robustum*. Contra quot ergo suo iudicio stare poterit Frœreisenius?

Sed vt quod res est palàm edicam; non tantùm non video, cur cum Menone isto Hannekenio congredi debeam; sed ipsius etiam Frœreisenij de Ecclesia Disputationes, quæ quidem ad manus meas vltrò perlatæ sunt (solas autem quatuor primas, & vltimam ex duodecim vidi hactenus) tales

ſunt, vt reliquas ne conquirere quidem lubeat; multo minùs ad illas prolixè reſpondere. Vel enim jam dudum trita & protrita argumenta repetit, & ſæpiùs inculcat: vel aliena à Diſputatione de Eccleſia paſſim immiſcet (nulla enim pænè controuerſia inter nos eſt, quam non in his paucis quæ vidi attingat) vbi verò ſingulare quid dicit, cauillandi vndique quærit anſam, etiam vbi res nullam præbet occaſionem: idque ſæpè pueriliter prorſus ludendo in verbis (nam & errata typographica mirum in modum exagitat) Exemplum ſit: Theſi noſtra I. de Eccleſia dictum fuerat: *Concedimus, improbos & infideles non eſſe viua Eccleſiæ membra. Quin tamen talia membra ſint, quæ Corpori Chriſti hac externa profeſſione ita connectantur, vt alia membra cum illis non tantùm communicare; ſed etiam ſæpè ſubeſſe eis debeant, quis eſt qui neget Aduerſariorum?* Et paulò pòſt: *Quamuis, qui fictè profitētur, viua Eccleſiæ membra non ſint; talia tamen membra ſunt, vt ſi quis viuum membrum eſſe velit, eorum profeſſionem* (prout videlicet exteriùs ſonat) *ſequi & tenere debeat.*

Ad quæ verba (poſito in margine: NB. *Abſurdiſſimum abſurdum Friburgenſe*) in textu pag. 116. dicit Frœreiſenius: *Illud verò perquàm abſonū eſt, quod addit: Licet fictè profitentes fidem viva Eccleſiæ membra non ſint, talia tamen membra ſunt, vt ſi quis viuum Eccleſiæ membrum eſſe velit, eorum profeſſionem (fictam,* addit de ſuo, *de his enim ſolis hic agitur.* Conſtruat hæc verba Grammaticus) *ſequi & tenere debeat: Hæc ſi cuidam tyroni Theologiæ inconſideratè excidiſſent, alicui caſtigationi ſubijciendus eſſet. Sed quoniam Archiducalis Profeſſor, qui alios erudire debet, non verbo, ſed ſcripto, & quidem Elenchtico in ſolis menſam ſcripſit; ſuaſor eſſem trigæ Ieſuitarum Friburgenſium* (ad marginem ponit: FELIX, CAPITEL, Metzger) *vt felici auſpicio hunc errorem ſeuerè capitularent, vel, quia publicè error eſt admiſſus, laniarent.* O acumen! quod cum qualibet ariſta, vel potiùs cum tota Patris & Fratris Frœreiſenij ſubularum ſupellectile contendere poſſit!

Cum Anno 1629. in Nundinis æſtiualibus Argentorati eſſem, Diſcipuli Frœreiſenij, quorum aliquos jam Verbi Buccinatores egiſſe dicebat campo, tribus quatuorue fidicinibus inſtructi,

instructi, cœnante me proximam ad mensam, è qua facilis mecum loquendi copia erat, accubuerunt: & cùm paulisper consedissent, fidicinesque ipsos arte sua, vt & ipsi sese largiùs inuitando exhilarassent; qui mihi proximè assidebat, propinato haustu, omnium nomine dicere cœpit: velle ipsos mecum, si ita luberet, circa materiam de Ecclesia, sub Frœreisenio contra me publicè tunc ventilari solitam, disputare. Quibus ego breuiter, neque isto loco, neque cum talibus disputandi mihi animum esse respondi. Si verò discendi gratiâ, vt quidam præ se ferebant, me conuentum vellent; Friburgum venirent. Interim dum ex Confessione August. quædam inter colloquendum citassem, aduerti ipsos in ea tam esse versatos, quàm qui eam nunquam viderunt. Cumque aliquod Scripturæ testimonium quærerem, quo manifestè probetur, quod Articulo IX. Confessionis dicitur: *Quòd pueri sint baptizandi*; aliis hæsitantibus quidam ex ipsis, si non doctior, saltem loquacior, nescio quem locum ex Genesi adduxit. Adeò nimirum in promptu habent Confessionistæ Scripturæ loca, quibus tanti momenti Articulos manifestè probare possint. Cùm autẽ denuò sciscitarentur, an ex Disputationibus Frœreisenianis contra me institutis nullas vidissem, & quid de illis sentirem? Respondi, nonnullas à me visas, de quibus si meam sententiam exquirerent, talis me eas farinæ in materia Theologica existimare, qualis in materia poëtica Carmen, quod Ioannes Georgius Dorscheus, Frœreisenij in vtraque Cathedra Collega, honoris & gratulationis ergò Disputationibus Frœreisenianis præfixit. Hoc verò Carmen tantis erroribus scatere, vt si apud nos Humaniorum studiorum adolescentulus eos commisisset, Magistri sui ferulam iure expectare deberet. Et quod dixi, vbi quidam ex illis domo suâ Carmen attulit, ad oculum demonstraui.

Quod verò hoc loco Frœreisenius contra me dicit, mera & inanis cauillatio est; quam longis verborum ambagibus refutare non est opus. Clarissimum enim est, quo sensu in Thesibus de Ecclesia dictum fuerit, professionem hypocrita-

rum, veræ fidei conformem, ab omnibus esse tenendam: videlicet quoad id, quod exteriùs notum est. Ideò enim studio additum fuit, quoad professionem externam cum hypocritis esse communicandum, & eorum professionem (similiter externam videlicet; neque enim aliud est professio) à veris Ecclesiæ filiis esse tenendam. Non autem fictam: quia fictio interna est, & alios latet. Id quod simili re Thesi V. partis II. declaratum fuit, his verbis: *Nihilominus dico, opera bona externa, ficto animo facta, esse notas apud quoscumque alios homines veræ sanctitatis vitæ & doctrinæ: sicut verba mendacia easdem res audientibus significant, quas significarent, si vera essent.* Item, *fictam sanctitatem esse signum veræ sanctitatis debitæ inesse, per exigentiam doctrinæ, quæ publicè, & ita manifestè, vt neminem latere possit, veram sanctitatem requirit.*

Anne ergo Frœreisenio absonum est, si quis virtutis exemplum externum imitetur; tametsi qui in illo præit occultè hypocrita sit? Si quis externam veræ fidei professionem teneat, & sequatur, v. g. credat, Christum esse filium Dei; tametsi qui illud prædicat animo contrarium sentiat? Ignoratne inter veræ professionis externæ Articulos etiam hunc contineri: *Christi fides, & vita Christiana sincerè; non ficto animo exprimenda est?* Si quis autem hunc Articulum ab hypocrita prædicatum teneat & sequatur, non poterit profectò fictè credere, & vitam instituere; quamuis ipsius Doctor animo non sentiat, quod ore profitetur. Professio ergo hypocritarum, veræ fidei consentiens, tenenda est; quatenus vera est, obiectiuè videlicet, & aliis nota: non quatenus formaliter & in se falsa, siue ficta est, & alios latet. Si enim omnis Articulus fidei Catholicæ credendus & tenendus est; & illa quoque, quæ infideles occulti, siue hypocritæ, in externa Ecclesiæ societate permanentes, conformiter veræ fidei profitentur, inter Articulos Fidei numeranda sunt; credenda procul dubio, & tenenda sunt; etiamsi sincero animo non proferantur, Vt qui verum esse credit, quod reuera tale est, quamuis loquẽs contrarium existimet, & loquendo mentiatur, siue contra mentem

tem

Digitized by Google

tem suam loquatur; non fallitur, nec de loquentis mendacio participat; ita qui professionem veram hypocritæ amplectitur, fictionem eius, sibi ignotam, non amplectitur; sed id tantùm, quod professio exteriùs exhibet, & significat.

Et quis erit ad similia respondendi finis, si Frœreisenius in re tam manifesta tot verbis confutandus fuit?

Prætereà licet ipse de calumnijs nostris multùm queratur, præsertim pag. 8. 9. 10. (Aduersarijs enim calumniari est, quidquid contra ipsorum doctrinam, etiam additis rationibus, & fundamentis dicitur) & ipse profiteatur, se modestè (scilicet) acturum esse; eò quòd & dicere ipsi molestum sit, & audiendi calumnias sit insolitus: quàm tamen hoc verum sit, singulæ ferè Disputationum paginæ docent, quæ dicterijs, scommatis, conuitijs passim in cuiusuis status & conditionis homines refertæ sunt; maximè in Pontifices, Episcopos, & Societatis IESV Patres, quorum alium *Plantinum Nugatorem*, alium *Suitam Bauaricum*, alium *hominem campestrem, &c.* vocat. Scilicet illustri domo natus est Frœreisenius, cuius Parenti dedecus fuisset campestribus viris consuere calceos. Nec singulos tantùm, sed & vniversos sine discrimine dictæ Societatis Patres *Sicarios* & *Regicidas* appellat. Quid quòd ipsi cum Christo regnantes Sancti, Ignatius, Franciscus Xauerius, vt alios omittam, à conuitiis Frœreisenianis immunes non sunt? Ista videlicet modestia Frœreiseniana, siue Lutherana est!

Non possum autem quin atrocissimam illam à laudatissima Societate calumniam paucis repellam, & in Calumniatoris sinum remittam. In primis quamuis Suarez, & Mariana, imò plures ista scripsissent, quæ pag. 64. ipsis impingit Frœreisenius; toti tamen Communitati, multa Capitum millia comprehendenti, absque calumnia paucorum error tribui non posset. Si enim hac ratione cum tota Lutheranorum Congregatione procedere vellemus; quid non de illa in rebus etiam politicis dicere possemus?

Item

Item citra calumniam Societatis Patribus tanquam Auctoribus adscribi non potest, quod circa materiam de Tyrannis & hæreticis Principibus docetur: cùm multis id ante sæculis ab aliis publicè doctum fuerit. Quia verò huius materiæ disputatio multorum nostri temporis Politicorum sinistris interpretationibus & odiis exposita est (quæ plurimis locis in Societatis Patres maximè redundare visa sunt) per duos ipsorum Generales ante complures annos seuerissimè omnibus, vbiuis locorum existentibus mandatum est, ne de hac materia quidquam in suis scriptis vllo modo attingant.

Prætereà non docent hoc Auctores isti, quod ipsis Frœreisenius mendaciter affingit. Ne enim longior sim, de solo P. Suarezio videamus, quid in Tractatu à Frœreisenio citato tradat. Ita autem loquitur Frœreisenius: *Misso Papá, ad cæteros Ecclesiæ Ordinarios Pastores nos conuertimus: quibus largâ nostrâ indulgentiâ accensemus quoque Iesuitas: licet non perpetuò fuerint, nec perpetuò futuri sint. De quibus licet quærere: An ex mundo; an ex orco: seu, an ex Deo; an verò ex Diabolo sint? Qui primò docent: Reges, & Principes, qui aliam, quàm Romanam tolerarent Religionem, non solùm ab externo; verùm etiam à proprio subdito impunè perimi posse. Quod asserit Franciscus Suarez in Lib. cuius titulus: Defensio Fidei Catholicæ aduersus Anglicanæ Sectæ errores.*

Sed quia locum non annotat; ego ostendam, quo eiusdem Tractatûs loco manifestè contrarium huic calumniæ doceat. Lib. 6. c. 4. §. 1. ait: *Duplex à Theologis Tyrannus distinguitur: vnus est, qui non iusto titulo; sed vi & iniustè regnum occupauit; qui reuera non est Rex, nec Dominus; sed locum illius occupat, & vmbram eius gerit. Alter est, qui licet verus Dominus sit, & iusto titulo regnum possideat; tyrannicè regnat quoad vsum & gubernationem, &c.* ET INTER CHRISTIANOS MAXIME EST IN HOC ORDINE NVMERANDVS PRINCEPS, *QVI* SVBDITOS SVOS IN HÆRESIN, VEL ALIVD APOSTASIÆ GENVS, VEL PVBLICVM SCHISMA INDVCIT. Quod certè plus est, quàm aliam Religionem tolerare præter Romanam.

§. 2.

§. 2. *Quæstio ergo præsens præcipuè tractatur de legitimo Principe, tyrannicè gubernante: quia Rex Angliæ de his Principibus loquitur, & quia in hoc ordine legitimorum Regum nos illum habemus.* DICIMVS ERGO, PRINCIPEM PROPTER TYRANNICVM REGIMEN NON POSSE AB ALIQVO PRIVATA AVCTORITATE IVSTE INTERFICI. Quam assertionem & multorum Auctorum testimoniis, & rationibus confirmat.

§. 7. *Communiter autem asseritur,* inquit, *Tyrannum, quoad titulum* (qualis nullus Rex aut Princeps est, iusto titulo regnum vel principatum tenens) *interfici posse à quacumque priuata persona, quæ tyrannidem patitur, si aliter non potest Rempublicam ab illa tyrannide liberare. Ita sentit D. Thomas in 2. D. 44. q. 2. a. 2. in O. & ad vlt. Quem ferè omnes Doctores citati secuti sunt.*

§. 8. *Addit verò supra D. Thomas limitationem, nimirum hoc licere, quando nullus recursus est ad Superiorem.*

§. 9. *Præterea intelligenda est communis sententia, nisi inter Tyrannum & populum fœdus aliquod, aut pactum iuramento firmatum intercesserit, &c. Alia etiam limitatio adhibenda est, nisi eadem vel maiora mala Reipublicæ timeantur ex interfectione Tyranni, quàm sub illo patiatur, &c. Denique oportet vt Respub. non contradicat expressè, &c..* Et §. 19. *Si Papa aliquem Regem per sententiam declaret hæreticum, & à regno depositum, & de executione nihil ampliùs declaret; non statim potest quilibet Princeps contra illum mouere bellum.*

Ex his omnibus patet, quàm splendidè mentiatur Frœreisenius, dum à Suarez doceri asserit: *Principes & Reges, qui aliam, quàm Romanam, tolerarent Religionem, non solùm ab externo, verùm etiam à proprio subdito impunè perimi posse.* Cùm nequidem ad aliam Religionem inducentes, si legitimi Principes sint, à priuatis occidi posse doceat, & ipsos titulo Tyrannos, siue Reges ex nullo titulo regni legitimos possessores, sed violentos inuasores & oppressores, nullâ ratione ab extraneis, sed à Reipublicæ membris tantùm: idque tot limitationibus adhibitis, vt in praxi vix contingere casus iste videa-

tur, interfici posse concedat. Item Reges ob hæresin etiam regnis depositos adeò à priuatis occidi posse neget, vt ne Principes quidem contra illos sua auctoritate bellum mouere ex hoc solo capite possint.

Cùm verò Confessionistæ Ioannem Wickleff, & Ioannem Hus ad suam Ecclesiam reuocent, qui docuerunt, Dominos temporales per quodlibet peccatum mortale amittere dominia sua ipso facto (Ex quo errore multi sibi licitum esse concluserunt, Principes legitimos tyrannidis prætensione occidere) cumque Ecclesiæ nostræ Concilium, Constantiæ celebratum Sess. 15 damnauerit istum errorem, his verbis conceptum: *Quilibet Tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi, per quemcumque Vasallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes: non obstante quocumque præstito iuramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectatâ sententiâ, vel mandato iudicis cuiuscumque.* Iudicet ipse Frœreisenius, vtri parti potiùs error iste de Principibus, tyrannidis vel hæresis causâ occidendis, adscribendus sit.

Conuitijs autem quibus ipse me petit, dum passim *Iesuitastrum, Sycophantam, Biliosum vermem in terra tenebrarum repentem, stolidum, &c.* cognominat, adeò non moueor, vt ea ab ipso, quàm laudes audire malim. Viderit autem quo jure de me conqueratur, cùm in Thesibus de Ecclesia Lutherani & Caluinistæ alio nomine compellati non sint, quàm *Aduersariorum*; vt ipse pag. 10. fatetur, & semel *Prædicantium*: quo etiam gloriari solent. Vt autem facilè mihi foret, magis ipsum mordacibus titulis insignire; ita video rem istam ad nostrum institutum nihil quidquam conducere. Si de personalibus agere liberet, non nuda vocabula adducerem (quæ facilè in quemlibet stringi possunt) sed vel in matrimonium eius inquirerem paulò accuratiùs, & describerem, quas ob causas ipse, repudiatâ sponsâ cui dudum fidem addixerat, aliam cum maximo totius vrbis scandalo duxerit: quod ab ipsis eius Ciuibus non semel mihi relatum est. Sed hæc, & similia, quia causam Religionis non promouent, omittenda duco.

Interim

Interim quia, vt ob dictam rationem tali illum colore depingere nolo, quali ipse me denigrauit, & alio moraliter non posse; ita omnino consultius judico, nihil quidquam ad cauillationes eius respondere. Triumpharet enim si mitiùs cum illo agerem, quàm ipse mecum: quemadmodum pag. 10. triumphat, quòd in tota Disputatione nunquam Lutheranos Hæreticos, sed Aduersarios tantùm vocârim: *quod dictamini conscientiæ obsequens, veritus sim ipsos tali nomine compellare.*

Quasi alius sit totius huius Disputationis scopus, aut alia vocabuli Aduersariorum isto loco significatio, quàm hæreticorum. Quid enim aliud est hæreticus, quàm Ecclesiæ Catholicæ in fidei Articulis cum pertinacia Aduersarius? Ergo eius Ecclesiæ, quam vt Catholicam defendi, Aduersarios dicendo, re ipsa dixi hæreticos. Quamuis acerbiore isto vocabulo studio abstinendum putaui.

Quia autem Frœreisenius mentis nostræ sententiam exprimi postulat; pro manifesto hæretico illum habeo, habeboque semper, quamdiu ipse Lutheranus probare non poterit, Ecclesiam illam, in qua cum pertinacia versatur, esse veram Ecclesiam Christi. Quod cum in istis Disputationibus, quæ ad manus meas peruenerunt, præstitum non sit; neque in reliquis, ex earum titulis, præstitum esse satis colligo. Nam cùm prima Disputatio, in duas partes diuisa, egerit *De vero modo, & legitimis medijs, quibus inuenienda est vera Christi in terris Ecclesia militans*: postrema *De veris, & essentialibus Ecclesiæ militantis in terris Notis*; proprius in his ostendendi locus erat, Lutheranam Ecclesiam esse veram Ecclesiam Christi. Quod tamen ideò factum non est; quia *Ecclesia vera*, fatente Confessione August. *perpetuò mansura est*. Quamuis autem omnes Disputationes titulo *Facis Catholicæ veritatis pro inuenienda Ecclesia Christi* insigniat; non video tamen quibus facibus vel vnicus mundi angulus demonstrari possit, in quo Ecclesia Lutherana ante Lutherum extiterit.

Notas proprias, & essentiales veræ Christi Ecclesiæ certò dignoscendæ ponit Frœreisenius cum suis *Puram Verbi Dei*

prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem: atque has Notas pag. 394. dicit Ecclesiæ semper conuenire; vtpote proprias illi quarto modo: ideoque multas Notas à Bellarmino positas reijcit; quòd Ecclesia aliquando sine illis reperiatur. Iam verò cùm sola Verbi prædicatio, & Sacramẽtorum administratio, prout apud Lutheranos exercentur, Frœreisenio sint legitimæ & puræ, oportet eas ante Lutherum in Ecclesia continuò fuisse. Quia si Ecclesia sine his fuisset, eodem modo hæ Notæ reijciendæ forent, quo Frœreisenius reijcit alias, Ecclesiæ non semper conuenientes. Ostendat ergo vel vnam Prouinciam, vel Ciuitatem, vel etiam domum vnicam, in qua prædicatio, & Sacramentorum administratio Lutherana viguerit immediatè ante Lutherum.

Scio quidẽ, Frœreiseniũ ad Ecclesiã inuisibilẽ confugere: ideò enim per faces illã quærit. Sed superuacuo se labore fatigat, facibus Solẽ iuvare cõtendẽs. Vt enim S. Augustinus Tractatu 2. in Epist. Ioan. ait: *In sole posuit Tabernaculum suum, &c. Tabernaculum eius, Ecclesia eius: in sole reposita est; nõ est in nocte, sed in die.* Damus tamen hoc Frœreisenio, vt omnes faces suas accendat, & clarè nobis demonstret, Ecclesiam veram visibilem toto orbe tot sæculis fuisse perituram. Quamuis autem pag. 30. dicat, hoc postulatum esse impudentissimum, eò quòd hæc non sit ipsorum sententia; sed mea deliramenta, & somnia: tamen vel merâ æquiuocatione ludit, dum asserit, toto orbe semper remansisse veram Ecclesiam, inuisibilem intelligens; cùm ego de visibili manifestè sim locutus: Vel si visibilem toto orbe ante Lutherum periisse non dicit; ostendat, quo loco, & inter quas gentes saltem proximo ante Lutherum sæculo extiterit.

Sed quia hoc se ostendere non posse probè nouit, pag. immediatè sequente ait: *Quin imò addimus & hoc, omnes omnino particulares Ecclesias, adeoq; totam Ecclesiam visibilem impetu corruptelarum, hæresium, persecutionum, &c. ad istas incitas redigi posse, vt, omni exteriore obnubilato splendore, nulla superstit illustris Ecclesia, quæ puro Dei Verbo publicè sonante gaudeat.* Vocabulum,

lum, *Illustris*, pro visibili accipiendum est: si enim ante Lutherum aliqua Ecclesia puro Dei Verbo, hoc est, ex Frœreisenij mente, Lutherano more publicè sonante gaudens superfuit; ostendat vbi terrarum illa fuerit; & quare se Luthero posteà prædicanti non coniunxerit.

Hoc ergo est, quod Frœreisenio probandum incumbit: *Totam Ecclesiam visibilem, publicâ puri Verbi Dei prædicatione tanto tempore destitui potuisse, & consequenter nullam veram Ecclesiam visibilem superfuisse, quanto ante Lutherum Romanam Ecclesiam in Antichristi synagogam conuersam docet.* Sed manifestis id Scripturæ testimonijs probandum est: non talibus, qualia in maximi momenti Articulis pro manifestis obtrudere solet, cùm nihil manifestius sit, quàm illa esse obscura.

Repeto exemplum, quo pag. 51. maximè gloriatur, & dico: manifesto Scripturæ testimonio ab ipso non probari, Papam esse Antichristum, quando in Panop. Vol. 1. Controu. 14. Thes. 6. dicit: *Apertè prædicit Spiritus sanctus, purpuratam meretricem, quæ figura est regni Antichristi, Romæ dominaturam: sedebit enim super bestiam septicipitem, siue Romam, fundatam super septem montes, & dominabitur in Babylone, hoc est in vrbe Roma.* Quia hæc tam manifesta non sunt, vt negari non possint; imò in ipsos Aduersarios retorqueri: prout & in Disputatione de Ecclesia antehac dictum fuit.

Frœreisenius autem, productis aliquot Catholicorum testimonijs, qui per Babylonem apud Ioannem Romam intelligunt, tribus Syllogismis rem totam confici, hoc modo:

Babylon, vrbs illa septem collibus imposita, est sedes Antichristi:
Roma pontificia est Babylon vrbs illa magna:
Ergo Roma pontificia est sedes Antichristi.

Vlteriùs:

Qui in sede Antichristi sedet, seu dominatur, est Antichristus:
Pontifex Romanus in sede Antichristi dominatur:
Ergo est Antichristus.

Denique:

Cuicumq; cœtui præsidet Antichristus, ille non est vera Christi Ecclesia, sed regnum Antichristi:

At Cœtui Romano, seu Ecclesiæ Pontificiæ præsidet Antichristus:

Ergo Cœtus Romanus, seu Ecclesia Pontificia non est vera Christi Ecclesia, sed regnum Antichristi.

His ita propositis Io triumphe canit, inquiens: *I Henrici, Missa est, missificare desine.*

Sed cùm duobus primis Syllogismis nihil efficiat; per tertium aërem ferit: & tamen quasi debellato hoste pæana canit. Ad primi enim Syllogismi Maiorem quod attinet, vt certũ supponit, quod nullo Scripturæ testimonio probatum est: videlicet Babylonem illam, de qua c. 17. Apoc. agitur, esse sedem Antichristi. Et si litteram textus simpliciter sequi velimus, omninò diuersum ex illa colligemus. Quia Babylon non dicitur hîc esse sedes alicuius alterius, sed ipsa dicitur alteri insidere: nam per Mulierem purpuratam non intelligitur Antichristus, vt vult Frœreisenius; sed ipsa Ciuitas Babylon, vt ex v. 5. colligitur vbi dicitur, *in fronte Mulieris nomẽ scriptum: Mysterium, Babylon magna.* Quod v. vlt: manifestiùs exprimitur: *Mulier, quam vidisti, est Ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* Prætereà ex interpretatione Frœreisenij sequitur, Romam sessuram super seipsam: *Mulier enim sedebit super bestiam, siue Romam,* inquit: Atqui mulier ista est Roma: Ergo Roma sedebit super seipsam. Item Bestiam & Babylonem pro eadem re sumit, quæ tamen à Ioanne distinguuntur.

Neque verò per bestiam Antichristum hoc loco intelligere potest Frœreisenius, vt eius sedem constituat Babylonẽ; Non enim Babylon sedes bestiæ; sed bestia sedes Babylonis dicitur, v. 3. *Et vidi Mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Item bestia, de qua hic agitur, dicitur habere septem capita; & septem illa capita v. 9. explicantur septem montes: Atqui septem montes non sunt capita Antichristi: Ergo aliud hîc per bestiam intelligitur. Et non malè multi bestiam regnum mundi, cui innixa fuit Roma gentilis, interpretantur.

Quid quòd clariùs ex c. 11. à v. 7. deducitur, Sedem Antichristi fore Ierosolymam, quàm Babylonem? *Et cùm finierint,*

rint, inquit Ioannes, *testimonium suum duo testes Dei, Bestia quæ ascendit de abysso faciet aduersùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus: Vbi & Dominus eorum crucifixus est.*

Ad Minorem dico: Quamuis probabilissima opinio sit, per Babylonem illo loco intelligi Romam, non tamen ita manifestum id est, vt fide diuina necessariò credi debeat. Licet enim Tertullianus, Hieronymus, Alij ita intelligant; licet Bellarminus dicat, idem apertè colligi ex cap. 17. Apocal. hoc tamen ideò ita manifestum non est, vt à nemine citra hæreseos notam negari possit. Si Frœreisenius omnia crederet, quæ Bellarminus, & alij Auctores Catholici ex Scriptura apertè deduci sentiunt; facilè in hac re conueniremus. Nam nec ego negandum puto, quin Ioannes hîc de Roma loquatur: Nec tamen opinioni meæ ita pertinaciter inhæreo, vt citra manifestum errorẽ eam negari non posse existimem. Aliter enim Babylonem intellexerunt grauissimi Auctores. Et si apud Ioannem Babylon tam manifestè significat Romam; cur multi Aduersariorum apud Petrum 1. Epist. c. 5. 13. dicentem: *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta* Romam significari negant? Idque non tantùm contra S. Hieronymum, & Alios; sed & contra Papiam Apostolorum Discipulum, vt refert Eusebius lib. 2. c. 15. Ratio alia non est, quàm ista: quia si Babylon apud Ioannem Romam significet, multo faciliùs suis persuadebunt, Papam esse Antichristum. Si verò apud Petrum pro Roma sumatur, colligetur Petrum aliquando fuisse Romæ, quod pro Pontifice, & eius in Cathedra Petri successione facit. Itaque hoc Aduersarijs nostris Scriptura manifestè significare solet, quod causæ ipsorum patrocinatur.

Quamuis autem Frœreisenius, Caluinum, & Magdeburgenses secutus, pag. 147. dicat, se propter præstantium Auctorum attestationem isti assertioni, quòd Petrus aliquando fuerit Romæ, nolle refragari: quia tamen addit, hoc ex Scriptura probari non posse; satis indicat, in Epistola Petri per Babylo-

Babylonem nón significari Romam. Ergo apud Ioannem tam manifesta hæc significatio non est, vt nulla ratione negari possit. Quis enim ignorat, Apocalypsin plenam esse arcanis mysterijs, quæ nemo interpretum adhuc perfectè comprehédere potuerit? Imò vt S. Hyeronymus Epist. ad Paulinum ait: *Tot habere Sacramenta, quot verba?* Et quid ni locus iste à Frœreisenio adductus inter talia mysteria computari possit? Ergo in Thesibus de Ecclesia non absque ratione dictum est, hoc tam manifestum non esse (videlicet quòd per Babylonem intelligatur Roma, quodque Antichristus Romæ sedem positurus sit) quin vtrumque, & maximè postremum absolutè negari possit.

Sed posito per Babylonem significari Romam, quòd valdè probabile esse concessi; & eandem Romam à Ioanne prædictam esse sedem Antichristi, quod nullo vnquam manifesto Scripturæ testimonio probari poterit; quàm tamen elumbis est secundus Frœreisenij Syllogismus, quo potissimum, quod in Controuersia versatur, se conclusisse existimat? *Qui sedet in sede Antichristi, is est Antichristus: Pontifex Romanus sedet seu dominatur in sede Antichristi: Ergo est Antichristus.*

Eodem enim modo concludere quis posset, non tantùm Cæsarem, Augustum, & cæteros Imperatores gentiles; sed etiam Petrum Apostolum, & alios omnes antiquæ Ecclesiæ Romanæ Pontifices fuisse Antichristos: quia sederunt in sede Antichristi, videlicet in Vrbe Romana. Hoc autem negat Frœreisenius, quando pag. 8. me calumniæ arguit, quòd eum Romanæ Ecclesiæ hostem dixerim, sine restrictione ad præsentem Ecclesiam Romanam.

Tale est ergo Frœreisenii argumentum, ac si dicerem:

Qui publicè in templo Cathedrali Canonicorum Romano-Catholicorum concionatur, ille est Romano-Catholicus:

Frœreisenius publicè in templo Cathedrali Canonicorum Romano-Catholicorum concionatur:

Ergo est Romano-Catholicus.

Sicut enim Maior huius Syllogismi falsa est, quia quamuis

uis Canonici Ecclesiæ Romanæ addicti templum hoc tanquam suum antehac occupauerint (quo jure non ita pridem spoliati sint non est meum disputare) quia tamen hoc tempore non Catholici, sed Lutherani illud occupant; non sequitur, Catholicum esse, qui nunc in eo publicè concionatur. Ita quamuis à Ioanne prædictum esset, Sedem Antichristi fore Romam; quia tamen Antichristus Sedem illam non semper fuisset occupaturus, concludi certò non posset, Papam esse Antichristum, ex eo quòd ipse jam Sedem illam occupet.

Cùm ergo singula pænè verba, quæ ex Apocalypsi contra Papam proferuntur, non sint propria, sed plena mysterijs & figuris; meritò ad illa cum S. August. de Vnit. Eccl. c. 19. in Thesibus de Ecclesia dictum fuit: *Hæc mystica sunt, operta sunt, figurata sunt. Aliquid manifestum, quod interprete non indigeat flagitamus.* Nam ipse Frœreisenius pag. 49. dicit: *Si vllus est liber, qui diligenti & accuratâ indiget interpretatione, certè liber est Apocalypticus: qui tot habet secreta, quot verba, vt loquitur Hieronymus Epist. ad Paulinum. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ: Est enim totus Propheticus de rebus futuris.*

Licet verò non fuit animus, ad alia properanti, tamdiu Scriptis Frœreisenianis immorari; non possum tamen, quin ex eadem pag. 51. singularem eius philosophandi scientiam in respondendo quoque ostendam: vt appareat iniuriam illi facere Discipulos eius, dum communiter eum pro Philosopho non habent: vt non ita pridem in hac vrbe quidam ex illis retulit.

In Thesibus de Ecclesia, ad locum Apocal. de quo egimus, dictum fuerat: *Sed esto, sit hoc apertum contra Ecclesiam Romanam testimonium; quid pro se apertè dictum adferet Frœreisenius?* Quibus verbis relatis ponit ad marginem: *Concedit Aduersarius, quod modò negauit.* Itane verò? Qui inter disputandum ad Aduersarium suum dicit: Ponamus hoc, vel illud, quantumuis absurdum, ita se habere, vt vis; vt omissâ interim de hac re disputatione, ad aliud quidpiam progressus fiat, & Aduersarius magis prematur; anne hac loquendi forma

concedit, quod absurdum iudicat? Ad Rhetores meritò, & Dialecticos hîc Frœreisenius ablegandus foret. Sed quia hoc Theologiæ Professorem non deceret; ad Discipulum saltem suum Menonem Hannekenium recurrat, qui Thesi 2. Disp. 3. de Eucharistia dicit: *Posito, sed non concesso, Eucharistiam esse sacrificium propriè dictum; non sublatum est in locis nostris; sed tantùm (sensu pontificio) corruptum: atque sic nondum sumus Prodromi Antichristi.* Quid autem aliud iste loquendi modus significat: *Esto, sit hoc apertum contra Ecclesiam Romanam testimonium*; quàm posito, sed non concesso? Cuius tamen contrarium sensum Frœreisenius colligit: videlicet me concedere, quod ante negaui, & adhuc nego; neque possum non negare: nisi me concedere putat, Papam esse Antichristum.

Neque tamen hîc Philosophiæ Frœreisenianæ finis est; sed cùm ego suppositionem hanc falsam & absurdam hoc fine fecissem, vt inquirerem, quanam ipse ratione, posito quòd Papa sit Antichristus, probaturus esset, suam potiùs Ecclesiam, quàm Caluinianam, aut aliam, non minùs à Lutherana, quàm à Romana diuersam, esse veram Ecclesiam Christi: *Respondeat*, inquit ille, *pro me Bernardus, Epist. 125. Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri Cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam.* Sed vtrùm hoc respondere, an potiùs nugari sit, facilè erit cuilibet æstimare. Dixeram ego: *Esto, Papa sit Antichristus, Ecclesia Romana Antichristiana; quo argumento probabit Frœreisenius, suam Ecclesiam præ alijs omnibus esse veram Ecclesiam Christi?* Respondet ille: *Bernardus dicit, Papam esse Antichristum.*

Ne tamen quidquam absurditatis desit, manifestum crimen falsi committit Frœreisenius. Quicumque enim alium pro se respondere dicit, vel debet eundem cum illo habere sensum; vel sententiam eius allegando crimen falsi committit: Frœreisenius S. Bernardum pro se respondere dicit, & tamen manifestè eundem cum illo sensum non habet: Ergo allegando eius pro se sententiam crimen falsi committit. Probatur Minor: Quia S. Bernardus de Pontifice non vero, sed

Digitized by Google

ſed ſchiſmatico loquitur, qui contra Innocentium legitimum Pontificem creatus fuerat. De quo, vt arbitror, Platina in Innocentio II. ait: *Interim verò* (abſente videlicet Innocentio) *Petrus Romanus ciuis, Petri Leonis potentiſſimi hominis filius, Romæ Antipapa creatur, quorundam facinoroſorum ſeditionibus; Anacletusque appellatur. Qui ſpoliatis Romanæ Vrbis templis, ſpoliatis ecclesiarum theſauris, vi irrumpens, maximè verò in Baſilicam Petri, vnde crucifixum aureum, & coronas pendentes ſuſtulit; tantùm pecuniarum conflauit, vt perfacilè largitionibus ſeditioſum quemque in ſuam ſententiam alliceret.*

Vt autem Frœreiſenius à crimine ſe falſi expediat, ſententiam S. Bernardi, quam in eadem Epiſt. de vero Pontifice ſubiungit, amplecti debet: *Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum, & Hieroſolymorum Reges, cum vniuerſo clero & populis, fauent & adhærent Domino Innocentio, tanquam Filij Patri, tanquam Capiti Membra, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.*

Quia autem eâdem pag. 51. (quanti voluminis omnium paginarum examen foret, quæ in vniuerſum, vt ex vltima colligo, ſunt 424. ſi vnica pagella tantùm materiæ ſubminiſtrat?) præſtolari ſe ait Frœreiſenius, quo artificio locum Ioannis de Meretrice Babylonica in ipſos ſim retroſurus, dico: Quia Antichriſti figura & præcurſores ſunt omnes hæretici, ideò quæ de Antichriſto in Scriptura aſſeruntur, rectè ad hæreticos accommodantur: teſte Ioan: 1. Epiſt. c. 2. 18. de ſui temporis hæreticis dicente: *Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Et c. 4. 3. *Hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Non quidem in perſona; ſed in præcurſoribus ſuis. Vnde & Tertullianus lib. de Præſcript. hæret. ait: *Qui Antichriſti, niſi Chriſti rebelles? Hoc erũt omnes hæretici, nõ minus doctrinarũ peruerſitate Eccleſiã laceſſentes, quã tunc Antichriſtus perſecutionũ atrocitate perſequetur. Niſi quòd perſecutio & Martyres facit; hæreſes Apoſtatas tantùm. Et ideò hæreſes quoque oportebat eſſe, vt probabiles quique manifeſtarentur, tam qui in perſecutionibus ſteterunt, quàm qui ad hære-*

ses non exorbitauerunt. Neque enim probatos intelligi juuat, qui in hæresin fidem demutant: sicut ex diuerso sibi interpretantur, quia dixit alibi: Omnia examinate, quod bonum est tenete. Quasi non liceat omnibus malè examinatis, iniectione alicuius mali impingere per errorem.

Præterea per Babylonem tum omnium aliorum hæreticorum synagogæ, tum Lutheranorum congregatio rectissimè intelligitur: Babylon enim, siue Babel confusionem significat: quia ibi confusæ sunt linguæ hominum, vt inuicem ampliùs intelligere non possent, prout Genes. 11. dicitur. Atqui ex dictis manifestum est, *Confessionem* August. potiùs *Confusionem* appellandam esse, ad quam diuersissimæ Sectæ Græcorum, Waldensium, Hussitarum, vt de præsentibus nihil dicam, ab ipsis Confessionistis reuocantur.

Vt autem ad propositum reuertar, ad talem *Confusionem Babylonicam* spectare censebitur Frœreisenius, quamdiu ipse manifestis Scripturæ testimoniis probare non poterit totius Ecclesiæ visibilis, per tot sæcula durantem, à puro Dei verbo apostasiam. Item, eandem Ecclesiam per Lutheri potiùs, quàm Caluini, aut alicuius alterius doctrinam fuisse reformandam. Manifestis inquam testimoniis

I. Quia cum Scriptura secundùm ipsos omnia ad salutem necessaria contineat, & ex maximè necessariis existimandum sit, cuinam nos Ecclesiæ in fide erudiendos tradere debeamus (ne pro veris Verbi Dei Magistris Satanæ Ministros audiant homines; præsertim simplices, qui per se Controuersias, superiore sæculo excitatas, dijudicare non possunt) procul dubio Scriptura clarè monuisset, totam Ecclesiam visibilem per superstitiones, & idololatriam palàm tanto tempore opprimendam: atque per Lutherum potiùs, quàm per Zuinglium, Caluinum, aut alium restituendam. Præsertim cùm manifestissima testimonia de perpetua Ecclesiæ visibilis duratione legamus: Quæ cùm S. Augustinus lib. de Vnit. Eccl. c. 13. perpendisset, in hunc modum Donatistas vrget: *Sicut nos manifestissimis testimonijs* (quæ valebunt, quamdiu stabit orbis) *asserui-*

asseruimus Ecclesiam toto orbe diffusam; sic & ipsi manifestum aliquid proferant, vnde ostendant esse prædictum, cæteris gentibus à fide (à publica & pura veri Euangelij prædicatione) *pereuntibus, solam Africam remansuram, & quocumque Episcopi ex Africa mitterentur.*

Adeò autem semper visibilem hanc Ecclesiam fuisse,& fore sentit, vt illud Matt. 5. *Non potest Ciuitas abscondi supra montem constituta*, c. 14. de Ecclesia intelligat. Et c. 15. *Neque enim tot testimonijs*, inquit, *commendaretur, quòd erat citò periturum* (vt Ecclesiam visibilem statim post tempora Apostolorum ad defectionem inclinasse volunt Aduersarij) *& sic taceretur, aut quod solum esset relinquendum, aut ex quo solo* (vt ex Confessione August.) *totum esset reparandum*, reformandum, *& implendum.* Et c. 17. *Si enim nullo interprete indigent Canonica Scripturarum testimonia, quæ commendant Ecclesiam in totius orbis communione existere, & separationi vestræ in Africa* (in Germania) *constitutæ ex eisdem libris nulla talia potestis inuenire suffragia; nec justè de persecutionibus conqueremini.*

II. Malè in hoc negotio causam suam cum nostra comparat Frœreisenius, pag. 49. dicens: *Hæc ita esse aperta, vt nullo interprete opus sit, non asserui. Ad quid enim aliàs Professiones Theologicæ sunt institutæ? Quo labore meretur sub salaria Thomas? An vt missificet tantùm? An verò, vt etiam Scripturas interpretetur, explicet?* Quia nos solam Scripturam pro regula fidei non habemus; sed in dubijs & obscuris ad Ecclesiæ judicium cum S. August. & alijs antiquis Patribus recurrimus. Cùm verò omnia ad salutem necessaria Aduersarij in Scriptura contineri asserant: & omnia, quæ in Scriptura continentur, clara esse, & perspicua (vt dicta pag. 51. contendit Frœreisenius inquiens: *Vides, non esse vanam iactantiam, cùm docemus, omnia ad salutem necessaria clarè & perspicuè in Scriptura contineri?*) jure ab illo manifesta testimonia exigo; quæ ipsius interpretatione non indigeant, multiplices, & obscuras intelligentias non habeant; vt totum librum Apocalypticum, ex quo clarè se probasse existimat, Papam esse Antichristum, habere fatetur.

III. Quia sumus in possessione Ecclesiæ, per cuius traditionem omnia Christiana dogmata, & ipsa Scriptura Sacra ad nos peruenerunt. Vt ergo nemo de cuiuslibet rei, ad se antiquitùs deriuatæ, possessione dimoueri se patitur; nisi clarissimis testimonijs, quæ nemo negare, aut aliter cum recta ratione explicare queat, conuincatur, rem, quam possidet, non ad se, sed ad Aduersarium suum pertinere: jure merito insani censebimur, si Ecclesiæ possessione, tot sæculis inter Maiores nostros ante Lutherum continuatæ, cesserimus; nisi clarissimis Scripturæ testimonijs conuicti cedere cogamur. Vt enim S. Augustinus lib. de vnit. Eccl. c. 5. rectè ait: *Illa interim seponenda sunt, quæ obscurè in Scriptura sunt posita, & figurarum velaminibus inuoluta & secundùm nos, & secundùm illos possunt interpretari:* Et paulò pòst: *Prorsus quæ alicuius interpretationis indigent interim seponamus: non quia falsa sint, quæ hoc modo de talibus tanquam inuolucris interpretando soluuntur; sed quia vel Interpretem quærunt, nolo in eis nostra ingenia comparentur. Sed aperta veritas clamet, & luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat.*

IV. Quia quibusdam vinculis in Ecclesia nostra tenemur, quibus Confessionistæ carent, & quæ non nisi manifestâ veritate contrariâ dissolui possunt: Vt est Consensio populorum ante excitatas has controuersias, antiquitas, perpetua successio Sacerdotum, miracula, ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen, &c. Quibus enumeratis ita loquitur S. Augustinus lib. cont. Epist. Fund. c. 4. *Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia; etiamsi, propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem, vbi nihil horum est, quod me inuitet, ac teneat; sola personat veritatis pollicitatio. Quæ quidem si tam manifesta monstretur, vt in dubium venire non possit; præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodò promittitur, & non exhibetur* (vt nullum in hac re manifestum testimonium hactenus

ctenus exhibuit Frœreisenius) *nemo me mouebit ab ea fide, quæ animum meum tot ac tantis nexibus Christianæ Religionis astringit.*

ARTICVLVS IX.

DE SANCTIS ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

QVia tribus proximis Articulis paulò prolixior fui, quòd in Disputatione de Ecclesia & Iustificatione omnium pænè modernarum Controuersiarum cardo vertatur, ne liber iste, quem Manualem esse desidero, nimiùm excrescat; subsequentes Articulos quâ potero breuitate percurram: nullam quæstionem mouens, ad quam mouendam Confessio August. occasionem non dabit.

Porrò de Sacramentis in cõmuni pauca ista habet Confessio Originalis, Art. XIII. *De vsu Sacramentorum docent, quòd Sacramenta instituta sint, non modò vt sint notæ professionis inter homines; sed magis vt sint signa, & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui vtuntur, proposita. Itaque vtendum est Sacramentis, ita vt fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramẽta exhibẽtur & ostenduntur.*

Damnant igitur illos, qui docent, quòd Sacramenta ex opere operato iustificent: nec docent fidem requiri in vsu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

In quo Articulo cum Theologis, sub Comitijs Augustanis ad Confessionem respondentibus, fatemur, Sacramenta magis esse signa & testimonia voluntatis Dei erga nos; quã notas professionis. Quod autem de fide, quâ omnes credere debeant, peccata sibi remitti, additur, id Art. VI. sufficienter examinatum est. De solo ergo opere operato vt pauca dicamus postulat hic Articulus, Et Apologia, vt de efficacia & numero Sacramentorum quædam addamus.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Vtrùm Confeſſio doctrinam Catholicorum, quòd Sacramenta ex opere operato gratiam conferant, citra calumniam reprehendat?

GRauiſſimè in hanc doctrinam, nec ſine calumnia, inuehitur paſſim in Confeſſione & Apologia Philippus: In Præfat. ad Lectorem dicit: *Sacramenta impiè profanata ſunt, poſtquam recepta eſt opinio, quòd ex opere operato iuſtificent. Et hæc opinio doctrinam fidei prorſus oppreſſit, & multiplicem idololatriam peperit.*

In Apologia, titulo de Iuſtif. *Fingunt,* inquit, *Sacramenta conferre Spiritum ſanctum ex opere operato, ſine bono motu accipientis. Quaſi verò otioſa res ſit donatio Spiritus ſancti.*

Et iterum titulo de Numero & vſu Sacram. *Damnamus totum populum Scholaſticorum Doctorum, qui docent, quòd Sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam ex opere operato, ſine bono motu vtentis. Hæc ſimpliciter Iudaica opinio eſt, ſentire, quòd per ceremoniam iuſtificemur, ſine bono motu cordis, hoc eſt, ſine fide. Et tamen hæc impia & pernitioſa opinio docetur in toto regno Pontificio.*

Et in fine: *Neque vlla littera,* inquit, *ex Veteribus Scriptoribus proferri poteſt, quæ patrocinetur hac in re Scholaſticis. Imò contrarium ait Auguſtinus: Quòd fides Sacramenti, non Sacramentum iuſtificet, &c.*

Huius calumniæ occaſionem ſumpſiſſe videtur ex verbis Gabrielis Biel, Profeſſoris Tubingenſis (Ex quo multa alia excerpit, & poſtquam ea odioſè, & contra Auctoris mentem explicuit, omnibus Scholaſticis, imò toti Eccleſiæ Romanæ, tanquam generalia eius dogmata, affingit) Is in 4. Sent. Diſt. 1. q. 3. hoc modo loquitur: *Secundò notandum eſt, quòd, vt tangit D. Thomas Diſt. præſenti q. 1. a. 1. Signum aliquod conferre gratiam dupliciter poteſt intelligi: vno modo ex ipſo ſigno ſeu Sacramento; vel, vt alij dicunt, ex opere operato: ita quòd eo ipſo, quo opus illud, puta ſignum, aut Sacramentum exhibetur,*

Digitized by Google

tur, nisi impediat obex peccati mortalis, gratia confertur. Sic quòd præter exhibitionem signi, foris exhibiti, non requiritur bonus motus interior in suscipiente, quo de condigno, vel de congruo gratiam mereatur: sed sufficit, quòd suscipiens non ponat obicem.

CONCLVSIO I. Nemo, nisi pessimè in Scholasticos animatus, facilè sibi persuadebit, vllum ex ipsis tam fuisse imperitum, vt crederet, sine fide, & bono motu cordis Sacramenta prodesse adultis. Cùm tam manifesta hac de re testimonia in Script. extent. vt Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Act. 8. *Si credis, potes baptizari.* Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm, in remißionem peccatorum,* Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine Domini IESV.* 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. &c.*

Neque ipse Gabriel sensit, adultos, Sacramenta suscipientes, absque fide & bono animi motu justificari; sed tantùm dicit, ad efficaciam Sacramenti bonũ motum, quo de condigno, vel de congruo mereatur homo gratiam, non requiri. Quæ verba, nihil aliud significantia, quàm Sacramenta non reddi efficacia per bonos vtentium motus, eò quòd efficaciam suam ex institutione Dei, independẽter ab vtentibus habeant, Kemnitius in Exam. Concil. Trid. Sess. 7. verba Gabrielis recitans, per fraudem detruncat.

Et clariùs se explicat Gabriel, Lectione 87. in Can. Missæ dicens: *Sacramenta noua legis virtute operis operati conferunt gratiam: ita quòd non requiritur bonus motus interior, qui mereatur gratiam; sed sufficit, quòd suscipiens non ponat obicem. Sed in Sacramentis, & Sacrificijs veteribus non conferebatur gratia ex hoc solo, quòd suscipiens Sacramento vtebatur non ponens obicem; sed tantùm conferebatur ex virtute boni motus interioris.*

Et quia Gabriel ad S. Thomam prouocat, audiatur ille, loco à Gabriele citato: *Sacramenta*, inquit, *noua legis tria signant: scilicet causam primam sanctificantem, sicut Baptismus mortem Christi: & quantum ad hoc sunt signa rememoratiua. Item*

signant effectum sanctificationis, quem faciunt, & hæc significatio est eis principalis: & sic sunt signa demonstratiua. Nec obstat, si aliquis sanctitatem non recipit: quia non est ex defectu Sacramenti, quod, quantum in se est, natum est gratiam conferre. Item signant finem sanctificationis, scilicet æternam gloriam: & quantum ad hoc, sunt signa prognostica. Et q. 2. ad 2. *Contingit per accidens, ex defectu recipientium* (vt nimirum, quod in obiectione erat, accipientes Sacramenta salutem non consequantur) *sicut quòd ignis calefacit quantũ in se est: quamuis ex parte passiui impediri possit, &c.* Et quid quæso, aliud volunt Scholastici, quando ad Sacramenta cum fructu suscipienda requirunt, vt suscipientes obicem gratiæ remoueant, quàm vt fidem, pœnitentiam, & alios bonos cordis motus habeant? Neque enim maior gratiæ obex esse potest, quàm infidelitas, & impœnitentia.

Manifestiùs sententiam suam exprimit S. Thomas 3. parte. q. 68. a. 8. in o. *Dupliciter,* inquit, *aliquid ex necessitate requiritur ad Baptismum I. sine quo gratia haberi non potest, quæ est vltimus effectus Sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad Baptismum; quia sicut Rom. 3. dicitur: Iustitia Dei est per fidẽ Iesu Christi.* Et ad I. *Dominus loquitur ibi de Baptismo, secundùm quod perducit homines ad salutem per gratiam iustificantem: quæ quidem sine recta fide esse non potest.* Et ad II. *Ecclesia intendit homines baptizare, vt emundentur à peccato: & ideò quantum est de se, non intendit dare baptismum, nisi habentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum.* Et ad IV. *Sicut Sacramentum Baptismi non est conferendum ei, qui non vult ab alijs peccatis recedere; ita etiam nec ei, qui non vult infidelitatem deserere. Vterque tamen suscipit Sacramentum, si ei conferatur; licet non ad salutem.*

Viderint ergo Confessionistæ, qua fronte cum Confessione sua dicere possint, in toto regno Pontificio doceri, quòd per Ceremoniam sacramentalem iustificemur, sine bono motu cordis, & sine fide. Et qua fronte Kemnitius loc. cit. relatis quibusdam S. Augustini sententijs, quibus tradit, ad salutem quidem plurimùm interesse, vtrùm quis credat; non tamen

Digitized by Google

men ad valorem Sacramenti: eò quòd aliud sit Sacramentum, aliud virtus seu gratia Sacramenti, subiungat: *Harum sententiarum ignoratione Scholastici finxerunt, non tantùm ipsum Sacramentum, verùm etiam gratiam & virtutem eius accipi, & haberi sine fide, ab incredulis, & impœnitentibus, ac sine bono motu cordis, & sine fide conferri & haberi gratiam Sacramentorum.*

CONCLVSIO II. Quando Scholastici docent, Sacramenta ex opere operato conferre gratiam, nihil aliud volunt, quàm ipsa per se, tanquam Dei instrumenta, conferendi gratiam vim habere: ita vt vim illam neque à probitate Ministrorum, neque ab vllo suscipientium merito, aut opere mutuentur: quamuis suscipientes adulti, vt gratiam accipiant, per fidem, & alias dispositiones ad illius receptionem habiles esse debeant. Sicut ignis, vt exemplo S. Thomæ citato vtar, vim calefaciendi ex se habet, hoc est, illam à subiecto calefaciẽdo non mutuatur: licet subiectum, vt calefiat, per contrariam qualitatem ita potenter resistere non debeat, vt calefactionis recipiendæ omnino incapax existat.

Tametsi verò iste de opere operato loquendi modus apud antiquos Patres non legatur; inter Scholasticos tamen, quòd rem benè explicet, jure receptus fuit. Opus enim operatum passiuè hîc sumitur, & ipsum Sacramentum exhibitum significat: vt S. Thomas in 1. Dist. 1. q. 1. docet. Quod quamuis leges grammaticæ non permittant; tamen cum S. August. in Psal. 138. dicendum est: *Meliùs est, vt nos reprehendant Grammatici; quàm vt non intelligant populi.* Quid autem faciliùs intellectu est, quàm Sacramenta ex opere operato, id est, per seipsa conferendæ gratiæ efficaciam, quam ex ordinatione Dei, & meritis Christi acceperunt, habere: non à bonitate Ministrorum, aut suscipientium operibus: licet hæc tanquam dispositiones in adultis prærequirant? Pro qua doctrina adeò falsum est nullam syllabam in Veteribus reperiri, vt quamplurima testimonia adduci possint eorum, qui ex Scripturis docent, Sacramenta vim gratiæ Dei per se immediatè conferendæ à Deo consecuta esse. Sed quia Apologia solum Au-

gustinum adducit, atque eum sic loquentem facit: *Fides Sacramenti, non Sacramentum iustificat* (quod tamen vt credam, locus, in quo sic loquatur, ostendi debet) contrarium ex eodem demonstrabo: Lib. 4. de Baptis. c. 24. docet, ipsum per se ipsum Sacramentum Baptismi plurimùm valere; etiam in ijs, qui per ætatem fidem habere non possunt, dicens: *Et si quisquam in hac re auctoritatē Diuinam quærat (quamquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est; non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur) tamen veraciter conijcere possumus, quid valeat in paruulis Baptismi Sacramentum, ex Circumcisione, &c.* Cur Abrahæ *præceptum est, vt omnem infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, vt ei deputaretur ad justitiam, nisi quia & ipsum per seipsum Sacramentum multùm valebat? &c.* Et paulò pòst: *Sicut in Latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, compleuit Omnipotentis benignitas (quia non superbiâ, vel contemptu; sed necessitate defuerat) sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quòd non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.*

Similia docet, tum alibi passim, tum Epist. 23. Vbi cùm dixisset, Baptismi Sacramentum tantùm per se valere, vt si paruulus accepto Baptismo ex hac vita, ante rationis vsum, & antequam credere possit, migret; salutem æternam consequatur: *Hoc*, inquit, *qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est; etsi habeat fidei Sacramentum. Longéque melior est ille paruulus, qui, etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit.* An non hîc S. Augustinus idem nobiscum sentit, videlicet Sacramenta ex opere operato, siue ipsa per se ipsa non ponentibus obicem conferre gratiam? Cuius rationem ipsa Confessio Art. VIII. tradit dicens: *Sacramenta & Verbum propter ordinationem, & mandatum Christi*, & consequenter non propter bonos suscipientium motus, *sunt efficacia.*

Vt autem Confessionistæ nullum vnquam Scholastico-

rum

Digitized by Google

sum adducere poterunt, qui Sacramenta infidelibus & impœnitentibus gratiam conferre docuerit; ita nos ex Apologiæ verbis concludere possumus, Sacramenta inutilia esse, si à fidelibus sumantur. Quia quicumque Lutherano sensu fidelis est, is remissionem peccatorum jam consecutus est: Sed talis Sacramenta inutiliter suscipit: Ergo Sacramentorum susceptio fidelibus est inutilis. Probatur Minor ex his Apologiæ verbis, tit. de Pœnit. *Si remißio peccatorum fit propter Contritionem, quid opus est Absolutione? Quid agit potestas Clauium, si peccatum jam est remissum?* Eodem enim modo nos dicimus: Si remissio peccatorum fit per fidem, quid Sacramentis ei opus est, qui iam credit? Quid agunt Sacramenta, si peccata jam sunt remissa per fidem?

Ex his facilè colliges, Kemnitium per summam calumniam de Concil. Trid. dicere, quòd extra controuersiam certò constet, ipsum, absq; vlla mitigatione sententiam de opere operato defendens, concedere, quòd gratia per Sacramenta ita conferatur, vt bonus motus interior in suscipiente non requiratur: vtque increduli sine fide accipiant gratiam per solum externum Sacramentorum vsum. Tum quia nullus Scholasticorum, Sacramentorum efficaciam ex opere operato docentium, vnquam scripsit, Sacramenta sine suscipientium adultorum fide conferre gratiam: Tum quia Concilium Trid. Sess. 6. cap. 5. & 6. manifestè docet, *Fidem, Timorem, Spem, peccatorum Detestationem, nouæ vitæ Propositum, & quendam etiam Dei Amorem* ante vtilem Baptismi susceptionem in adultis requiri. Item Sess. 13. c. 7. agit de præparatione, quæ adhibenda est, vt quis dignè sacram Eucharistiam percipiat.

Quia autem de Sacramentorum efficacia ex opere operato nihil aliud sentimus, quàm quod Kemnitius facilè se concessurum asserit, dicens: *Si Pontificij intelligerent in sententia operis operati, omne meritum suscipientis ab efficientia Sacramẽtorum excludi, ita vt Sacramentorum veritas non pendeat ex fide suscipientis; nec Sacramentum efficaciam suam mutuetur à fide suscipientis; nulla foret controuersia: quia ea sententia vera est.* Neque

que de forma illa sermonis, qua neque in Scripturis, neque in Vetustate reperitur, odiosè certandum esset: viderint ipsi Confessionistæ, vtrùm Confessionis suæ calumnias vlteriùs tueri possint.

QVAESTIO II.

Vtrùm Confessio maiorem Sacramentorum efficaciam agnoscat, quàm concionis alicuius, vel picturæ?

CONfessionistæ de Sacramentorum efficacia agentes quãdoque ita loquuntur, ac si à Catholica sententia nihil discreparent: vt cùm passim asserunt, Spiritus sancti gratiam per Sacramenta hominibus conferri. Adeò vt Kemnitius in 2. part. Exam. pag. 111. dicat, Lutherum seriò, & semper profanam illam sententiam reprobasse, quòd Sacramenta non sint organa & causæ instrumentales gratiæ; sed tantùm homines instar picturæ commonefaciant, & excitent fidem.

Quamuis autem contrarium ex Luthero facilè ostendi posset; quia tamen de generali Lutheranorum Confessione hîc agimus, omisso Luthero, videamus quid illa sentiat.

CONCLVSIO: Confessio August. docet, Sacramenta per se immediatè non conferre hominibus gratiam, tanquam instrumenta Dei; sed tantùm mediatè, mouendo videlicet instar concionis aut picturæ fidem: per quam solam gratia & remissio peccatorum conferatur. Ita vt alium sensum in Confessione & Apologia non habeat Philippus, quàm qualem in Annotat. ad cap. 4. Rom. habet dicens: *Non præstant ipsa signa res promissas; sed quia Deus promittit, & nos credimus, ideò euenit promissum.*

Probatur I. Quia illud non est instrumentum conferendæ gratiæ justificantis, siue remissionis peccatorum (hæc enim Confessionistis eadem sunt) quod remissionem peccatorum jam factam necessariò supponit: Sed Sacramenta ex doctrina Confessionis remissionem peccatorum jam factam necessariò supponunt: Ergo non sunt instrumenta conferendæ remissionis peccatorum. Maior est manifesta. Probatur Minor ex

his

Digitized by Google

his verbis Apologiæ tit. de Iustif. *Sicut alijs Sacramentis annectit Christus promißionem remißionis peccatorum; ita annectit & bonis operibus. Et sicut in Cœna Domini non consequimur remißionem peccatorum sine fide ex opere operato; ita neque in hoc opere. Imò nostra condonatio non est bonum opus, nisi cùm fit à reconciliatis: ideò nostra condonatio, quæ quidem placet Deo, sequitur condonationem diuinam.* Et paulò pòst: *Placent eleemosynæ Deo, quæ sequuntur reconciliationem, non quæ præcedunt. Itaque liberant à peccato, & à morte, non ex opere operato; sed sicut paulò ante de Pœnitentia diximus, quòd fidem cum fructibus complecti debeamus, ita de eleemosynis judicandum est, quod placeat Deo fides cum fructibus.* Si ergo Sacramenta non aliter, quàm eleemosynæ, & alia bona opera promissionem gratiæ habent, & à morte liberant; reconciliationem peccatorum jam factam necessariò supponunt: & consequenter non sunt organa Dei, ad remissionem peccatorum efficaciter concurrentia; sed tantùm signa, siue sigilla, remissionem jam factam testificantia. Præsertim cùm idem Philippus in Locis sexto post oblatam Confessionem August. anno Argentorati editis, dicat: *In ipsa Ceremonia dicitur: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Hoc est testor, quòd jam reconciliatus sis illi Deo, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.*

II. Sacramenta non habere alium vsum, quàm quòd instar concionis vel picturæ homines ad credendum moueant, vt non per ipsa immediatè Sacramenta, sed per solam fidem remissionem peccatorum consequantur, passim docetur in Apologia. Vt tit. de num. & vsu Sacramentorum: *Certò debent statuere corda, cùm baptizamur, cùm vescimur Corpore Domini, cùm absoluimur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter Christum. Et corda simul per Verbum & Ritum mouet Deus, vt credant, & concipiant fidem; sicut ait Paulus: Fides ex auditu est. Sicut autem Verbum incurrit in aures, vt feriat corda; ita Ritus ipse incurrit in oculos, vt moueat corda: idem effectus est Verbi, & Ritus. Sicut præclarè dictum est ab Augustino: Sacramentum est Verbum visibile: quia Ritus oculis accipitur, & est quasi pictura Verbi, idem significans quod Verbum. Quare idem est vtriusque effectus.* Et consequenter eadem vtriusque efficacia.

Et

Et tit. de Sacrificio: *Docentur apud nos homines de vero vsu Sacramenti, quòd ad hoc institutum sit, vt sit sigillum & testimonium gratuitæ remissionis peccatorum.* Ergo non aliam habet efficaciam, quàm prædicatio Verbi. Quin potiùs magis confirmantur corda hominum per prædicationem Verbi Dei, quàm per Sacramenta; quorum tota certitudo, quoad nos, ex prædicatione Verbi dependet.

Et infra: *Sacramenta sunt signa voluntatis Dei erga nos. Et rectè definiunt Sacramenta in nouo Testamento esse signa gratiæ. Et quia in Sacramento duo sunt, Signum, & Verbum; Verbum in nouo Testamento est promissio gratiæ, addita Signo: promissio Noui Testamenti est promissio remissionis peccatorum. Verbum igitur offert remissionem peccatorum; & Ceremonia est quasi pictura Verbi, seu sigillum, vt Paulus vocat, ostendens promissionem. Et sicut Verbum ad hanc fidem excitandam traditum est, ita Sacramentum institutum est, vt illa species incurrens in oculos moueat corda ad credendum.*

Quis ex his & similibus Confessionis verbis non intelligat, aliam Sacramentis efficaciam non tribui, quàm quod instar Verbi, cuius quasi pictura sint, moueant corda ad credendum, vt per fidem, non per ipsa immediatè Sacramenta, gratiam Dei consequantur? Propterea enim S. Augustinum hoc modo loquentem inducit: *Fides Sacramenti, non Sacramentum iustificat.* Vt suprà vidimus.

Confirmat hanc doctrinam Kemnitius I. quando ad can. 5. Sess. 7. Concil. Trid. Laudatâ Apologiæ doctrinâ, quòd dicat: *Eundem esse effectum, eandem virtutem, seu efficaciam & Verbi & Sacramentorum, quæ sunt sigilla promissionum Verbi,* paulò post addit: *In vsu Sacramentorum fides non respicit in aliquam efficaciam Sacramentorum; sed in promissionem, quæ connexa est Sacramento: in eaque quærit, apprehendit, & accipit gratiam.* Ergo sentit, gratiam hominibus obiectiuè tantùm per Sacramenta proponi; non autem efficaciter conferri.

II. Quia hoc modo argumentatur: *Scriptura gratiam iustificationis tribuit misericordiæ Patris, Christi Sanguini, & efficaciæ Spiritus Sancti; Ergò efficacia respectu iustificationis non est ad*

Sacramenta

Digitized by Google

Sacramenta transferenda, aut Deo, tanquam causæ adiuuantes siue partiales, non sunt adiungenda. Sed cùm Sacramentorum efficaciam defendimus, neque Deo debitum quid in Sacramenta transferimus; neque Sacramenta causas, virtutem Dei adiuuantes, aut partialiter cum Deo concurrentes statuimus: sed mera Dei instrumenta esse dicimus, per quæ ipse ex misericordia sua gratiam hominibus conferre decreuit.

DICES: Paulus sufficienter declarat, qualis sit efficacia Sacramentorum, cùm ad Ephes. c. 5. scribit: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ.* Ergo homines mundantur in Baptismo, nō quòd ipse Ritus mundandi efficaciam habeat; sed quòd vnà cum Verbo promissionem fide apprehendendam proponat. Vnde & Augustinus Tract. 80. in Ioan. ait: *Iam vos mundi estis propter Verbum, quod locutus sum vobis. Quare non ait: Propter Baptismum, quo loti estis; nisi quia & in aqua Verbum mundat? Detrahe Verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit Verbum ad elementum, & fit Sacramentum: etiam ipsum tanquam visibile Verbum.* Et paulò pòst: *Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Nisi faciente Verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?*

RESPONDEO, S. Paulum, & Augustinum per Verbum vitæ, quo homines in Baptismo mundantur, non intelligere Verbum concionale, quo fides excitetur, & confirmetur; sed Verbum consecratorium, quo ad elementum concurrente efficitur Sacramentum, vim sanctificandi homines continens. Quia S. Augustinus Lib. de Bap. cont. Donatist. c. 15. ait, Baptismum Euangelicis verbis consecrari. Et Lib. 6. c. 2. Sacerdotis prece, siue Trinitatis inuocatione, sanctificari aquam. Non quòd physica qualitas aquæ imprimatur; sed quòd, accedente Verbo ad elementum, talem efficaciam accipiat, vt corpus tangat, & cor abluat.

Quod autem addit, id non ideò fieri, *quia Verbum dicitur, sed quia creditur*; ita accipiendum non est, quasi remissio peccatorum fide speciali credenda sit ei, qui Sacramentum

ſuſcipit; ſed quòd illam vim non habeat tanquam ſonus quidam naturalis, ſed tanquam res ſupernaturaliter eleuata à Deo, quæ ad hoc creditur in Eccleſia inſtituta, vt ſit conferendæ gratiæ inſtrumentum. *Nam & in ipſo Verbo*, inquit Auguſt. *aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt Verbum fidei quod prædicamus.*

Quando autem Sacramentum Verbum viſibile vocat, non facit eandem Verbi prædicati & Sacramenti efficaciam: quia illa non in efficacia, ſed in ſignificatione comparat. Vt enim Epiſt. 23 ait: *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent; omninò Sacramenta non eſſent.*

Quòd verò ad Sacramenti efficaciam non requirat, vt verbum Sacramentale de facto credatur ab eo, qui Baptiſmum ſuſcipit, manifeſtè docet citato Tractatu circa finem, inquiens: *Hoc Verbum fidei tantùm valet in Eccleſia Dei, vt per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.*

QVAESTIO III.

Vtrùm Confeſſioniſtæ circa Sacramentorum numerum cum Confeſſione ſua conueniant?

TAmetſi Philippus, tum propriæ, tum Lutheri, tum aliorum eius Diſcipulorum in numerandis Sacramentis inconſtantiæ conſcius, in Apologia Art. XIII. dicat: *Non multum referre putamus, etiamſi docendi causâ alij numerant Sacramẽta aliter; ſi tamen rectè conſeruent res, in Scriptura traditas. Nec Veteres eodẽ modo numerauerũt.* Nihilominùs ſi ipſe in Apologia plura propriè dicta Sacramenta agnoſcit, quàm Confeſſioniſtæ; ſequitur hos à Confeſſione ſua, quam pro fidei ſuæ Symbolo habent, in re grauiſſima diſſidere. Videamus ergo hac in re Matris & Filiorum concordiam.

CONCLVSIO: Confeſſioniſtæ à Confeſſione ſua in numero

numero Sacramentorum propriè dictorum manifestè dissentiunt. Probatur: Quid ipsi duo tantùm propriè dicta Sacramenta numerant, Baptismum videlicet, & Cœnam; Apologia verò Confessionis admittit tria, Baptismum, Cœnam, & Pœnitentiam. Ita enim post verba iam citata loquitur: *Si Sacramenta vocamus Ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facilè est judicare, quæ sint PROPRIE SACRAMENTA. Nam Ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo propriè dicta Sacramenta: non est enim auctoritatis humanæ promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ; etiamsi fortassè rudes doceant, aut admoneant aliquid. VERE IGITVR SVNT SACRAMENTA, BAPTISMVS, COENA DOMINI, ABSOLVTIO, QVÆ EST SACRAMENTVM POENITENTIÆ. Nam hi Ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria Noui Testamenti. Certò enim debent statuere corda, cùm baptizamur, cùm vescimur corpore Domini, cùm absoluimur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter Christum.*

Quòd verò Pœnitentiam inter strictè sumpta Sacramenta referat; multis probari potest: 1. Ex ipso modo loquendi, quòd *verè* & *propriè* sit Sacramentum. 2. Quia Baptismo & Cœnæ Pœnitentiam coniungit; cùm alia impropriè dicta Sacramenta ab his separet. 3. Quia de Matrimonio paulò pòst dicit: *Si quis volet Sacramentum vocare; discernere tamen à prioribus illis* (tribus) *debet, quæ PROPRIE sunt signa Noui Testamenti, & sunt testimonia gratiæ, & remissionis peccatorum. Quòd si Matrimoniũ habebit appellationẽ Sacramẽti, quia habet mãdatum Dei; etiam alij status, seu officia, quæ habẽt mandatũ Dei, poterunt vocari Sacramenta, sicut Magistratus.* 4. Quia ibidem subiungit: *Si omnes res annumerari Sacramentis debent, quæ habent mandatum Dei, & quibus sunt additæ promissiones, cur non addimus Orationem, quæ verissimè potest dici Sacramentum? Habet enim mandatum Dei, & promissiones plurimas: & collocata inter Sacramenta, quasi in illustriore loco, inuitat homines ad orandum.*

Possent hic numerari etiam eleemosynæ: item afflictiones, quæ & ipsæ sunt signa, quibus addidit Deus promißiones. Sed omittamus ista. Ergo vult, non omnia, quæ mandatum & promissiones Dei habent, inter propriè dicta Sacramenta referri debere; etiamsi verè (in latiore tamen significatione) Sacramenta dici possent. 5. Probatur ex istis Apologiæ verbis, tit. de Pœnit. *ABSOLVTIO PROPRIE DICI POTEST SACRAMENTVM POENITENTIÆ: vt etiam Scholastici Theologi eruditiores loquuntur.* Sed omnes Theologi Scholastici, qui Absolutionem, tanquam præcipuam Sacramenti partem, Sacramentum vocant, de proprijssimè dicto Sacramento loquuntur: Ergo & Apologia.

Denique omnia, quæ Apologia ad propriissimè dicta Sacramenta requirit, in Pœnitentia reperiuntur; in aliis, quæ impropriè Sacramenta vocanda docet, ex mente ipsius non reperiuntur: Ergo Pœnitentiam propriissimè Sacramentum vocat. Probatur Antecedens: Quia vt aliquid sit propriè Sacramentum tria requirit, videlicet vt sit Ritus institutus à Deo, idque in Nouo Testaméto, vt ab eodem mandatus sit, vtq; habeat promissioné gratiæ, non cuiuscumq;, sed quæ sit Noui Testamenti propria, siue promissionem remissionis peccatorum. Atqui Pœnitentiæ Sacramentum, Ordinariam absoluendi à peccatis potestatem complectens, institutum & mandatum est in Nouo Testamento, & habet promissionem remissionis peccatorum: Ioan. 20. à v. 21. *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos, &c. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc autem tria, opinione Apologiæ, non conueniunt vlli eorum, quæ posteà nominat, & quadam ratione Sacramenta appellari posse concedit. *Confirmatio,* inquit, *& extrema Vnctio sunt Ritus accepti à Patribus*, siue non instituti à Deo. De Ordine: *Si Ordo de Ministerio Verbi intelligatur, non grauatim vocauerimus Ordinem Sacramentum. Nam Ministerium Verbi habet mandatum Dei, & habet magnificas promißiones.* Sed promissiones illæ non sunt remissionis peccatorum, respectu eorum, qui ordinan-

Digitized by Google

ordinantur; sed potiùs vtilitatis publicæ in Ecclesia, quam legitimè ordinati, tametsi mali sint, efficaciter conferre possunt. De Matrimonio ait: *Matrimonium non est primùm institutum in Nouo Testamento; sed statim initio, creato genere humano. Habet autē mandatum Dei, habet & promissiones, non quidem propriè ad Nouum Testamentum pertinentes; sed magis pertinentes ad vitam corporalem.* Magistratibus, orationibus, eleemosynis, afflictionibus manifestissimum est tria ista requisita non conuenire. Ergo non video, qua ratione negari possit, Pœnitentiam ab Apologia propriè dictum Sacramentum vocari.

DICES: Tametsi non eodem modo Confessio & Confessionistæ Sacramenta numerent, hoc tamen parùm refert; quia nec veteres eodem modo numerârunt, vt supra loquebatur Apologia.

RESPONDEO: Multum omninò referre, quòd Confessionistæ, in Confessionis suæ doctrinam iurantes, illi manifestè contradicant asserendo, duo tantùm esse propriè dicta Sacramenta, cùm Apologia tria agnoscat: negando, Pœnitentiam esse propriè dictum Sacramentum, quod tam disertis & multis verbis Apologia affirmat.

Quamuis, autem SS. Patres diuerso numero Sacramenta in Libris suis tractent; nunquam tamen pauciora referentes docent, determinatum se numerum ponere, ita vt plura Sacramenta non sint, quàm quæ recensent: nunquam ea, quæ Ecclesia inter propriè dicta numerat, talia non esse scribunt. Et ideò inter Patres & Ecclesiam Catholicam nulla contradictio est; inter Confessionistas & Confessionem est vel maxima.

ARTICVLVS X.
DE BAPTISMO.

ARticulus de Baptismo, in Confessione August. numero Nonus, originaliter hoc modo sonat: *De Baptismo docent,*

cent, quòd sit necessarius ad salutem, quodq́ue per Baptismum offeratur gratia Dei, & quòd pueri sint baptizandi: qui per Baptismum oblati Deo recipiantur in gratiam Dei. Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismum puerorum, & affirmant pueros sine Baptismo saluos fieri.

Quem Articulum, vtpote à Catholica Ecclesia desumptum, meritò approbauit Carolus V. & Theologi Catholici, cùm in Resp. ad illum Art. ita locuti sunt: *Nonus Articulus de Baptismo, quòd necessarius sit ad salutem, & quòd pueri sint baptizandi, probatur & acceptatur. Rectéque damnant Anabaptistas, hominum genus seditiosissimum, procul à finibus Sacri Rom. Imperij eliminandum: ne inclyta Germania exitialem, & sanguinarium denuò patiatur tumultum, qualem annis abhinc quinque, tot millium hominum clade, experta est.*

Duo autem hoc Articulo Catholicæ Ecclesiæ consentaneè docentur: 1. Baptismum esse necessarium ad salutem. 2. Paruulos esse baptizandos, ita vt iure damnentur Anabaptistæ, qui in infantia baptizatos in adulta ætate rebaptizant. Quorum vt neutrum reijcere possumus, ita videndum, an vtrumque cum Confessionistarum doctrina conspiret.

QVAESTIO I.

Vtrùm Confessionistæ cum Confessione sua sentiant, Baptismum ita ad salutem necessarium esse, vt paruuli absque illo decedentes non saluentur?

Manifesta sunt Confessionis verba, nec vllâ tergiuersatione eludi possunt: *De Baptismo*, inquit, *docent, quòd sit necessarius ad salutem, &c.* Et, *Damnant Anabaptistas, qui affirmant pueros sine Baptismo saluos fieri*. Quid verò hac de re Confessionistæ?

RESPONDEO: Confessioni suæ manifestè contradicunt, & in hac parte Anabaptistas contra eam defendunt, asserendo, paruulos sine Baptismo saluos fieri. Imò contrariam sententiam *sanguinariam* vocando, & quæ *Herodianam crudelitatem*

Digitized by Google

delitatem infinitis modis superet, vt loquitur Frœreisenus pag. 156. de Eccl. Quam tamen plerique Catholici ita intelligunt, vt paruulos absq; Baptismo decedẽtes vitam quidem æternam non consequi asserant; non tamen pœnâ sensus, cum aliis ob peccata per se commissa damnatis, affligi.

Ne autem corradendis multorum verbis longior sim, solius Meisneri, Professoris Wittenbergensis, non pridem defuncti (quem Frœreisenius in Præfatione Scuti *magnum illum nostri sæculi Theologum* vocat) verba adduxisse sufficiet: Anthropologiæ Decade 1. Disp. 7. q. 1. ait: *Pontificij* (& Confessio quoque Augustana) *vniuersaliter omnes infantes non baptizatos è regno cœlorum excludunt, &c. Nos autem cum Orthodoxis Theologis* (Ergo Confessio Aug. Meisnero non est orthodoxa) *sententiam hanc Papisticam & nimis duram, & minùs probabilem esse affirmamus: ideoque contrariam assumimus. &c. Quòd si autem vlteriùs quæratur, quid sit statuendum de ijs infantibus, quorum parentes, licet in Ecclesia viuant, impij tamen sunt & hypocritæ, nullamque liberorũ curam habent, sed ipsorum Baptismum negligunt? Respondeo breuiter, quòd non portent iniquitatem parentum.*

Quæstione autem II. quærit: *An etiam infantes infideliũ saluentur?* Et quæstionem isto S. Augustini dicto soluit: *Non liquet.* De re autem ipsa, vtrùm parvuli non baptizati saluentur, & vtrùm inter fidelium & infidelium infantes discrimen poni debeat, non est hîc disputandi locus; vbi sola Confessio August. quæ nihil hîc nobis controuersiæ mouet, examinatur. Illud verò manifestum est, modernos Confessionistas, hanc Meisneri doctrinam communiter tenentes, non magis Catholicorum, quàm Confessionis suæ aduersarios esse. Quia quicumque affirmat, parvulos sine Baptismo saluos fieri, est Aduersarius Articuli IX. Confessionis, vt patet ex textu: Moderni Confessionistæ affirmant, parvulos sine Baptismo saluos fieri: Ergo sunt Articuli IX. Confessionis suæ Aduersarij.

Et confirmatur ex his verbis Articuli II. *Vitium Originis verè est peccatum, damnans, & afferens nunc quoque mortem his, qui non renascuntur per Baptismum, & Spiritum sanctum.* Item ex Apolog.

Apolog. Art. IX. *Certissimum est, quòd promissio salutis pertinet etiam ad paruulos, neque verò pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, vbi nec Verbum, nec Sacramenta sunt. QVIA REGNVM CHRISTI TANTVM CVM VERBO, ET SACRAMENTIS EXISTIT. Igitur necessè est baptizare paruulos, vt applicetur eis promissio salutis.* Et paulò pòst: *Si Baptismus paruulorum irritus esset, nullus daretur Spiritus sanctus* (Quomodo ergo datur ijs, qui omnino non baptizantur?) *nulli fierent salui, denique nulla esset Ecclesia.* Sed in re tam manifesta non est opus pluribus.

QVAESTIO II.

Vtrùm Anabaptistarum error, quo docent paruulos non esse baptizandos, & in infantia baptizatos rebaptizandos, ex doctrina Confessionistarum originem trahat?

RESPONDEO affirmatiuè. Probatur I. Quia cuius nullum extat in Scriptura sacra mandatum, illud secundùm Confessionistas non est faciendum, vt passim affirmant: De baptizandis infantibus nullum extat in Scriptura sacra mandatum: Ergo paruuli secundùm Confessionistas non sunt baptizandi. Probatur Minor: Quia hactenus nullum tale mandatum ostendere potuerunt. Apologia quidem loco citato dicit, paruulos esse baptizandos, propter istud Christi mandatum: *Baptizate omnes gentes.* Ex quo Ministri Saxonici in *Pupilla* pag 123. euidenter concludi asserunt, paruulos esse baptizandos. Sed nulla ratione hoc dicere possunt: quia Verba Christi Matt. 28.19. ita sonant: *Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes EOS in nomine Patris, &c.* Ergo ex hoc solo Christi mandato aliud euidenter concludi non potest, quàm eos baptizandos esse, qui docendi sunt, & doceri possunt. Sed paruuli non possunt doceri: Ergo ex hoc Christi mandato euidenter concludi non potest, quòd debeant baptizari. Præsertim in doctrina Confessionistarum, qua dicunt, eundem esse Verbi & Sacramenti effectum, & Verbum incurrere in aures,

Ritum

Digitized by Google

Ritum in oculos, vt vtroque moueantur corda ad credendum. Sed paruuli per verba ad credendum moueri non possunt: Ergò neque per Ritum Baptiſmi. Ergo ex doctrina Confeſsioniſtarum inutiliter baptizantur.

Quare Philippus, non habens aliud Christi mandatum, præter hoc de quo dictum eſt, ad Eccleſiæ conſenſum in hoc negotio recurrendum eſſe ingenuè fatetur, in Locis ſupra citatis, tit. *De Baptiſmo infantium. Cùm conſtet*, inquit, *Anabaptiſtas agi fanatico ſpiritu, non moueat nos eorum auctoritas, vt diſcedamus à communi conſenſu veteris Eccleſiæ de baptizandis infantibus.* Et relato teſtimonio Origenis, qui in c. 6. Rom. dicit, Eccleſiam ab Apoſtolis traditionem de baptizandis infantibus accepiſſe. Item Cypriani, & Auguſtini in eundem ſenſum loquentium. *Obſeruandum eſt*, inquit, *non eſſe tutum, dogma aliquod recipere, cuius prorſus nullum extat teſtimonium in veteri Eccleſia.* Item, *Vniuerſalis*, inquit, *conſenſus Eccleſiæ omnium temporum eſt teſtimonium, quòd hæc ordinatio ſit Apoſtolica.* Et addito hoc mandato (*Baptizate omnes gentes*) *Si hæc*, inquit, *reſponſio non ſatisfacit Aduerſarijs; interrogemus & ipſos viciſsim: qua auctoritate ipſi improbent Vniuerſalem conſenſum Eccleſiæ? Et vtrùm ſentiant pueros extra Eccleſiam ſaluos fore?* Vtinam per totam Confeſſionem Auguſt. quando traditiones Eccleſiæ damnauit, hoc modo ratiocinatus eſſet Philippus, & Confeſſioniſtæ etiamnum ratiocinarentur, vt in hoc tanti momenti Articulo ratiocinari coguntur!

II. Apologia loc. cit. pro Baptiſmo paruulorum ita argumentatur: *Si hic Baptiſmus irritus eſſet, nullis daretur Spiritus ſanctus, nulli fierent ſalui, denique nulla eſſet Eccleſia. Hæc ratio bonas & pias mentes vel ſola ſatis confirmare poteſt contra impias & fanaticas opiniones Anabaptiſtarum.* Sed hæc ratio ap[illegible]onfeſſioniſtas nulla eſt: quia infantes ſecundùm ipſos Spiritum ſanctum accipiunt, & ſalui fiunt, etiamſi vel ex neceſſitate aliqua, vel etiam ex negligentia parentum ſine Baptiſmo moriantur.

III. Confeſſio docet, Baptiſmum eſſe inualidum, niſi

qui baptizatur fide apprehendat eam, quæ in Baptiſmo per Verbum & Ritum offertur gratiam. Vnde non ſine emphaſi Art. IX. dicere videtur, in Baptiſmo *offerri* gratiam, non *conferri* Nam & Apologia tit. de num. & vſu Sacram. ſic argumentatur: *Promiſsio eſt inutilis, niſi fide accipiatur: At Sacramenta ſunt ſigna promiſsionum: Igitur in vſu debet accedere fides.* Atqui infantes, neque Verbum, neque Ritum intelligentes, non poſſunt per ea in Sacramenti vſu moueri ad credendum: Ergo tametſi dum baptizantur verè crederent, quia tamen per ipſum Baptiſmum non mouerentur ad credendum, inutiliter omnino baptizarentur.

Quid quòd Lutherus in Lib. cont. Anabapt. dubitat, vtrùm in Baptiſmo crediderit, inquiens: *Ego & gratias ago Deo, & gaudeo, me paruulum eſſe baptizatum. Ibi enim feci, quod Deus præcepit: ſiue ego crediderim; ſiue non: ſum tamen baptizatus ſupra mandatum Dei.* Cùm ergo idem Anno 1522. contra Cochlæum ſcripſerit: *Aſſerimus, paruulos prorſus non eſſe baptizandos, ſi verum eſt eos in Baptiſmo non credere: ne illudatur Maieſtatis Sacramentum, & Verbum*: & hoc idem Confeſſioniſtæ ſentiant: cumque certum non ſit, an infantes in Baptiſmo ſuo de facto credant (neque enim vllâ auctoritate diuinâ id certò probabunt vnquam: & experientia contrarium docet) indignari Anabaptiſtis non poſſunt, quòd ipſi in infantia, fortè non legitimè ex doctrina Confeſſioniſtarum baptizatos, in adulta ætate rebaptizent.

IV. Poſito infantes validè & fructuosè ſecundùm doctrinam Confeſſioniſtarum baptizari; nihilominùs Anabaptiſtæ, eos in adulta ætate rebaptizantes, ab ipſis culpari non poſſent. Quo enim infallibili argumento demonſtrabunt, Baptiſmum eidem ſæpiùs conferri non poſſe; cùm Cœna Domini, eundem cum Baptiſmo, ex ipſorum mente, effectum habens, ſæpiùs, & quidem non niſi adultis conferatur?

Ait quidem Philippus in Locis, de Baptiſmo: *Ipſum ſignum non debet iterari; quia iteratio Ceremoniæ nihil prodeſſet: & ſignum ſemel acceptum eſt perpetua nota, & perpetuum teſtimoniũ.*

Sed

Sed quanam hoc ratione probatur? An non sæpiùs sacrâ Eucharistiâ vtimur; & illa semel suscepta, præsertim in adulta ætate, magis nos de pacto Dei, quod nobiscum in illius sumptione inijt, totâ vitâ confirmare posset, quàm Baptismus, quem quis in infantia suscepit, & an, aut qua ratione susceperit aliunde non habet, quàm ex aliorum relatione: quæ quamuis ordinariè hominem de Baptismo suo moraliter certum reddere possit; non tamen ita eum mouere, vt ipsum Sacramentum intelligenti & credenti exhibitum? Dicit quidem Apostolus, ad Ephes. 4. 5. *Vnus Dominus, Vna fides, Vnum Baptisma*. Quod quidam Interpretes ideò quoque dictum exstimant, quia Baptisma iterari non potest. Nihilominùs ex solo hoc loco certò id & infallibiliter concludi nequit: quia fidem, quæ similiter hîc vna dicitur, sæpiùs quis suscipere potest: si sæpiùs in hæresin lapsus semper denuò conuertatur. Et 1. Cor. 10. 17. etiam sacra Eucharistia vnus panis vocatur: quem nihilominùs sæpiùs sumere possumus, & debemus.

Adde quòd Confessionistæ doceant, Baptismum Ioannis, & Christi eiusdem efficaciæ fuisse. Ita enim Philippus loc. cit. *Vterque Baptismus signum fuit Noui Testamenti: neque quidquam interest inter Baptismum Ioannis, & Apostolorum, nisi quòd Baptismus Ioannis testabatur Venturum esse Christum; Baptismus Apostolorũ testatur jam exhibitũ esse Christũ. Caterũ vterq; Baptismus est ministerium, & requirit fidem in Christum, & ea fide pariter sanctificabantur, & saluabantur baptizati, tum à Ioanne, tum ab Apostolis.* Cùm ergo ex Act. 19. constet, eos, qui Baptismo Ioannis jam baptizati erant, denuò baptizatos Baptismo Christi; qua ratione Anabaptistas erroris conuincere poterunt, quòd in infantia baptizatos in adulta ætate rebaptizent? Certè, positis Confessionistarum principijs, multo rationabiliùs faciunt Anabaptistæ baptizando solos adultos, & in infantia baptizatos rebaptizando, quàm Confessionistæ baptizando paruulos.

Quare meritò de Anabaptistis etiam intelligi potest, quod

de Suermeris ſcribit Lutherus, in Lib. contra Regẽ Angliæ, in hunc modum; *Sed quid ego vlteriùs iraſcor Papiſtis, qui mihi publici, ac ex indicto hoſtes exiſtunt, & quidquid in me perpetrant, ſecundùm jus hoſtilitatis faciunt, ſicut decet? At iſti primùm mihi ſunt verè noxij, tenelli Filioli mei, Fraterculi mei, aurei Amiculi mei, ſeditioſi Spiritus, ac Suermeri: qui, vt mihi videtur, neque de Chriſto, neque de Euangelio aliquid præclari ſciuiſſent, ſi non priùs ſcripſiſſet Lutherus: & per ſuam nimirum ſcientiam ex Papæ tyrannide in talem libertatem, lucemque difficulter ſe aſſeruiſſent.*

ARTICVLVS XI.

DE COENA DOMINI, ET COMMVNIONE LAICORVM SVB VTRAQVE SPECIE.

ARticulo X. agit Confeſſio de Cœna Domini paucis his verbis: *De Cœna Domini docent, quòd Corpus & Sanguis Chriſti verè adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini, & improbant ſecùs docentes.* In Germanico autem exemplari dicitur, quòd ſub ſpeciebus panis & vini verè contineatur & exhibeantur Corpus & Sanguis Chriſti.

Quæ verba, quia doctrinæ Catholicæ contraria non ſunt, propriam in hac grauiſſima materia Lutheranorũ Confeſſionem non continent. Quia Confeſſio alicuius propria inter ipſum, & quemlibet, contrariæ circa eandem materiam Confeſſionis, diſcrimen facere debet: Sed Articulus jam citatus non facit diſcrimen inter Catholicos & Lutheranos: id enim tantùm dicit, de quo inter nos nulla fuit vnquam controuerſia. Quamplurima verò de S. Euchariſtia controuerſa ne inſinuat quidem. Ergo vt iſta Confeſſio: *Pater eſt verus Deus*, non eſt propria Arrianorum; quia de illa inter ipſos & Catholicos nunquam diſputatum fuit; ita hæc de Cœna Domini non poteſt dici propria Lutheranorum. De

Digitized by Google

De Communione sub vtraque specie est Articulus XXII. in quo dicitur I. Laicis vtramque Sacramenti speciem dandam esse, quòd ita Christus mandauerit. II. Quòd cõsuetudo, Laicos sub vna specie communicandi, non sit tantùm contra Scripturam; sed etiam contra veteres Canones, & veteris Ecclesiæ exemplum. III. Apud ipsos processionem in Ecclesia Romana fieri solitam omitti, quòd diuisio Sacramenti cum institutione Christi non conueniat. De his pauca dicẽda sunt.

QVAESTIO I.

Vtrùm in Confessione Augustana nulla commissa sit fraus circa Articulum de Cœna Domini?

RESPONDEO: Philippus, si vsquam in Confessione fraudulenter egit, vt passim egisse manifestum est, in Articulo de Cœna Domini egit fraudulentissimè. Præterquàm enim quòd omnia puncta inter nos & Lutheranos circa hanc materiam controuersa omittit, in Apologia huius Articuli dicit, id à Theologis Catholicis concessum, quod ipse in Confessione non expressit, quodque concedi à nostris non posse probè nouerat. *Decimus*, inquit, *Articulus approbatus est, in quo confitemur, nos sentire, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint Corpus & Sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt.* Sed in Art. Confessionis Cæsari oblatæ non habetur, Corpus & Sanguinem Christi cum pane & vino exhiberi, vt ex verbis citatis manifestum est: atque ideò ne fraudem quis tam facilè deprehenderet, ipsamConfessionem deprauare voluit Philippus, loco verborum originalium hæc substituens: *De Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeãtur Corpus & Sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini.*

Deinde cùm Articulo II. Confessio à Catholicis taxata esset, quod peccatum Originale ita describat, vt potiùs actualia peccata commemorare, quàm originale vitium exprimere videatur; prouocauit Philippus ad exemplar germanicum,

in quo non ſoli actus, ſed etiam actuum efficiendorum potentia à peccato originali excluditur. Si autem in hoc quoque Art. verba latina, diuerſos ſenſus patientia, ad exemplar germanicum reuocemus, apparebit potiùs negari, quòd cum pane & vino exhibeatur Corpus & Sanguis Chriſti in Cœna, quàm affirmari. Quia ſpecies panis & vini non ſunt panis & vinum: Sed in germanico dicitur, ſub ſpeciebus panis & vini exhiberi Corpus & Sanguinem Chriſti: Ergò non cum pane & vino. Quia iſte loquendi modus, ab Eccleſia Catholica ſumptus, vel idem ſignificare in Confeſſione debet, quod in tota Eccleſia illo tempore ſignificabat; vel fraudulenter à Philippo vſurpatus eſt: Sed in tota Eccleſia ſignificabat Corpus & Sanguinem Chriſti non eſſe cum vel ſub pane & vino, ſed cummutato pane & vino in Corpus & ſanguinem, & relictis tantùm panis & vini externis qualitatibus, ſub illis verè & realiter contineri: Ergo &c.

Ad hæc Apologiam de fraude & calumnia manifeſtè conuincunt verba iſta Catholicorum in Confutatione: *Adijcitur vnum, tanquam ad illius Confeſſionis Articulum valdè neceſſarium, vt credant Eccleſiæ potiùs, quàm nonnullis aliter malè docentibus, omnipotenti verbo Dei in Conſecratione Euchariſtiæ ſubſtantiam panis in Corpus Chriſti mutari. Ita enim in Concilio generali definitum eſt*, C. *Firmiter, de Sum. Trinit. de fide Cath.* Anne his verbis approbatur doctrina, quòd cum pane & vino exhibeatur Corpus & Sanguis Chriſti, quibus non tantùm ſubſtantia panis in Corpus mutari dicitur (quod cauillando non de Tranſmutatione reali, ſed ſacramentali exponere poſſent, vt plurima loca Patrum exponere conſueuerunt) ſed etiam ipſum Concilij decretum citatur, in quo vera & realis Tranſubſtantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti omnibus credenda proponitur?

Præctereà, vt de Cyrillo, quem ibidem Apologia pro ſe citat, nihil dicam; an non omninò depuduiſſe oportet Philippum, dum Imperatorem Carolum, dum totam Romanam & Græcam Eccleſiam eiuſdem ſecum hac in re ſententiæ facit?

Digitized by Google

cit? *Hæc recitauimus*, inquit, *non vt hic disputationem de hac re institueremus (non enim improbat hunc Art. Cæs. Maiestas) sed vt clariùs etiam perspicerent, quicumque ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia* (quam paulò ante Romanam & Græcam vocat) *sententiam, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint Corpus & Sanguis Christi, & verè exhibeantur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino.* Et tamen non poterat ignorare Philippus, à tota Ecclesia defendi, non cum pane & vino; sed, his per consecrationem transubstantiatis, sub eorum speciebus Corpus & Sanguinem Christi contineri. An non pudet Confessionistas, pro regula fidei habere Scriptum, tot & tam luculentis calumniis & fraudibus refertissimum?

Non est autem quòd ipsum Transubstantiationis mysterium multis hoc loco defendamus: quia nullam nobis de eo controuersiam mouet Confessio originalis: sed verbotenus saltem insinuat, se transubstantiationem non damnare, dum sub speciebus panis & vini Corpus & Sanguinē Christi contineri, asserit. Nisi in ipsa quoque Confessione originali fraus circa hoc agnoscēda est. Quia qui in aliquo fidei Articulo Cōfessionem suam exhibere jussus, eâ loquendi formâ vtitur, quæ ex sensu communi significat, ipsum ab Aduersario suo hac in parte non dissentire, is vel verè consentire debet; vel, si non consentit, & verbis consentire se simulat, fraudem committit: Lutherani, fidei suæ Confessionem exhibere jussi, in Art. X. eâ loquendi formâ vsi sunt, quæ ex sensu communi aliud non significabat, quàm, substantialiter mutato pane & vino, Corpus & Sanguinem Christi sub eorum speciebus contineri: Ergo vel verè ita sentire debuerunt: vel per fraudem Catholicis illuserunt.

Nos verò Transubstantiationem non possumus non defendere: quia quamuis Christi verba, per quæ Transubstantiationem probamus, obscura essent (prout non tam clara sunt, vt Caluinistam aut Lutheranum, in errore suo pertinacem, & Ecclesiæ auctoritatem respuentem ita conuincere possint, vt ipsi elabendi verisimilitudine quadam coloratas vias omnes præclu-

præcludant. Tametſi ea cum Concilio Tridentino per ſe pacatis iudiciis ſatis clara eſſe exiſtimamus. Et hoc ſenſu intelligendum eſt, quod Art. I q. II. dixi, nuſquam in Scriptura hanc Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam ita clarè determinari, vt partes litigantes, inter quas duæ in erroribus ſuis pertinaces ſunt, ex illa ſola certò ſtatuere poſſint, cuinam verum adſcribatur. Omnes enim Scripturam pro ſe ſtare contendunt.) tamen meritò circa hanc rem, non ſatis per ſe liquidam, in vniuerſalis Eccleſiæ iudicio acquieſceremus: vt in Articulo de Baptiſmo parvulorum nos acquieſcere debere ex dictis ſequitur. Aliis verò argumentis, pro noſtræ ſententiæ confirmatione vtentes, non hoc vellemus, quòd illis ſolis, Eccleſiæ auctoritate ſepoſitâ, euinci poſſet, verum eſſe, quod ſentimus; ſed, vt Epiſt. 23. de Baptiſmo parvulorum loquitur S. Auguſtinus: *Saluberrima conſuetudinis* (doctrinæ ab Eccleſia propoſitæ) *redderemus, quam poſſemus, rationem.* A qua conſuetudine, & doctrina in hac quoque materia diuelli nos patiemur, vbi Aduerſarij manifeſtis Scripturæ teſtimoniis contrarium demonſtrauerint.

Neque verò noſtrum eſt, omnes & ſingulos Religionis noſtræ Articulos manifeſtis Scripturæ teſtimoniis probare; quia non ad ſolam Scripturam Aduerſariorum more prouocamus; ſed cùm eius dicta obſcuriora ſunt, Eccleſiæ iudicium de vero illorum ſenſu conſulimus. Quare nihil agit Frœreiſenius, dum pag. 54. & 55. à nobis requirit, vt omnes propoſitiones, quas de S. Euchariſtia aſſerimus, manifeſtè ex Scriptura probemus. *Certè*, inquit, *Scotus, Durandus, Biel, Caietanus, & Roſſenſis diſertè fatentur, Tranſubſtantiationem ex Scriptura probari non poſſe.* Et ne mendacium deſit: *Quibus tacitè*, inquit, *adſtipulatur Bellarminus, lib. 3. de Euch. c. 19.* Bellarminus enim iſto loco ita loquitur: *Adde quòd, licet in verbis Domini eſſet aliqua obſcuritas, vel ambiguitas, ea tamen ſublata eſt, per multa Concilia Catholica Eccleſiæ.* Item, *Poſt conſecrationem* pergit Frœreiſenius *Corpus & Sanguis Domini nõ adſunt ſacramentaliter, ſi aſſeruentur ſpecies conſecratæ. Hæc noſtra eſt negatiua, ideò Thomæ affirmanti*

Digitized by Google

affirmanti incumbit probatio. Quod ipsum responsum esto ad tertium, Christum in Sacramento ritu externo adorandum non esse in sensu Papistico acceptum.

Item, *Sextum lemma, Missam non esse sacrificium. Non est: ecce tu proba, & ad nostras tum in Scuto, tum in Mysaria obiectiones, si tua prouinciæ partes ritè peregisse apud tuos videri vis, respōde.*

Sed aliud est Aduersarij argumentis respondere, aliud, suam sententiam manifestis Scripturæ testimoniis probare. Prius certè non admodum difficile nobis est: quamuis seposità Ecclesiæ auctoritate infructuosum, quòd nullum faciat vnquam disputationi finem. Posterius in omnibus fidei Articulis fieri non posse concedimus: & ideò ad Ecclesiæ judicium in obscuris & ambiguis confugimus. Itaque Frœreisenius, dum ait: *Nos negamus; vos asseritis: Ergo tu proba*: idem facit, ac si quis litem alicui bonæ fidei, & longissimi temporis possessori de dominio mouens, diceret: *Tu asseris domum istam cum tota supellectile esse tuam; ego nego: Ergo tu proba; ego respondebo.* In omni certè iudicio talis vt calumniator repelleretur. Cùm ergo Frœreisenius eorum causam defendat, qui nobis, in doctrinæ Euangelicæ possessione per multa sæcula constitutis, litem primi intentarunt, ipsi probare incumbit, quòd erremus, & contra Scripturæ manifestam veritatem aliquid defendamus. Et quia vult, asserentis esse probare; asserit ipse, nos in prædictis, & alijs Articulis, quos à Maioribus nostris, & vniversalis Ecclesiæ traditione accepimus, errare; nos negamus: Ipsi ergo, vt Actori, non nobis vt in jus vocatis probatio incumbit. Sed probatio manifesta, ex illis ipsis tabulis, ad quas cum suis prouocat. An verò talem in controuersis Articulis probationem adducere possit, per tria specimina loc. cit. ostendit: videlicet asserit cum suis, *Christum secundùm humanitatem esse vbique*: quod manifestis Scripturæ testimonijs probaturus, illa adducit, quæ nihil minùs, quàm manifestè dicunt, quod ipse sentit: vt illud Matt. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus.* Psal. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare.* Psal.

109. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* De quibus videri possunt quæ Art. III. dicta sunt.

Præterea, *Quintum*, inquit, *lemma probandum hoc est: Omnibus Christianis necessariò vtramque speciem esse porrigendam. Impudentissimum quis inficiaretur eum, qui ambiguum & necessarium esse negaret id, quod Christus omnibus faciendum esse præcepit? Quid enim manifestius eo, quod extat apud Matthæum: Bibite ex hoc omnes.* Sed quàm hoc manifestum sit, quæstione seq. videbimus. Interim miror, quomodo impudentem vocet eum, qui ambiguum esse negat, quod Christus manifestè dixit, vel præcepit.

Item, *In Eucharistia post consecrationem manere panem & vinum probamus*, inquit, *duobus apertis Scripturæ dictis*: 1. Cor. 10. v. 16. *Panem & vinum benedictum vocat B. Paulus κοινωνίαν Corporis & Sanguinis Christi: quod dicere non potuisset, ni panem in vsu S. Cœnæ manere statuisset. Item* 1. Cor. 11. v. 26. *idem Paulus post consecrationem expressè vocat panem: Quicumque manducauerit panem hunc, &c. Eundem igitur manere necesse est.*

Hæc scilicet manifesta sunt testimonia, ex quibus tale ducit argumentum: *Paulus Eucharistiam vocat panem: Ergo in illa manet substantia panis: quia vocabulum panis hoc propriè significat.* An non eâdem facilitate cum Sacramentarijs argumentari quis posset: *Paulus Eucharistiam vocat panem, quod propriè intelligendum est: Ergo Eucharistia non est propriè Corpus Christi?* Iam verò suppositâ Confessionistarum doctrinâ, quâ Corpus Christi de pane Eucharistico prædicatum propriè intelligunt, multo clariùs ex his locis sequitur, in Eucharistia non esse ampliùs substantiam panis, quàm illam ibi esse. Si enim panis iste quem frangimus est communicatio Corporis, siue, vt ex verbis Institutionis patet, est ipsum Corpus Domini; non potest vtrumque propriè accipi. Neque enim panis, propriè dictus, Corpus Christi propriè dici potest; neque Corpus Christi propriè panis. Quamuis enim pani Sacramentaliter coniunctum velint esse Corpus Christi, coniunctio tamen illa facere non potest, vt coniuncta de se inuicem verè & propriè prædi-

Digitized by Google

prædicentur. Sicut quamuis anima corpori humano intimè coniuncta sit, ostendendo tamen corpus dicere non possum: *Hoc est anima.* Et quamuis diuinitas Corpori Christi personaliter vnita sit, ostendendo tamen Corpus Christi dicere non possum: *Hoc est diuinitas.* Ergo neque ostendendo panem verè & propriè dicere possem: *Hoc est Corpus Christi*, tametsi Corpus Sacramentaliter pani coniunctum foret.

Quàm verò inefficax sit illud argumentum: Eucharistia post consecrationem adhuc vocatur panis: Ergo panem propriè dictum in ea manere necesse est, constat ex ipso Kemnitio, qui in Examine Concil. Trid. ad Sess. 13. Cap. 4. & Can. 2. fatetur, appellationem panis, cùm de Eucharistia in Script. sermo est, impropriè accipi posse, si modò aliunde constet, Transubstantiationem per panis consecrationem fieri: idque propter tres rationes. I. Quia extant in Scriptura exempla, vbi res in alias substantialiter conuersæ, priorem appellationem retinuerunt: vt virga Aaronis, conuersa in colubrum, post conuersionem adhuc appellatur virga. Exod. 7. Homo de terra productus vocatur terra, Genes. 3. & Eua os ex ossibus, Gen. 2. II. Quia panis omne genus alimenti significat: cùm ergo Eucharistia sit alimentum animarum nostrarum, rectè panis vòcabulo appellari potest: quo modo ipse Christus Ioan. 6. aliquoties se panem vocat. III. Quia accidentia panis non tantùm panis speciem præ se ferũt, sed panis quoque vice funguntur, & eosdem cum illo effectus naturales operantur. His quarto loco addi potest, quòd Eucharistia non simpliciter appelletur panis; sed addito articulo, eminentius quid, quàm panem terrenum significante, Vt etiam Ioan. 6. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui: qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Transubstantiationem verò in Eucharistiæ consecratione fieri, habemus I. ex verbis Institutionis Christi: Quia Christus de eo, quod manibus tenebat, verè & propriè dixit: *Hoc est Corpus meum.* Cùm enim hoc de pane, etiam cum corpore Christi Sacramentaliter coniuncto, verè & propriè dici non

possit, vt jam ostendimus; sequitur, vel Corpus Christi, vel panem impropriè intelligendum esse. Ergo cùm Confessionistæ Corpus Christi nobiscum propriè intelligant; non possunt panem aliter, quàm impropriè accipere. Quòd si autem hoc argumentum ex Script. non est satis clarum, & efficax; ostendant ipsi clarius, & efficacius aliquod pro Baptismo parvulorum.

II. Habemus idem ex Scriptis Veterum, & Orthodoxorum Patrum: de quibus ipse Kemnitius loc. cit. ait: *Cumulant Pontificij multas veterum sententias, in quibus illi dicunt: Panem quidem appellari; sed credi, & esse Corpus Christi, non panem: De pane fieri Corpus Christi: Panem mutari, commutari, seu transmutari in Corpus Christi: Creaturas conuerti in substantias Corporis & Sanguinis Christi: Panem & vinum transire in diuinam substantiam: Ante Christi verba panis dicitur; vbi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed Corpus Christi appellatur: Benedictione etiam natura ipsa mutatur, vt non hoc sit, quod natura formauit; sed quod benedictio consecrauit.* Quamuis autem ipse per mutationem Sacramentalem omnia hæc Patrum testimonia eludi posse existimet (quòd nimirum ex pane communi fiat panis Eucharisticus, qui non tantùm panis sit, sed etiam Corpus Christi) hoc tamen menti Patrum consentaneum non est, Neque enim dicere potuissent: *Non esse ampliùs panem, non esse quod natura formauit, sed panem transmutatum in diuinam substantiam* (idque adhibitis in confirmationem alijs miraculis, in quibus Deus per omnipotentiam suam res quasdam in alias commutauit: vt aquã in vinum, Ioan. 2. &c.) nisi panem substantialiter, non annihilatũ, vt calumniatur Kemnitius, sed in Corpus Christi cõuersum existimarent. Quomodo enim verum est, non esse ampliùs panem, non esse hic credendum sensibus externis (vt præter alios docet Cyrill. Hierosl. Catech. 4. his verbis: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat*) si substantia panis verè remaneat, & Corpus Christi sub illo Sacramentaliter tantùm præsens esse

incipiat?

incipiat? Idque, in ſententia Confeſſioniſtarum, abſque reali panis & Corporis Chriſti mutatione: Nam & Corpus Chriſti ante realiter pani præſens, & coniunctum erat, per omnipræſentiam, quam ipſi Lutherani affingunt; & panis, in ſubſtantia ſua manens, ex deſtinatione Dei nouum tantùm ſignificandi modum, non virtutem per ſe aliquid efficiendi accipit: vt ex dictis de Sacramentis in communi conſtat.

III. Tranſubſtantiationem habemus, vt alia Concilia omittam, ex magno illo Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. ante 400. annos celebrato: cuius Caput primum hoc modo inchoatur: *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur*: ac deinde poſt Articulum de Deo Trino & Vno, de Incarnatione Verbi, de corporum humanorum reſurrectione, de vniuerſali fidelium Eccleſia, extra quàm nullus ſaluatur, ſtatuitur: *Verum Chriſti Corpus & Sanguinem in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, tranſubſtantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem, poteſtate diuina.* Et c. 3. *Excõmunicamus*, inquit, *& anathematizamus omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus hanc Catholicam fidem, quam ſuperiùs expoſuimus*: Vnde conſtat, falſum eſſe quod dicit Kemnitius, Articulum de Tranſubſtantiatione in hoc Concilio ſub anathemate definitum non eſſe.

Itaque quod S. Auguſtinus in ſimili, vel etiam obſcuriore quæſtione (*An baptizati ab hæreticis rebaptizandi ſint*) docet, idem & nos hoc loco amplectimur: Lib. 2. cont. Parmen. cap. 13. *De his*, inquit, *qui ab Eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt, nulla iam quæſtio eſt, quin & habeant, & dare poßint* (Baptiſmum) *& quin pernitiosè habeant, pernitioſeque tradant extra vinculum pacis. Hoc enim jam in ipſa totius orbis vnitate diſcuſſum, conſideratum, perfectum, atque firmatum eſt.* Quàm verò obſcura ante vniuerſalis Eccleſiæ definitionem res iſta fuerit, lib. 1. de Baptiſ. cont. Donatiſt. c. 7. tradit dicens: *Quæſtionis huius obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus, ante ſchiſma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit, ſaluâ pace, diſceptare, atque fluctuare, vt diu Conciliorum, in*

suis quibusque Regionibus, diuersa statuta mutauerint: donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.

Ergo quamuis aliquando de transubstantiatione inter veteris Ecclesiæ fideles, etiam Episcopos, disputatum, & dubitatum fuisset; postquam tamen in celeberrimo isto Concilio Latranensi (cui, præter Patriarchas Hierosolomytanum & Constantinopolitanum. LXX. Metropolitani, & CCCC. Episcopi interfuerunt, Romanique, ac Græci Imperatorum Legati, nec non Regum Ierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores, &c.) definitum est, Transubstantiationem in S. Eucharistiæ consecratione fieri; de hac re nemini jam dubitare licet. Quia (vt S. Augustinus lib. 4. de Bapt. c. 16. ait) *Hæreticus est, qui manifestata sibi doctrinâ Catholicæ Fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.*

QVAESTIO II.

Vtrùm Communio Laicorum sub vna specie mandato Christi, veteris Ecclesiæ Consuetudini, & Canonum Decretis repugnet?

ARticulo XXII. ita loquitur Confessio Originalis: *Constat quòd consuetudo contra mandata Dei introducta non sit probanda, vt testantur Canones, Dist. 8. Cap. Veritate, cum sequentibus. Hæc verò consuetudo* (Communionis sub vna specie) *non solùm contra Scripturam, sed etiam contra veteres Canones, & exemplum Ecclesiæ recepta est.* De mandato Dei ita probat: *Laicis datur vtraque species Sacramenti in Cœna Domini: quia hic mos habet mandatum Domini: Matt. 26. Bibite ex hoc omnes: vbi manifestè præcepit Christus, de populo vt omnes bibant. Et ne quis possit cauillari, quòd hoc ad Sacerdotes tantùm pertineat, Paulus ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet totam Ecclesiam vtraque specie vsam esse.*

De Veteris Ecclesiæ consuetudine, & Canonibus his verbis agit: *Et diu mansit hic mos in Ecclesia; nec constat quando, aut*

aut quo Auctore mutatus sit. Tametsi Cardinalis Cusanus recitet, quando sit approbatus. Cyprianus aliquot locis testatur, populo sanguinem datum esse. Idem testatur Hieronymus, qui ait: Sacerdotes Eucharistiam ministrant, & Sanguinem Christi populis diuidunt. Imò Gelasius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentum, Dist. 2. de Consecratione, Cap. Comperimus. Tantùm consuetudo non ita vetus aliud habet.

NOTA I. Non esse quæstionem, vtrùm Laici in antiqua Ecclesia sub vtraque specie communicauerint (hoc enim non negamus) sed vtrùm Ecclesia vetus omnibus ex mandato Christi sub vtraque specie necessariò communicandum existimauerit. Itaque Confessio frustra ex Paulo, & antiquis Patribus probat, morem sub vtraque specie communicandi antiquitùs vsitatum fuisse: frustra in germanico dicit, non dari vllum antiquum Canonem, qui vnam tantùm Sacramenti speciem præcipiat.

NOTA II. Communiter quidem persuaderi Lutheranos, minùs se sub vna specie Sacramenti, quàm sub vtraque sumpturos: quia Philippus in Apologia huius Articuli alterutram speciem tantùm partem Sacramenti vocat: nihilominùs totum Christum sub qualibet specie contineri, & verum Sacramentum sumi: Totum quidem Christum sub quauis specie contineri probatur: Quia cum Catholici in Resp. ad Art. X. dixissent, Articulum illum in verbis nihil offendere, si modò crederent sub qualibet specie integrum Christum adesse: alioqui Corpus Christi fore mortuum, & exangue, &c. breuiter ad hoc replicauit Philippus in Apologia: *Loquimur de præsentia viui Christi: scimus enim, quòd mors ei vltra non dominabitur:* Et clariùs in Apologia Originali, quæ teste Chytræo pag. 344. hæc sola ad Art. X. verba habet: *In decimo Articulo neque nos fingimus, mortuum Corpus Christi sumi in Sacramento, aut Corpus exangue, aut Sanguinem sine Corpore sumi: sed sentimus integrum & viuum Christum adesse in qualibet parte Sacramenti.*

Verum autem Sacramentum sub qualibet specie sumi, præsertim in sentétia Lutherana, quâ Sacramenta nihil per se

efficere

efficere traditur, sed tantum significare, facilè probari potest. Quia Sacramentum Eucharistiæ duas habet significationes principales, refectionis videlicet internæ, & vnionis Christianorum inter se, & cum Capite suo Christo: sed vtraque per singulas species satis exprimitur: refectionis quidem internæ; quia hæc per cibum, aut potum indifferenter significatur: Vnde Matt. 5. eadē justitia esuriri & sitiri dicitur. Quòd autem significatio vnionis fidelium inter se, & cum Christo per vnam Sacramenti speciem satis exprimatur, docet Apostolus 1. Cor. 10. inquiens: *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Quin imò ex verbis Apologiæ colligitur, solâ specie panis sumptâ totam huius Sacramenti non tantùm significationem, sed etiam efficaciam saluari. *Sacramentum,* inquit, *institutum est ad consolandas & erigendas territas mentes; cùm credunt carnem Christi, datam pro vita mundi, cibum esse; cùm credunt, se coniunctos Christo viuificari, &c.* Quid ni enim hoc credere possit vnicam speciem sumens, sub qua totum se Christum sumere credit? Nihilominùs omnes fideles ad vtriusque speciei sumptionem obligatos fatebimur, si Christus omnibus & singulis Christianis vtramque sumendam mandauit.

CONCLVSIO I. Nullum Christi mandatum ex Scriptura adduci potest, quo omnes & singulos Christianos ad S. Eucharistiæ sub vtraque specie sumptionem obligauerit. Probatur I. Quia si quod tale mandatum extaret, vel apud Ioan. c. 6. vbi de futura Eucharistiæ institutione agitur; vel apud alios Euangelistas, institutionem Christi describentes; vel apud Paulum, eandem institutionem referentem, extaret. (Nusquam enim alibi de hoc negotio scriptum legimus) Sed apud nullum horum extat Christi de vtriusque speciei sumptione mandatum: Ergo, &c.

Probatur Minor de Ioanne: Quia Aduersarij apud illum de Eucharistia agi negant; & ideò nihil ex illo pro sententia sua stabilienda adducere possunt. Quamuis autem in hoc ipsis non consentimus; nihil tamen in Ioanne videmus,

quod,

Digitized by Google

quod, nostrâ sententiâ positâ, omnes Christianos ad vtramque speciem obliget (tametsi quidam Catholici hoc existimantes statuerint, de Eucharistiæ Sacramento apud Ioannem non agi) Nam vt Concilium Trid. Sess. 21. c. 1. rectè ait: *Sed neq; ex Sermone illo apud Ioannem 6. rectè colligitur, Vtriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse (vtcumque juxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur) Namque qui dixit: Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem; non habebitis vitam in vobis; dixit quoque: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam: Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo; dixit nihilominùs: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quia videlicet cibus & potus spiritualis reipsa idem est: sicut idem est spiritualiter esurire, & sitire: juxta illud eiusdem Capitis: *Qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet vnquam.*

Apud alios verò Euangelistas, institutionem Christi describentes, nullum extare præceptum, omnes omninò fideles ad communionem sub vtraque specie obligans, probatur: Quia illud Matt. 26. *Bibite ex hoc omnes*, non est mandatum ad omnes simpliciter spectans (aliàs enim etiam ad infantes, & abstemios spectaret) sed ad solos Apostolos referendũ est hoc Christi dictũ. Id quod probatur I. Quia idẽ significat particula, *Omnes*, apud Matthæũ, quod apud Marcũ (quo enim efficaci argumento probabunt, aliter apud hunc, aliter apud illum sumendam?) sed apud Marcum solos Apostolos significat, cùm ipse cap. 14. 23. ait: *Et biberunt ex eo omnes*: Ergo eosdem solos apud Matthæum significat. II. Ad illos dictum est: *Bibite ex hoc omnes*, ad quos totus orationis Euangelicæ contextus refertur: Sed ille refertur ad solos Apostolos: *Cœnantibus eis*, inquit Euangelista, *accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & commedite: Hoc*

te : Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes.

Neque fauet Aduersarijs, quod ad Apostolos quoque dixit: *Hoc facite.* Cùm enim verba ista ad ipsos solos; & eorum in consecranda, & distribuenda Eucharistia successores dicta sint; quid ni & illa (*Bibite ex hoc omnes*) ad solos Apostolos dicta censeantur? Nisi omnes & singulos Christianos non tantùm vtramque speciem sumere; sed etiam Eucharistiam consecrare, & distribuere debere velint.

Quòd si autem tenorem verborum Euangelicorum exactè sequi velimus, solius speciei panis distributionem præceptam esse videbimus: Lucas enim, qui solus inter Euangelistas hoc præceptum refert, post distributionem speciei panis illud ponit; post distributionem Calicis non repetit : *Accepto*, inquit, *pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem postquam cœnauit dicens : Hic est Calix nouum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Adeò autem ex Paulo nihil contra hanc doctrinam adduci potest, vt ex illo etiam magis confirmetur. Nam 1. Cor. 11. post recitatam distributioné speciei panis absolutum præceptum subiungit : *Hoc facite in meam commemorationem* : post mentionem verò Calicis non absolutum, sed hypotheticum præceptum refert : *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Quibus verbis non præcipitur, vt de Calice omnes bibant; sed tantùm, vt, quotiescumque bibent, in memoriam Christi bibant. Sicut verbis immediatè sequentibus præcipitur, non vt cum sumptione speciei panis semper coniungatur species vini; sed vt homo, antequam de pane illo edat, & de Calice bibat, seipsum probet; ne manducet, & bibat indignè.

Itaque non rectè dicit Apologia : *Paulus inquit se à Domino accepisse, quod tradidit : Tradiderat autem vsum vtriusque speciei, sicut clarè ostendit textus*, 1. Cor. 11. *Hoc facite, inquit, primùm de Corpore, posteà eadem verba de poculo repetit. Et deinde :*

Probet

Probet seipsum homo, & sic de pane comedat, & ex poculo bibat. Hae sunt verba disponentis. Hoc quidem non negamus; sed illud ex textu nunquam probabunt, Paulum ibi ex traditione Domini disponere, vel præcipere, vt omnes Christiani sub vtraque specie communicent: quia tantùm præcepit, vt in memoriam Christi hoc Sacramento omnes vtantur, & nemo indignè ad illius sumptionem accedat. Rectiùs ergo in Confessione Originali ex Paulo nihil aliud concluditur, quàm fuisse in primitiua Ecclesia morem, vt vtraque specie omnes vterentur: *Paulus*, inquit, *ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet, totam Ecclesiam vtraque specie vsam esse.*

Probatur autem Conclusio II. Ex eo, quòd Ecclesia tempore Apostolorum non videatur semper vtraque specie Sacramenti vsa. Nam Act. 20. dicitur: *Erant autem* (Fideles) *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Dicit quidem Kemnitius, per figuram intellectionis hoc loco panem etiam calicem connotare; sed quonam id argumento infallibili probat?

Item Apostolus 1. Cor. 10. non dicit: *Calix benedictionis, quem distribuimus*; sed, *cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* De altera autem specie addit: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Domini est?* Ex quo valdè probabiliter colligimus, Calicem quidem semper benedici, non tamen semper distribui; speciem autem panis semper frangi, siue distribui consueuisse. Præsertim cùm posteà addatur: *Vnus panis, & vnum Corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Vbi nulla fit mentio Calicis. Quamuis in quibusdam latinis minùs emendatis exemplaribus etiam Calix addatur: & hoc Kemnitius, tanquam sibi aliquo modo fauens, arripiat. Risisset illud procul dubio, si contrarium ipsi fuisset: quia in nullo exemplari græco, nec in latinis emendatioribus legitur:

Et confirmatur ex Lucæ 24. 30. vbi Christus recumbens cum duobus Discipulis in Emaus, *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Et v. 35. *Narrabant Discipuli, quæ gesta*

erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Quamuis autem non est omninò certum, an hoc loco Eucharistiam distribuerit; tamen probabilissimum est: tum quia Christus benedixisse, fregisse, & porrexisse dicitur, vt & in vltima Cœna: tum quia Discipuli eum in fractione panis cognouerunt. Et huius sententiæ fuerunt grauissimi & antiquissimi Auctores. Neque valdè se repugnare dicit Philippus in Apologia, vbi addit: *Tamen hoc non consequitur, vnam partē tantùm datam esse: quia partis appellatione reliquum significatur, communi consuetudine sermonis.* Sed hoc textui consentaneum non est, qui post benedictionem, fractionem, & porrectionem panis statim Dominum, agnitum à Discipulis, euanuisse asserit. Vt autem sit probabile, Christum & Apostolos dictis locis etiam Calicem porrexisse; quia tamen Scriptura hoc nusquam exprimit, Confessionistis aliud esse non potest, quàm fallibilis opinio. Certa autem, & infallibilia argumenta requiruntur, vt Ecclesia in vnius speciei vsu conuincatur erroris.

III. Si ex Christi præcepto vniuersi fideles ad vtriusque speciei sumptionem obligati forent, nulla ratione excusari possent homines, qui in ordine Laicorum constituti tanto tempore vnam speciem sumpserunt: Quia excusari non potest, qui contra expressum Christi mandatum delinquit: Sed Philippus in Apolog. excusat Ecclesiam dicens: *Aduersarij in Confutatione non hoc agunt, vt excusent Ecclesiam, cui adempta est altera pars Sacramenti. Id decuit bonos, & religiosos viros: erat quærenda firma ratio excusandæ Ecclesiæ, & docendarum conscientiarum quibus non potest contingere nisi pars Sacramenti.* Et infra: *Nos quidem Ecclesiam excusamus, quæ hanc iniuriam pertulit, cùm vtraque pars ei contingere non posset. &c.* Ergo non omnes fideles ex præcepto Christi ad vtriusque speciei sumptionem obligati fuerunt: aliàs enim, vnam speciem sumendo, non tam ipsi iniuriam passi essent, quàm Christum, violando mandatum eius, iniuriâ affecissent. Cur ergo non reclamarunt vlli, præter paucissimos ante Lutherum? An alij omnes per ignorantiam

rantiam fortè excusari poterunt, & nulli tanto tempore verba Christi, toties in scholis, & templis legi solita, & clarissimè, vt inquiunt, vtriusque speciei vsum omnibus & singulis præcipientia, intellexerunt, præter Wickleff, Hus, & similes, circa alios Articulos manifestè hæreticos?

Sed quia Wickleffitæ, & Husitæ Sacerdotes habuerunt verè ordinatos, & sacram Eucharistiam verè, quamuis non licitè, consecrantes; Confessionistæ verò talibus ordinariè carent, nisi quos habent Apostatas nostros, meritò de se dicere possunt, dum pro vtraque specie tam acriter pugnant, quod Lutherus, lib. de Capt. Bab. de hac ipsa materia disputans dicit: *Hoc permissione irati Dei videtur contigisse, vt esset occasio schismatis in Ecclesia, qua significaretur, nos, re Sacramenti jam dudum amissá, propter signum, & id quod minus est, vt rem maximam, & solam pugnare, &c. Vt Deus ostenderet hoc terrifico signo, nos signa maioris ducere: quàm res ipsas.*

Præsertim cùm paulò pòst addat: *Nō quòd peccent in Christū, qui vna specie vtuntur: cùm Christus non præceperit vllá vti; sed arbitrio cuiuslibet reliquit dicens: Quotiescumque hæc feceritis, in mei memoriam facietis. Sed quòd illi peccent, qui hoc arbitrio volentibus vti prohibent vtramque dari. Culpa non est in Laicis, sed Sacerdotibus.* Ad quæ verba respexisse videtur Philippus in Apolog. cùm Laicos excusat.

Quòd si verò ita se res habet, sequitur liberam esse fidelibus sub vna vel vtraque specie communionem; & consequenter falsum, quòd istis Christi verbis: *Bibite ex hoc omnes*, vniuersi fideles ad vtriusque speciei sumptionem obligentur. Id quod magis confirmat Lutherus, paulò pòst dicens: *Non hoc ago, vt vi rapiatur vtraque species, quasi necessitate præcepti ad eam cogamur; sed conscientiam instruo, vt patiatur quisque tyrannidem Romanam, sciens sibi raptum per vim jus suum in Sacramento. Tantùm hoc volo, ne quis Romanam tyrannidem justificet.*

Sed OBIICIT ibidem Lutherus (vt vel hinc appareat, quo spiritu agente ista scripserit, dum concedens, singulis vtramque speciem præceptam non esse, contrarium obie-

ctionibus suis ostendere conatur) I. *Totum Sacramentum, seu vtraque species in Cœna Domini, aut datum est solis Presbyteris, aut simul Laicis: si solis Presbyteris; jam nullo modo licet vllam speciem dari Laicis: non enim temerè dandum est, cui Christus in prima institutione non dedit. Si simul Laicis; jam ineuitabiliter sequitur, Laicis non debere negari vtramque speciem. Ego,* inquit, *fateor, ista me ratione inuictà superatum nec legisse, nec audiuisse, nec inuenisse quid contra dicam.*

II. Si vtraque species potest negari Laicis, poterit eis & pars Baptismi, & pœnitentiæ tolli, eodem arbitrio Ecclesiæ: cùm vtrobiq; sit par ratio, & potestas.

III. Si vini speciem potest Ecclesia tollere Laicis, potest & panis speciem tollere: Ergo poterit totum Sacramentum altaris Laicis tollere: quia eandem in vtraque specie potestatem esse oportet. Si non in vtraque; nec in vna. Opto, inquit, *audire, quid hic adulatores Romani velint dicere.*

IV. Quod maximè, inquit, *omnium vrget, penitusque me concludit, Christus dicit: Hic est Sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hic clarissimè vides, Sanguinem dari omnibus, pro quorum peccatis fusus est: quis verò audeat dicere, pro Laicis non esse fusum?*

Vltimò, *Stat,* inquit, *inuictus Paulus, omnium obstruens ora, 1. Cor. 11. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Non dicit: Permisi vobis. Surgite hic vniuersi adulatores Papæ in vnum, satagite, defendite vos ab impietate, tyrannide, læsa maiestate Euangelij, qui hæreticos jactatis eos, qui non secundùm merum capitis vestri somnium, contra tam patentes & potentes Scripturas sapiunt.*

RESPONDEO ad I. Eucharistiam in vltima Christi Cœna solis Apostolis datam esse, & in eadem præceptum, vt alijs fidelibus vsque ad finem sæculi detur. Modum autem sub vna, vel vtraque specie dandi non esse determinatum. Aut si est; ostendant Lutherani pro Luthero quo Scripturæ loco. De illo enim: *Bibite ex hoc omnes*, quod ibidem subiungit Lutherus, satis supra dictum est. Et ipse fatetur, non omnes ex præcepto Dei ad vtramque speciem obligari.

RESPON-

RESPONDEO ad II. Nullam esse paritatem inter Baptismi vel Pœnitentiæ partem, & vnam Sacramenti Eucharistiæ speciem: quia vna pars Baptismi, ab alia separata, non est Sacramentum, nec tantundem valet, quantum integer Baptismus. Vna verò species Eucharistiæ totum continet, quod vtraque; & veram Sacramenti significationem, atque efficaciam habet: proindeque essentialiter est integrum Sacramentum. Quamuis enim per alterius speciei accessum accidentaliter integretur, nihilo tamen plus vtriusque speciei perceptio confert, quam vnius: sicut vnius speciei plures particulæ, vel major portio non plus prodest, quam vnica particula in minima quantitate.

RESPONDEO ad III. Sacramentum Eucharistiæ Laicis omnino tolli non posse: quia Christus hoc Sacramentum instituit, vt ad finem vsque mundi consecretur, & inter fideles distribuatur: juxta illud 1. Cor. 11. 26. *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Quamuis sub vtraque specie necessariò distribuendum esse neque ex hoc loco, neque ex alio vllo efficaciter concludi potest.

RESPONDEO ad IV. Si omnibus necessariò dandus est Calix, pro quibus sanguis Christi effusus est; etiam infantibus dandus erit. Imò etiam infidelibus; quia Christus pro totius mundi peccatis sanguinem suum fudit, vt passim Scriptura testatur.

RESPONDEO ad V. Paulum quidem dicere, se tradidisse, quod à Domino accepit; sed in tota traditionis illius narratione nusquam addere, omnes fideles ad vtriusque speciei sumptionem obligatos. Tantùm enim præcipit, vt homo de Pane Eucharistico edens, & de Calice bibens memoriam Christi celebret, & ad hoc Sacramentum indignè non accedat.

Itaque vt Aduersarij, quibus hoc loco certò & manifestè probare incumbit, omnes fideles ad vtriusque speciei sumptionem obligatos ostendant, propter hæc Christi verba, *Bibite ex*

te ex hoc omnes; multa ex Scriptura clarè & infallibiliter demonstrare debent. Quamdiu enim probabilitatis tantùm speciem habentia proferent, nos à fide nostra, qua Ecclesiæ in ambiguis credendum esse sæpè diximus, non auellent. Licet enim argumenta, quæ pro nostra parte in hoc negotio ex Scriptura depromimus, per se probabilia tantùm sint; quãdiu tamen probabilitatem suam retinent, etiam sepositâ infallibili Ecclesiæ auctoritate, fidem contrariam non admittunt: quæ non gignitur adductis in contrarium verisimilibus; sed certis, & infallibilibus argumentis: quibus eorum, quæ pro nostra parte adducuntur, falsitas demonstretur, & probabilitas euertatur.

Multa autem, vt dixi, ex Scriptura clarè ostendere debent, vt Romanæ Ecclesiæ praxin, qua Laicos sub vna specie communicat, conuincant erroris.

1. Verba illa Christi: *Bibite ex hoc omnes*, non esse dicta ad solos Apostolos. 2. Continere necessarium Christi præceptum, & non potiùs beneuolam eius inuitationem. 3. Vbi necessarium præceptum continere probauerint, quòd non ad Christianos in genere tantùm dicta sint, ab aliquibus saltem implenda, vt illud Genes. 1. *Crescite & multiplicamini*; sed singulos quoque in indiuiduo astringant. 4. Si ad singulos in in indiuiduo spectent, cur non alia omnia verba, quæ in eodem orationis contextu prolata sunt, singulos Christianos obligent: & nominatim præceptum illud: *Hoc facite*: Vt omnes idiotæ, & rustici Christiani ad hoc Sacramentum consecrandum, & distribuendum obligentur. 5. His omnibus probatis adhuc demonstrãdum superesit, Christum hanc rem non ita ordinasse, vt omnes quidem ordinariè vtramque speciem sumere debeant, in casu tamen necessitatis, vel periculi, vel alio aliquo, etiam vnam solam sumere possint. 6. Tametsi propriâ auctoritate fideles vna specie vti non posse probarent; probandum denique superesset, quòd Christus Ecclesiæ suæ potestatem non reliquerit, pro rerum & personarum differentijs disponendi, vt vel vtraque, vel vna specie vtantur fideles:

fideles: cùm nihil ampliùs ſub vtraque, quàm ſub vna ſpecie percipiant.

Hæc vbi manifeſtis Scripturæ teſtimoniis demonſtrauerint, Eccleſiæ Romanæ praxin, qua Laicis Sacramentum ſub vna ſpecie porrigitur, erroris damnare non detrectabimus.

CONCLVSIO II. Conſuetudo, Laicos ſub vna ſpecie communicandi, veteri Eccleſiæ, & ſacris Canonibus non repugnat. Probatur I. Quia quæ Confeſſio Originalis ex antiquitate teſtimonia adducit, ea nihil aliud probant, quàm in veteri Eccleſia conſuetudinem extitiſſe, quibuſuis fidelibus vtramque Sacramenti ſpeciem porrigendi, quod nunquam negauimus.

Quod autem Gelaſius, C. Comperimus de Conſec. Diſt. 4. dicit, primâ ſpecie Aduerſarijs fauere videtur: ita enim loquitur: *Comperimus, quòd quidam, ſumptá tantùm Corporis ſacri portione, à Calice ſacri Cruoris abſtineant. Qui procul dubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuiſio vnius eiusdemque myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt accidere.*

Sed præterquàm quòd non pauci Gelaſium de Sacerdotibus intelligunt (inter quos eſt etiam Gratianus, qui cùm hanc ſententiam ex Epiſtola Gelaſij ſumpſerit, dicti Capituli talem titulum ponit: *Corpus Chriſti ſine eius Sanguine Sacerdos non debet accipere*) etiam de alijs fidelibus intellectus Aduerſarios nihil juuat: quia Gelaſius non quoſuis vnam Sacramenti ſpeciem ſumentes damnat; ſed ex quadam ſuperſtitione à Calice abſtinentes: Manichæos videlicet, & Priſcillianiſtas, ſui temporis hæreticos: quorum illi vini, tanquam à Diabolo profecti, vſum illicitum eſſe credebant; hi Chriſtum Sanguine caruiſſe contendebant. Itaque integrum Sacramentum, accidentaliter videlicet, ratione perfectæ ſignificationis mortis Dominicæ, ſumi jubet Gelaſius; quia diuiſio Sacramenti ſuperſtitioſâ hac intentione facta, quaſi alterius ſpeciei vſus illicitus ſit, ſine ſacrilegio non poteſt accidere. Quòd autem non omnem ſpecierum diuiſionem ſacri-

legam vocare potuerit, vel inde constat: quia si illo tempore Communio sub vna specie non fuisset in Ecclesia vsitata, non potuissent illi hæretici inter Catholicos delitescere, vt diu latuisse colligitur ex Leone I. Serm. 4. de Quadragesima. Quamprimùm enim in sumptione Eucharistiæ notati fuisset.

II. Probatur Conclusio: Quia vnius speciei vsum in antiqua Ecclesia receptum fuisse, multis ostendi potest Ecclesiæ illius receptis consuetudinibus, & exemplis: vt ex sacræ Eucharistiæ in longum tempus, etiam aliquando in annum integrum, asseruatione; quæ in specie vini fieri non poterat: ex eo, quòd à fidelibus domum deferebatur, videlicet in specie panis, quæ in manus eorum tradebatur: Sanguis enim è Calice bibendus porrigebatur: vt docet Cyrillus Catech. 5. Quòd infantibus vna Sacramenti species, videlicet vini, quia aliter fieri non poterat, instillabatur: vt patet ex S. Cypriano Serm. de lapsis: quòd Clerici grauiter delinquentes ad communionem laicam astringebantur. &c.

Hoc quidem postremum explodit Philippus in Apologia dicens: *Addunt de Laica communione, quæ non erat vsus alterius tantùm speciei, sed vtriusque. Et si quando Sacerdotes Laica communione vti jubentur, significatur, quòd à ministerio consecrationis remoti fuerint. Neque hoc ignorant Aduersarij; sed abutuntur inscitiâ imperitorum, qui, cùm audiunt Laicam communionem, statim somniant morem nostri temporis, quo datur Laicis tantùm pars Sacramenti.* Sed verum quidem est, Sacerdotes, quando Laica communione vti jubebantur, à consecrationis ministerio abstinere debuisse; in hoc tamen solo Laica cōmunio posita non erat: quia etiam Diaconi, qui absque hoc consecrare non potuissent, Laica communione ob delicta vti jubebantur, vt constat ex Concil. Elibert. Can. 76. Quod verò Kemnitius ait, Laicam communionem insuper hoc habuisse, quòd in loco templi inferiore, & post Clericos Laici communicarent; friuolum est: Quia Concilium Sardicense Cap. 2. ob quædam delicta etiam in morte Clericis Laicam Communionem dari vetat; quo casu effugium istud locum habere non

potest.

potest. Vocabatur etiam Laica illa communio peregrina, vt in Concil. Agathensi Can. 4. *Si quis Clericus furtum Ecclesiæ commiserit, peregrina ei Communio tribuatur.*

Quidquid autem sit de hac Communione Laica, & peregrina; alijs tamen exemplis tam manifestè probatur, fideles in antiqua Ecclesia communicantes non semper vtraque specie vsos, vt id Kemnitius veritate victus fateatur. Quamuis addat, eos, qui priuatim Eucharistiam in sola specie panis domi sumebant, satisfecisse præcepto Christi; quia ante in publicis conuentibus vtramque speciem sumpserãt. Sed cùm sumptiones illæ diuersis temporibus fierent, nec pro vna reputari possent; vel vnam tantùm speciem sumentes malè faciebant; vel à Christo præceptum non est, vt, quotiescumque communicare volumus, semper in vtraque specie communicemus: & consequenter omnibus simpliciter & absolutè præceptum non est, vt ex Calice bibant: quia quod aliquoties intermitti licitè potest, hoc sub absolutum & vniuersale præceptum non cadit.

Denique ita loquitur Confessio: *Diu mansit hic mos communicandi sub vtraque in Ecclesia: nec constat quando, aut quo auctore mutatus sit.* Ex quibus verbis sequitur 1. Consuetudinem Laicos sub vna specie communicandi nõ esse tam recentem, vt Confessionistæ sibi persuadere solent, & Confessio insinuat. 2. Quamuis non ita pridem in quibusdam Ecclesiis vsu receptum fuerit, vt vtraque species Laicis porrigeretur; Ecclesiæ tamen Catholicæ sensum nunquam fuisse, quòd ex Christi præcepto omnibus vtraque specie necessariò vtendum sit. Aliàs enim passim mos Laicos sub vtraque specie communicandi abrogari non potuisset, adeò nullo reclamante, vt ne auctor quidem, aut tempus huius abrogationis à quoquam notatus fuerit.

Quòd si autem Aduersarijs nostris in hac parte veteris Ecclesiæ consuetudo adeò placet, cur non & in alijs multis eiusdem Ecclesiæ consuetudinem seruant? Vt in obseruatione Quadragesimæ, Inuocatione Sanctorum, veneratione Re-

liquiarum, Monachatu, &c. Cur non & infantibus Eucharistiam porrigunt, quod in antiqua Ecclesia fieri solebat? Nobis autem in præsentia sufficit, Aduersarios nullum Christi præceptum adducere potuisse, quo omnes & singulos fideles ad vtriusque speciei sumptionem absolutè obligatos esse demonstrarent. Et dum tale adferre conantur, non tantùm nos, sed vniuersam antiquitatem erroris conuincere velle; quòd contra Christi expressum mandatum fidelibus sæpè vnicam Sacramenti speciem porrexerit.

SS. Patres, qui in contrarium ab ipsis proferuntur, vel consuetudinis suo tempore vsitatæ, qua Calicis vsus Laicis permittebatur, mentionem faciunt; & eâ durante vtramque speciem Laicis petentibus dandam dicunt: & quidem seorsim, non speciem Panis in speciem Vini intinctam: Vt statuit Concil. Braccarense 3. can. 1. vel Sanguinem quidem Christi sumendum docent; sed non exprimunt per modum potûs sumendum esse: quia quocumque modo sumatur, eandē viuificandi energiam habet. Vel, cùm populum jus ad Calicem habere dicunt, de jure loquuntur, quod ex illius temporis consuetudine competebat. Vel de Eucharistiæ Consecratione, non de populi communione loquuntur, cùm V. G. Calicem ex Christi præcepto requirunt, cumque dicunt, non lac, vel aquam, vel alium liquorem; sed Vinum aquâ permixtum in Calice offerendum: Vt S. Cyprianus lib. 2. Epist. 3. Et Concilium Braccarense citatum. S. Augustinus, dum ait: *Nec Caro sine Sanguine, nec Sanguis sine Carne jure communicatur,* tantùm vult, Corpus Christi non esse mortuum, & à Sanguine separatum. Nam Paschasius, qui hanc Augustini sententiam refert, cap. 17. simili modo ex eodem dicit: *Non rectè Caro Christi sine Diuinitate sumitur, nec Diuinitas sine Carne præstatur.*

QVAESTIO III.

Vtrùm Ecclesia Laicis vtriusque speciei sumptionem rectè interdixerit?

Fingamus

Fingamus sanè, ait Philippus in Apolog. *liberum esse vti vna parte, aut ambabus; quomodo poterit prohibitio defendi?* Quibus verbis tale argumentum insinuatur: Qui jus ad aliquid, tanquam sibi in testamento legatum, habet, ille jure suo inuitus spoliari non potest: Populus Christianus ad vsum Calicis, tanquam sibi in testamento Christi legatum, jus habet: quia toti Ecclesiæ Calicem Sanguinis sui legauit Christus; non tantùm parti Ecclesiæ: Ergo populus Christianus inuitus vsu Calicis benedicti spoliari non potest.

CONCLVSIO I. Ecclesia Christi potestatem habuit, populo Christiano communionem sub vna specie præcipiendi. Quia quæ à Deo determinata non sunt, nec ad Sacramentorum essentiam spectant, illa Ecclesia justis de causis mutare potest; & quamuis per se licita, prohibendo facere illicita: Sed vtriusque speciei sumptio à Deo determinata non est, nec ad Sacramenti Eucharistiæ essentiam spectat, vt jam ostensum est: Ergo, &c. Probatur Maior: Quia Apostolus de accidentalibus huius Sacramenti circumstantiis agens. 1. Cor. 11. ait: *Cætera cum venero disponam.* Ex quo loco S. Augustinus Epist. 118. probat, Ecclesiam jus habere, ex justis causis variè de Sacramenti huius circumstantijs, quas Deus præcepto suo non determinauit, disponendi: *Namque Saluator*, inquit, *quò vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ Discipulorum, à quibus ad Passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur; vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum.*

Sicut ergo Gelasius justis de causis vtriusque speciei sumptionem omnibus præcepit; ita posterior Ecclesia, ob alias causas, vtriusque speciei sumptionem Laicis prohibere potuit. Prout aliquando in Ecclesia præceptum fuit, vt trinâ immersione Baptismus conferretur; & ex alia causa, hoc abrogato, vnica immersio præcepta fuit, vt ex Concil. Tolet. 4. patet. Sicut enim æquè baptizantur, qui semel, atque qui tertiò immerguntur; vel etiam omnino non immerguntur, sed

aquâ asperguntur (quia omnes in totius Trinitatis nomine baptizantur) ita qui vnam Sacramenti speciem deuotè sumit, quia totum Christum animarum nostrarũ viuificatorem sumit, nihilo minus accipit, quàm cui vtraque species communicatur. Quare non est pœna populo Christiano, vt calumniatur in Apolog. Philippus, quòd Calice abstinere debeat: quia nihil illi de re ipsa subtrahitur, quamuis omnia rei signa externa non sumat. Nam & Sacerdotes, & Episcopi, & ipsi Pontifices, extra sacrificium communicantes, etiam in extremo vitæ agone vnica Sacramenti specie reficiuntur.

Porrò S. Augustinus, de similibus Ecclesiæ Decretis, & consuetudinibus agens, loc. cit. dicit: *Vt quid horum sit faciendum, sit diuinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non est dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus* (nusquam autem legimus, Eucharistiam sub vtraque specie omnibus fidelibus necessariò distribuendam) *similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Et paulò pòst: *Hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm externi cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur.*

Vt ergo S. Augustinus Spiritui sancto adscribit eam Ecclesiæ constitutionem, qua ieiuni ad hoc Sacramentum accedere jubemur (cùm tamen hoc nusquam in Scriptura legamus, sed potiùs, si exemplum Christi quoad omnia sequi vellemus, sumpto alio cibo ad hoc Sacramentum accedere deberemus) ita Spiritui sancto adscribendum est eiusdem, per continuam successionem ad nos deriuatæ Ecclesiæ statutum de communione Laicorum sub vna specie: quamuis Dominus vtramque speciem in prima institutione porrexerit. Quia vt ad Sacramenti efficaciam absolutè necessarium non est, jeiunum esse; ita necessarium non est, vtramque speciem sumere: vt enim homo sumpto cibo æquè capax esse potest ad percipiendam Sacramenti gratiam, atque homo jeiunus; ita Christus, qui totus sub qualibet specie sumitur, vt Confessio fatetur,

Digitized by Google

fatetur, æquè incorporatur homini per vnam ſpeciem, atque per vtramque.

CONCLVSIO II. Quamuis fidelium non eſt examinare, cur Eccleſia in rebus liberis, & ſuæ diſpoſitioni relictis hoc vel illud ſtatuerit; tamen multæ rationes dari poſſunt, ob quas communionem Euchariſtiæ ſub vna ſpecie omnibus vniuerſaliter Laicis rectè præſcripſit. I. Quia conſuetudo, ante Concil. Conſtantienſe in tota pænè Eccleſia recepta, hanc communionem approbabat. Falluntur enim grauiſſimè, qui ante hoc Concilium communionem Laicam ſub vna ſpecie in Eccleſia vſitatam non fuiſſe arbitrantur. Et quidem tam diu, vt ipſa Confeſſio dicat, non poſſe nominari auctorem, qui primus hunc communicandi morem introduxerit.

II. Ad conſuetudinem ante receptam lege ſtabiliendam mouere potuit omnium toto orbe diſperſorum fideliũ, Eccleſiæ à ſchiſmatibus cõſeruationi valdè vtilis, vniformitas. Cùm enim multis locis maxima ſit vini inopia, ita vt ægrè ad ſacrificia comparari poſſit; cùm multi naturâ ſint abſtemij; ne ipſi exiſtiment minùs ſe Deo curæ fuiſſe, quòd Sacramentum hoc in tali materia non inſtituerit, in qua & ipſi illud ſumere poſſent, & æquè frequenter poſſent, atque alij; ideò Eccleſia, à Spiritu ſancto edocta, nihil ad priuatam cuiuſque ſalutem intereſſe, ſiue vnam, ſiue vtramque Sacramẽti ſpeciem ſumat (niſi fortè abſtemios à ſalute excludere velimus) vniuerſalem omnibus Laicis ſub vna ſpecie communionem præſcribendam iudicauit. Ne Sacramentum, in pacis & vnionis ſymbolum inſtitutum, litibus & diſcordiis det occaſionem.

III. Quia magnâ ſemper curâ in Eccleſia aduigilatum fuit, ne qua ſacræ Euchariſtiæ particula in terram decideret, vt antiquiſſimi auctores vnanimiter teſtantur, & inter multos, ſacram Euchariſtiam percepturos, vix periculum iſtud euitari poteſt; ideò ad maiorem huius Sacramenti venerationem animis hominum ingenerandam rectè ſtatutum eſt, vt omnes

Laici

Laici Calicis vſu abſtineant. Neque enim aliquibus concedi hic vſus abſque aliorum ſcandalo poteſt; neque omnibus abſque manifeſto effuſionis periculo.

Adde quòd more Maiorum conſecrari, & pro ægris, atq; alijs, Sacramento ſæpè vti volentibus aſſeruari Euchariſtia, niſi in ſpecie panis, non poſſit.

INSTAT Apologia: *Periculum effuſionis & ſimilia non habent tantam vim, vt ordinationem Chriſti mutent.*

RESPONDEO, Si Chriſtus ordinaſſet, vt omnes omnino fideles vtramq; ſpeciẽ ſumant; tum hoc periculũ diuinæ prouidentiæ relinquendum foret. Sed quia ita nuſquam ordinauit, & Eccleſia magnam his poſtremis ſæculis Sacramento huic irreuerentiam exhiberi aduertit: dum nonnulli eò audaciæ progreſſi ſunt, vt merum panem, qui figuram tantùm Corporis Chriſti gerat, hoc Sacramentum eſſe contenderent (vt ante Caluinum Berengarius, & Alij) Si nullam aliam habuiſſet cauſam, potuiſſet propter hanc ſolam, ne irreuerentia huic tanto Sacramento, in terram effundendo, fiat, communionem Laicam ſub vna ſpecie præcipere.

CONCLVSIO III. Poſſet Eccleſia Confeſſioniſtis, ſicut antehac Concilium Baſileenſe Bohemis, vtriusque ſpeciei ſumptionem concedere: Sed quia permiſſionis huius emolumentum nullum, maximum verò detrimentum futurum eſſe animaduerſum eſt; meritò hactenus vtriuſque ſpeciei vſus illis, vt cæteris, permiſſus non eſt. Prima pars probatur: Quia Concilium Trid. Seſſ. 22. ſub finem ita loquitur: *Inſuper cùm eadem ſacroſancta Synodus ſuperiore Seſſione duos Articulos, alias propoſitos, & tum nondum diſcuſſos, videlicet, an rationes quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes ſub vna panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus; & an, ſi honeſtis, & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi, vel Regno Calicis vſus videatur; ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam illæ ſint; in alium tempus, oblata ſibi occaſione examinandos, atque definien-*

Digitized by Google

definiendos reseruauerit. Nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optimè consultum volens decreuit, integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendũ: (prout præsenti decreto refert) qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipublica Christianæ, & salutare petẽtibus vsum Calicis fore iudicauerit.

Probatur II. pars: Quia si Protestantes nihil aliud ab Ecclesia Romana, quàm simplicem Calicis vsum postulassent; neque in postulatione sua alios errores inclusissent; Ecclesia ipsis condescendere potuisset. Iam verò quia non vt morigeri Ecclesiæ filij; sed in plurimis Articulis rebelles, & in erroribus suis pertinaces vtramque speciem postularunt; nec tanquam Ecclesiæ hac in parte auctoritatem agnoscentes; sed ad eam apud suos magis infringendam, quibus tanto faciliùs persuadere potuissent, Ecclesiam hactenus errasse, dum communionem sub vna specie Laicis porrexit: quòd ipsorum argumentis conuicta potiùs, quàm mota precibus, vtriusque speciei vsum concedendum decreuisset (neque enim in similibus thrasonicæ huiusmodi gloriationes à Confessionistarum ingenio alienæ sunt) Item quia hac intentione vtriusque speciei vsum postularunt, quòd omnes Christiani ad illum ex mandato Dei obligentur: & non pauci ex ipsis existimarunt, non tantumdem sub vna, quantum sub vtraque specie contineri, & sumi; ideò eadem Ecclesia non tantùm nullam hactenus rationem, vtriusque speciei vsum protestantibus concedendi, habuit; sed etiam, si vsque ad Lutheri tempora in Laicorum arbitrio positum fuisset, sub vna, vel vtraque specie communicare, prout olim longo tempore fuit, jure tamen vnius speciei sumptionem Laicis præscribere potuisset: vt ipsa praxi hos protestantium errores damnaret.

Ad argumentum initio propositum dico, ex Christi prima institutione competere jus omnibus Christianis ad vsum Calicis petendum, nisi vsus ille ex legitimis causis prohibitus sit. Christus enim, dum Sacramentum hoc instituit, nullos Christianos ab vtriusque speciei vsu positiuè exclusit. Nihilominus Ecclesia potestatẽ habet, aliquos, quibus jus hoc aliàs

competeret, ab illo excludendi: vt totius Ecclesiæ praxis, quâ excommunicati ab vtriusque etiam speciei vsu excluduntur, demonstrat. Si autem in particulari vnus vel alter excludi ab vsu totius Sacramenti potest, in delicti sui pœnam; cur non possint omnes fideles ex legitimis & vrgentibus causis, nullo cum suo detrimento, alterius speciei vsu prohiberi?

INSTABIS: Ordinatio Christi prohibet, quò minùs hoc fieri possit.

RESPONDEO, Ordinationem Christi dupliciter intelligi posse: I. vt idem valeat quod institutio, qua vtraque species in Ecclesiæ vtilitatem ordinata fuit. II. vt vim præcepti, Ecclesiam vniuersam obligantis, contineat. Priore modo vtramque speciem à Christo ordinatam concedimus; posteriore negamus, & negationis ratio ex dictis constat. Quãuis enim Christus vtramque speciem instituerit, Apostolis administrauerit, nullum per se ab vtriusque speciei libero vsu excluserit; hoc tamen non obstat, quò minùs legitimis ex causis vtriusque speciei vsus, vt ad salutem non necessarius, interdici fidelibus possit. Nam & matrimonium à Deo ordinatum & institutum est, idque pro toto genere humano; nec vllus per ipsam Dei institutionem à matrimonij liberè contrahendi potestate est exclusus. Interim neque omnes ad matrimonium astringuntur, & ex legitimis causis etiam interdici quibusdam matrimonium potest. Nihil ergo efficiunt Aduersarij, quamdiu non probant, Christum vtriusque speciei vsum omnibus fidelibus suis præcepisse, & Laicos Catholicos minùs refici, quando vna specie contenti sunt, quàm Lutheranos, quando vtramque speciem, maximè cum tanto Ecclesiæ scandalo, & addito schismate tumultuosè postulãt.

QVAESTIO IV.

De S. Eucharistiæ veneratione, & eiusdem honorifica circumgestatione.

Kemni-

Digitized by Google

KEmnitius in Exam. cap.5. & can. 6. Seff. 13. Concil. Trid. concedit, Christum in Eucharistia præsentem vt Deum adorandum esse. *Rectè enim*, inquit, *disputat Augustinus: Cùm terra sit scabellum Domini, quomodo dicat Psalmus: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est? Conuerto me ad Christum: quia ipsum quæro hîc, & inuenio. Quo modo sine impietate adoretur terra scabellum pedum Domini? Suscepit enim de terra terram: quia caro de terra est, & de carne Mariæ terram accepit: & quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem Carnem illam manducat, nisi priùs adorauerit. Inuentum est, quo modo adoretur tale scabellum Domini: vt non solùm non peccemus eam adorando; sed peccemus non adorando. Ita & Ambrosius*, inquit, *in eundem Psalmi versum scribit: Scabellum terra intelligitur: per terram autem Caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, quam & Apostoli in Domino Iesu adorauerunt. Ita Nazianzenus: inuocabat Christum, scilicet soror eius, qui in altari honoratur. Et Emissenus: Cùm reuerendum altare, cibis spiritualibus satiandus, ascendis, sacram Dei tui Corpus & Sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè toto haustu interioris hominis assume.*

Respondet etiam ad argumentum illud: Christus non est in Eucharistia vt adoretur, sed vt manducetur: Ergo ibi adorandus non est. Primùm Christum semper & vbique adorandum, quod eius adoratio certo loco & tempori affixa non sit. Quamuis enim Iacob Genes 28. Moyses Exod. 34. Elias 3. Reg. 19. peculiare Dei mandatum non haberent, vt illis locis Deum adorarent; quia tamen generale mandatum habebant, vt Deum vbique adorarent, & certi erant Deum sub externis & visibilibus symbolis verè adesse, rectissimè Deum, quem præsentem esse credebant, adorasse. *Cùm igitur & nos*, inquit, *certa fide credamus, in Eucharistia verè & substantialiter præsens esse Corpus & Sanguinem Christi, atque adeò Christum ipsum verum Deum & hominem, non solùm licet Christum ibi adorare; sed impium est eum ibi non adorare.*

Falsum autem est, quod addit, hanc adorationem esse extra controuersiam, & neminem de ea dubitare, qui Corpus Christi in Eucharistia præsens esse credit: cùm illud adorandum nemo nisi Nestorianus negare possit. Nam præter alios Confessionistas Illyricus, qui Corpus Christi in Eucharistia præsens esse docet, in Confessione Antuerpiensi, & Apologia eiusdem, ex professo adorationem istam impugnat. Et ipse adeò Lutherus in Libro de Eucharistia ad Waldenses adorationem hanc simpliciter damnat. Quamquam in alijs libris concedat, Christum in Cœnæ vsu adorandum esse.

Tria autem in doctrina Concilij Trid. reprehendit Kemnitius: 1. Quòd dicat, Eucharistiæ Sacramentum esse adorandum; cum illud re terrenâ simul & cœlesti constet, & res terrena adorabilis non sit. 2. Quòd Patres Trid. de externo potissimùm cultu solliciti videantur, vt videlicet inclinatione, genuflexione, prostratione corporis, eleuatione manuū, tunsione pectoris, luminaribus, & similibus pompis Eucharistia honoretur. 3. Maximè inuehitur in splendidam & honorificam Eucharistiæ circumgestationem, de qua & Confessio mentionem facit. Hæc tria paucis discutienda sunt.

CONCLVSIO I. Quando Concilium Trid. Eucharistiæ Sacramentum cultu latriæ adorandum decernit, neque artolatriam, neque vllius rei terrenæ latriam confirmat. Probatur I. Quia cùm in S. Eucharistia panem non esse, sed in Corpus Christi transubstantiatum esse doceat, per meram calumniam panis adorationem confirmare dicitur.

II. Quia species panis & vini, in Eucharistia manentes, cùm Sacramentum hoc adoratur, cultu latriæ non honorantur; sed si secundùm se præcisè considerentur, honorificè quidem tractari debent; cultu tamen latriæ adorari non possunt. Itaque cùm Sacramentum adoramus, ipsum Christi Corpus adoramus, quod in Sacramento adorandum concedit Kemnitius: quia Eucharistiæ Sacramentum est Corpus & Sanguis Christi, siue formaliter, siue materialiter: & proinde cùm Sacramentum adorandum dicimus, nihil aliud volumus, quàm

Digitized by Google

quàm Christum etiam sub panis & vini speciebus sacramentaliter contentum adorandum esse: quod cùm facimus, non ipsas per se panis & vini species adoramus; sed vt diadema regium, vel purpuram qua Rex indutus est, simul cum Rege veneramur, & tota veneratio in Rege terminatur (quamuis V. G. venerationem hanc per tactum vel osculum purpuræ exhibeamus) & sicut Mulier illa Matt. 9. cùm Christum tactu fimbriæ vestimenti eius veneraretur, venerationem suam in fimbria non terminabat; sed per fimbriam in ipsum Christum referebat: ita cùm nos cultu latriæ Sacramentum hoc adoramus, non ipsas secundùm se species externas, sed quod sub speciebus continetur adorare intendimus.

Imò si ipsa panis & vini substantia in Eucharistia maneret, & Christus sub illis verè & substantialiter præsens esset, adhuc adorari posset hoc Sacramentum; non quidem vt jam adoratur, cùm totum suppositum sub speciebus contentum adorabile est; sed vt adoratio in Christum tenderet: panis enim & vinum, vt Christum verè & substantialiter continentia, considerarentur. Nam Kemnitius ita quodammodo panem & vinum respectu Christi se habere vult, vt fasciæ respectu infantis, & dolium respectu vini. Quemadmodum ergo vini dolio inclusi idem pretium est, quod vini solitariè considerati; & vt infantis fasciis inuoluti idem amor est, qui infantis per se spectati; Vtque Christum infantem pannis inuolutum rectè adorarunt Magi; ita, tametsi sub pane & vino præsens esset Christus, adhuc in ista præsentia cultu sibi proprio adorari posset, & deberet. Imò ipsum Sacramentum, ratione videlicet principalis contenti sui, adorandum esset. Nam Lutherus à Kemnitio citatus Art. 16. contra Louanienses, quamuis transubstantiationem non admittat, Eucharistiæ tamen *Sacramentum venerabile, & adorabile* vocat.

Vt ergo Verbo dicam, cùm Eucharistiæ Sacramentum cultu latriæ adorandum credimus, non ipsas species externas tali cultu adorandas sentimus; sed Christum sub speciebus: quia non ipsæ species in recto; sed Christus sub illis ineffabili

modo existens, tali cultu adorabilis est. Ad quam rem simplici populo explicandam magno labore non est opus: Vix enim tam rudem Catholicum inueniri puto, qui nesciat, se non id quod externis oculis apparet, sed Christum, quem Catholici omnes verè & realiter in Eucharistia præsentem esse credunt, adorare.

OBIICIES cum Kemnitio: Concilium Trid. non principaliter respicit, vt in actione Cœnæ Corpus Christi adoretur; sed extra actionem benedictionis, distributionis, & sumptionis adorationem stabilire contendit. Atqui extra actionem à Christo præscriptam Eucharistia panis est, & quidem communis: Quia vbi verba Christi non sunt operatoria, ibi non est Corpus Christi: Sed extra actionem benedicendi, distribuendi, manducandi, verba Christi non sunt operatoria: quia ad actionem illam à Christo alligata sunt: Ergò cùm prolatis Christi verbis Eucharistia non distribuitur, sed asseruatur, non est in illa præsens Corpus Christi. Quia promissionem præsentiæ Christi non habemus, nisi hoc agamus, quod ipse egit.

RESPONDEO, Falsum esse, verba Christi ita ad actionem distribuendi & manducandi esse alligata, vt nisi continuò post benedictionem distribuatur, & sumatur Eucharistia, Corpus & Sanguis Christi in illa præsens esse desinat. Quia post benedictionem aliquamdiu seruatam esse Eucharistiam adeò ex antiquæ Ecclesiæ consuetudine clarum est, vt hoc Kemnitius negare non audeat. Irenæus apud Eusebium lib. 5. cap. 24. in Epist. ad Victorem narrat Episcopos Romanos Sacram Eucharistiam Episcopis aliunde aduenientibus, in signum pacis & communionis, solenniter mittere consueuisse. Cùm ergò hospites illi quandoque longiùs abessent à loco in quo Eucharistia seruabatur, vel benedicebatur, aliquanto saltem tempore post benedictionem manebat ibi Corpus Christi. Atqui dum hac ratione deferretur erat extra actionem qua Christus vsus est: neque enim ille Eucharistiam ad absentes misit, neque mittendam vsquam præcepit,

Digitized by Google

præcepit. Ergo, si quid efficaciter concluderet Kemnitius, sequeretur, Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia non fuisse, dum ad absentes deferebatur: quia Christus nusquam promisit se in tali actione præsentem fore. Et si v. g. per horam manet Corpus Christi in Eucharistia, dum ad alios defertur; quid impedit quo minùs, si quis antequam illam deferat longiores trahat moras, Corpus & Sanguis Christi etiam diutiùs ibi maneat?

Ait quidem Kemnitius, Eucharistiam inter deferendum manere in vsu, quia ideò defertur, vt manducetur: apud Papistas autem non benedicitur, vt manducetur, inquit, sed vt recludatur, & adoretur.

Sed RESPONDEO, vsum illum, quo Eucharistia ad absentes defertur, æquè in Scriptura sacra non haberi, atque is, quo diutiùs seruari consueuit, & adorari. Quamquam falsum est, eo tantùm fine apud nos Eucharistiam benedici, vt adoretur: Quia primariò benedicitur, vt sit cibus spiritualis, & eo fine vt manducetur. Quia tamen Christum hìc realiter & substantialiter nobis in cibum dari credimus; ingrati meritò judicabimur, imò impij, si ipsum verè præsentem interim cultu latriæ non adoremus, dum Eucharistia post benedictionem non statim manducatur; sed eius manducatio ex legitima causa differtur. Et si alia manducationis differendæ causa legitima non esset, hæc posset esse, isto præsertim tempore, quo tam multæ contra huius Sacramenti veritatem natæ sunt hæreses, sufficientissima, vt antequam manducetur, debitâ veneratione afficiatur. Qui enim dijudicat Corpus Domini, quod jubet Apostolus, non potest non illud debito sibi cultu afficere, nisi Arrianus, aut Nestorianus, vt ipse Kemnitius fatetur. Qui Christi commemorationem dignè recolere vult, quod in hoc Sacramento faciendum præcepit Christus, non potest non ipsum verè præsentem vt Deum & hominem adorare, nisi vel præsentem esse non credat, vel Deum esse neget. Præceptum quidem de hac adoratione nullum habemus; sed nec Kemnitius præceptum

ptum adducere poterit, quo jubeamur Christum in ipsa Cœnæ actione adorare : quod tamen faciendum esse concedit. Christus non tantùm ideò in Eucharistia adorandus non est, quia ibi non est, vt adoretur, sed vt manducetur; verùm ideò quoque magis laudandus, benedicendus, & adorandus est, quia tanto nos honore dignatur. Etiam infans in cunis non jacebat, nec tempore prædicationis suæ varias terras circumibat, vt adoraretur; & tamen à Magis, & alijs hominibus laudabiliter adoratus est.

Porrò non tantùm missam esse antiquitùs ad absentes Eucharistiam; sed in longum etiam tempus seruatam, clarissimis testimonijs probari potest: Cyrillus enim Alexand. Epist. ad Calosyrium Episcopum ait: *Audio quòd dicunt illi, mysticam benedictionem, si ex ea remanserint in sequentem diem reliquiæ, ad sanctificationem inutilem esse. Sed insaniunt hoc dicẽtes: nõ enim alius hic Christus, neq; Sanctũ Corpus eius mutabitur; sed benedictionis virtus, & viuifica gratia perpetuò manent in illo.*

Kemnitius quoque concedit, tempore Tertulliani & Cypriani S. Eucharistiam mulieribus, vt eam domum deferrent, & commodo tempore sumerent, datam esse. Quia Tertullianus lib. 2. ad vxorem ait: *Latebisne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas?* (signo crucis videlicet) *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes?* Clemens lib. 8. Constit. c. 13. monet Diaconos, vt peractâ communione, quod de Corpore Domini superest, in Pastophorio cum debita reuerentia reponant. Anachoretæ quoque, qui commodè ad Ecclesias sæpè venire non poterant, sacram Eucharistiam in eremum deferebant, teste S. Basilio in Epist. ad Cæsaream Patriciam. Item in Concil. Nicæno can. 14. apud Ruffinum lib. 10. Hist. c. 6. statuitur, vt in absentia Presbyterorum Diaconi Eucharistiam porrigant. Ergo Diaconi Eucharistiam præsanctificatam, & in vsum fidelium asseruatam porrigebant: quia ipsis consecrare non licebat, vt ibidem dicitur.

INSTAT adhuc Kemnitius, consuetudinem hanc, Euchari-

Euchariſtiam aſſeruandi non poſſe dici vniuerſalem, ſiue Catholicæ Eccleſiæ morem Catholicum: quia non defuerunt, qui ex verbo Dei illam reprehenderent. Profert autem I. Clementem, qui Epiſt. 2. ad Iacob. dicit: *Tanta in altario certè holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quòd ſi remanſerint, non reſeruētur in craſtinum; ſed cum timore & tremore Clericorum conſumantur.*

II. Origenem in Cap. 7. Leuitici dicentem: *Dominus panem quē Diſcipulis dabat non diſtulit, nec differri juſsit in craſtinum.*

III. Iſichium, Nazianzeni Diſcipulum, lib. 2. in Leuit. c. 8. vbi commemorat morem comburendi id, quod ex Sacramento reliquum erat.

IV. Nicephorum lib. 17. hiſt. c. 25. narrantem Eccleſiæ Græcæ conſuetudinem, qua reliquiæ Euchariſtiæ dabantur pueris quibuſdam innocentibus.

V. Concilium Matiſconenſe, quod ſtatuit vt Feria 4. & 6. aduocentur innocentes pueri, & indicto eis jeiunio reliquias Euchariſtiæ conſumant.

VI. Humbertum Epiſcopum Syluæ candidæ, lib. cont. Nicetam, vbi morem Græcorum reprehendit, quo per totam Quadrageſimam, excepto Sabbatho, & Dominico preſanctificatis vtebantur.

VII. Gabrielem Biel, qui Lect. 36. in can. Miſſæ dicit: *Poſtquam Corpus ſuum conſecrauit, non ſiſtebat in conſecratione, neque dedit Diſcipulis, vt ipſum honorificè conſeruarent; ſed dedit in ſui vſum dicens: Accipite & manducate.*

Sed ad Clementem dico, ipſum nihil aliud velle, quàm nimis multum de Euchariſtia ſeruandum non eſſe; ſed tantum, quantum in vſus infirmorum & abſentium ſufficiat, ne ſi nimis multæ reliquiæ ſeruētur, putredinis periculo exponantur. Nam in eadem Epiſt. circa initium ait: *Tribus Gradibus commiſſa ſunt Sacramenta diuinorum ſecretorum: Presbytero, Diacono, & Miniſtro: qui cum timore & tremore reliquias fragmentorum Corporis Domini cuſtodire debent, ne qua putredo in ſacrario inueniatur. Ne cùm negligenter agitur, portioni Corporis Domini grauis iniuria conferatur.*

 Ad

Ad Origenem dico, Dominum, vt Sacramentum asseruari non jussit, ita nec in Sacramento, ne quidem sub Cœnæ vsu, adorari se jussisse. Cùm ergo, hoc non obstante, licita sit adoratio, vt Confessionistæ fatentur, idem contra asseruationem nihil facit.

Isichius aliud non dicit, quàm igne consumendas eas particulas, quæ manducando consumi non possunt: ne videlicet per temporis diuturnitatem destruantur. Addit autem, Sacramenti in plures dies conseruationem non esse prohibitam.

Consuetudo asciscendi pueros, ad consumendas Eucharistiæ reliquias, de qua Nicephorus, & Concil. Matisc. nostram sententiam confirmat: non enim statim consumebantur reliquiæ à pueris post Cœnæ celebrationem, sed statis septimanæ diebus: & quidem ex Concilij Matisc. decreto 4. & 6. Feria. Ergo reliquiæ illæ, per aliquot dies seruatæ, adhuc Corpus & Sanguis Christi esse censebantur.

Humbertus tantùm reprehendit Græcos, quòd singulis in Quadragesima diebus consecrationem, & oblationem Eucharistiæ non celebrarent. Quod nihil ad propositum facit.

Quod verò Gabriel dicit, Dominum non dedisse Corpus suum, vt Discipuli illud honorificè seruarent, sed in vsum; verum est: non tamen probat, eam fuisse Gabrielis sententiam, quòd sacra Eucharistia extra vsum non sit Corpus & Sanguis Christi: cùm alijs locis hoc manifestè affirmet. Sed nihil aliud hoc loco intendit, quàm primarium Eucharistiæ fructum ex vsu deriuari, eò quòd illius tantùm in Eucharistiæ institutione expressa mentio fiat. Quod libenter concedimus: quia contra nos non facit; sed contra eos, qui quantumcumque Eucharistiam, in Ecclesia seruari solitam, honorent, ab eius tamen vsu diu abstinere solent.

CONCLVSIO II. Non tantùm honore interno, sed etiam externo, per genuflexionem, corporis inclinationem, &c. honorari Eucharistiæ Sacramentum potest, & debet. Quia cùm interno latriæ cultu venerandum sit (quatenus

Digitized by Google

nus videlicet verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem Christi, & concomitanter totum Deum & hominem continet) etiam externis reuerentiæ & adorationis signis internus fidelium affectus exprimi debet. Vt enim ipse Kemnitius loquitur: *Ad hanc internam mentis deuotionem ac pietatem adiungenda est deinceps externa confessio, & externus cultus reuerentiæ, atque adoratio. Quia externa irreuerentia signum est prophanæ, & irreligiosæ mentis.*

Mera autem calumnia est, dum Concilium Trid. principaliter de externo cultu sollicitum esse dicit. Quia cùm cultum latriæ ideò huic Sacramento exhibendum esse doceat, *quòd illum eundem Deum præsentem esse credamus, quem Pater æternus inducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius*; manifestè ostendit, se internos adorationis actus ab hominibus requirere: tum quia adorationem Angelorum adducit, quæ merè spiritualis est: tum quia externa adorationis indicia, si absque religiosa mentis deuotione, & pia intentione edantur; irrisionis potiùs, quàm adorationis nomen merentur.

Itaque nihil contra Concil. Trid. agit Kemnitius, quando illa Christi testimonia profert: *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Et, *Veri adoratores adorabunt in spiritu, & veritate.* Quia illo fine externa adorationis signa exhibentur, vt sint publica quædam adorationis internæ testimonia, vtque fideles ad Christi in Eucharistia adorationem inuicem excitent, & hæreticos, hunc Christo in Sacramento honorem inuidentes, facto ipso confutent.

CONCLVSIO III. Honorifica S. Eucharistiæ circumgestatio, quæ in Ecclesia Catholica sæpè fieri solet, & maximè solenniter in festo Corporis Christi, huius Sacramenti institutioni non repugnat, sed valdè consentanea est. Probatur: Quia si Sacramenti institutioni repugnaret, vel ideò, quòd Sacramentum hoc statim à benedictione totum distribui, & manducari debeat; vel quòd vna species ab altera nullâ ratione

ſeparari poſſit, vt Confeſſio indicat; vel quòd Sacramentum, poſt benedictionem aſſeruatum Corpus & Sanguinem Christi non contineat; vel quòd circumgeſtatio à Deo præcepta non ſit. Sed nihil horũ dici poſſe ex dictis colligitur. Ergo, &c.

Quod enim Kemnitius dicit, Sacramentum Euchariſtiæ per circumgeſtationem transferri in alium vſum ab eo, quem Chriſtus in inſtitutione præſcripſit, vel ita intelligit; quòd non referatur ad eum vſum, quem Chriſtus inſtituit; & hoc falſum eſt: quia etiam Euchariſtia illa, quæ ſolenniter circumfertur, eo fine conſecrata eſt, vt manducetur: quamuis manducatio pauliſper differatur, vt honor huic Sacramento debitus ei ante exhibeatur. Proindeque falſum eſt, quod Kemnitius ait, ea quæ Chriſtus inſtituit & mandauit, diſtributionem ſcilicet, & ſumptionem, per circumgeſtationem prætermitti: quia non prætermittitur, ſed differtur tantùm Euchariſtiæ manducatio, dum honorificè circumfertur. Vel intelligit aliquid nos circa hoc Sacramentum facere, quod in inſtitutione ſua Chriſtus expreſsè non præcepit; quod facilè concedimus. Nam neque præcepit Euchariſtiam ad abſentes deferendã, neq; ſe in Sacraméti vſu adorandum: quæ tamen licitè fieri concedit Kemnitius. Quid autem intereſt, ſiue Chriſtum in priuato Eccleſiæ conuentu, dum Euchariſtia conſecratur, & diſtribuitur, adores; ſiue in ſolenni hominum cœtu, & religioſâ pompâ, dum omnibus palàm adorandus circumgeſtatur?

Tres autem calumnias hìc addit Kemnitius: I. Quòd externo huic Euchariſtiæ cultui, etiam ſine vera Pœnitentia, & Fide, tribuamus neſcio quæ merita. II. Quòd perſuadeantur homines, cultum illum, humanitùs excogitatum, multò præſtantiorem, & Deo gratiorem eſſe, quàm ſi Euchariſtia diſtribuatur, manducetur, & bibatur in commemorationem Chriſti. III. Quòd per Feſtum Corporis Chriſti abducantur homines à crebriore ſynaxi, ſeu communione. *Perſuadentur enim,* inquit, *communionem cum magno periculo eſſe coniunctam; cultum verò huius Feſti ſine periculo multò magis eſſe meritorium.*

Sed

Sed calumnias istas partim ea quæ dicta sunt, partim experientia ipsa confutat.

OBIICIES cum Kemnitio, Israelitæ, 1. Reg. 4. bonâ quidem intentione, sed citra mandatum Dei Arcam in castra adduxerunt: existimantes se per hoc hostes suos debellaturos. Sed contra accidit: nam & ipsi deuicti sunt, & Arca in manus hostium deuenit. *Hoc exemplum*, inquit, *rectè consideratum, totum prætextum intentionis extra Verbū de circumgestatione euertit*.

RESPONDEO I. Sicut Kemnitius sine speciali mandato Christum in Eucharistia adorandum docet; quia generale de adorando Deo mandatum habemus, & adoratio certo loco aut tempori non est alligata: ita generali isti mandato consentaneè facimus, quando id facimus, quo cultus Christo debitus illi in Sacramento exhibetur. Idque in circumgestatione fieri manifestum est: quia ideò circumfertur, vt obuiis omnibus adorandus exponatur, & vt ij, qui in processione publica sunt, animi affectu, & externa protestatione corporis eum vt Filium Dei adorent.

RESPONDEO II. Israelitas non ideò cæsos, quòd Arcam Domini in castra absque Dei mandato deduxerint; sed quòd fiduciam in Arca collocantes, vitam malam non emendarent. Et maximè propter peccata Ophni & Phinees filiorum Heli, vt testatur Deus 1. Reg. 2. & 3. Simili modo exprobrat Iudæis Ieremias c. 7. quòd flagitiosè viuentes, liberationem se ab Assyriis, Babyloniis, & Ægyptiis impetraturos sperabant, propter templi sui celebritatem: & ideò in hunc modum eos alloquitur: *Hæc dicit Dominus Exercituum, Deus Israel: Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacij, Dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.*

RESPONDEO III. Ipsius Arcæ solennem circumgestationem aliàs sæpè factam probare, Eucharistiam rationi, & Dei cultui valdè conuenienter venerationis causâ circumferri. Nā & ex præcepto Dei, & sine illo circūgestatio Arcæ Deo accepta fuit. Cùm Iosue 6. iubente Deo septem diebus

Arca publicè circumgestata esset, Hiericho absque Hebræorum sanguine capta fuit. 2. autem Reg. 6. & 7. & 3. Reg. 8. solennissimæ circumgestationes Arcæ leguntur, quæ, sine Dei mandato institutæ, illi gratissimæ extiterunt.

Si verò Arcam, in qua singulari quadam ratione præsidebat Deus, & in qua manna terrestre reconditum erat, tali veneratione afficere licuit; impius profectò sit necesse est, qui S. Eucharistæ honorificam circumgestationem impietatis accusat; cùm in illa verè & substantialiter contineatur vnigenitus Filius Dei, siue Manna illud de cœlo descendens: non de quo Patres in deserto manducauerunt, & mortui sunt; sed de quo qui dignè manducauerit, viuet in æternum, Ioan. 6.

ARTICVLVS XII.

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

ARticulus hic in Confessione ordine XXIV. originaliter ita sonat: *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant: Retinetur enim Missa apud nos, & summâ reuerentiâ celebratur. Seruantur & vsitatæ Ceremoniæ ferè omnes, præterquàm quòd latinis cantionibus admiscentur alicubi germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc præcipuè opus est Ceremonijs, vt doceant imperitos. Et Paulus præcipit in Ecclesia vti linguâ intellectâ populo.* (quo loco Ministri Saxonici in *Pupilla* non originalem & inuariatam Confessionem, sed Anno 1531. variatam sequuntur, dum hæc postrema verba ita ponunt: *Nam ad hoc vnum opus est Ceremonijs, vt doceant imperitos. Et non modò Paulus præcipit vti linguâ intellectâ populo; sed etiam ita constitutum est humano jure.*)

Assuescit

Assuescit populus (pergit originalis Confessio) *vt vnà vtantur Sacramento, si qui sunt idonei. Id quoque auget reuerentiam ac religionem publicarum Ceremoniarum. Nulli enim admittuntur nisi anteà explorati, atque auditi* (quam postremam particulam omittit *Pupilla*, secuta exemplaria Wittenbergensia, non originalem Confessionem) *Admonentur etiam homines de dignitate & vsu Sacramenti, quantam consolationem afferat pauidis conscientijs: Vt discant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare, & petere. Hic cultus delectat Deum, talis vsus Sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud Aduersarios Missæ maiore religione fieri, quàm apud nos.*

Constat autem, hanc publicam, & longè maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quòd Missæ turpiter profanarentur collatæ ad quæstum. Neque enim obscurum est, quàm latè pateat hic abusus in omnibus templis; à qualibus celebrentur Missæ, tantùm propter mercedem, & stipendium: quàm multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem grauiter minatur his, qui indignè tractant Eucharistiam, cum ait: Qui ederit Panem hunc, aut biberit Calicē Domini indignè, reus erit Corporis & Sāguinis Domini. Itaq; cū apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos priuatæ Missæ: cùm ferè nullæ priuatæ Missæ, nisi quæstus causâ, fierent. Neque ignorauerunt hos abusus Episcopi; qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Anteà suâ dissimulatione multa vitia passi sunt in Ecclesiam serpere: nunc verò (Pupilla, *nunc serò*, hoc est, tametsi corrigantur abusus, tamen jam contra Ecclesiæ pacem conclamatum est) *incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ; cùm hic tumultus non aliunde sumpserit occasionem, quàm ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, vt tolerari ampliùs non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento extiterunt: fortassis ideò, vt daret pœnas orbis tam diuturnæ profanationis Missarum, quàm in Ecclesia tot seculis tolerauerunt isti, qui emendare & poterant, & debebant. Nam in Decalogo scriptum est: Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res diuina ita videtur vnquam ad quæstum collata fuisse, vt Missa.*

Accessit

Accessit opinio, quæ auxit priuatas Missas in infinitum, videlicet quòd Christus sua passione satisfecerit pro peccato Originis; & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manauit publica opinio, quòd Missa sit opus delens peccata viuorum & mortuorũ ex opere operato. Hic cœptum est disputari, Vtrùm vna Missa dicta pro pluribus tantundem valeat, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quòd dissentiant à Scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solùm pro culpa Originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis. Vt ad Hebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item, Vna oblatione consummauit in perpetuum sanctificatos. Item Scriptura docet, nos coram Deo iustificari per fidem in Christum (addit Pupilla cum exemplari Wittenbergensi: *Cùm credimus nobis remitti peccata propter Christum*) *Iam si Missa delet peccata viuorum, & mortuorum ex opere operato, contingit iustificatio ex opere Missæ, non ex fide: Quod Scriptura non patitur. Sed iubet Christus facere in sui memoriam. Quare Missa instituta est, vt fides in iis qui vtuntur Sacramento recordetur, quæ beneficia accipiat per Christum: & erigat, & consoletur pauidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, meminisse beneficia, ac sentire, quòd verè exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari: quia hanc etiam Iudæi & impij recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, vt ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est consolatione: sicut Ambrosius ait: Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.*

Cùm autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, seruatur apud nos Vna communis Missa singulis feriis, atque aliis etiam diebus, si qui Sacramento velint vti: vbi porrigitur Sacramentum his, qui petunt. Neque hic mos in Ecclesia nouus est. Nam veteres ante Gregoriũ non faciunt mentionem priuatæ Missæ. De communi Missa plurimùm loquuntur: Chrysostomus ait, Sacerdotẽ quotidie stare ad altare, & alios ad cõmunionẽ accersere, alios arcere. Et ex Canonibus veteribus apparet, vnum aliquem celebrasse Missam, à quo reli-

quì

Digitized by Google

qui Presbyteri & Diaconi sumpserunt Corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Nicani: Accipiant Diaconi secundùm ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero sacram communionem. Et Paulus de communione iubet, vt alij alios expectent, vt fiat communis participatio.

Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiæ ex Scripturis & Patribus, confidimus eam improbari non posse: maximè cùm publicæ Ceremoniæ magna ex parte similes vsitatis seruentur. Tantùm numerus Missarum est dissimilis: quem propter maximos, & manifestos abusus certè moderari prodesset. Nam olim, etiam in Ecclesiis frequentissimis non fiebat quotidiè Missa, vt testatur historia Tripartita lib. 9. c. 38. &c.

STATVS CONTROVERSIAE IN hoc Articulo.

PHilippus hoc loco non dicit, Missam apud Catholicos vsitatam esse abolendam; sed potiùs manifestis verbis, quamuis mendacibus, asserit, falsò accusari Ecclesias ipsorum, quòd Missam aboleant. Et proinde Theologi Catholici, hoc de Missa propriè dicta jure intelligentes, in responsione sua dixerunt: *Non improbatur, quòd Principes & Ciuitates vnam seruant communem Missam in Ecclesia; si modò ritè juxta sacrum Canonem id faciunt, sicut omnes Catholici obseruant.* Nam de illa Missa loqui debet Philippus, de cuius abrogatione accusati sunt Lutherani (Si enim de alia loquitur, mentitur Ecclesias Lutheranas accusatas de eius abrogatione) Sed de Missæ apud Catholicos vsitatæ abrogatione tantùm accusati sunt Lutherani: Ergo de eius Missæ abrogatione loqui debet. Quod & in fine insinuat, dum non ait ipsam Missam, sed numerum Missarum TANTVM apud Catholicos & Lutheranos dissimilem esse.

Quosdam autem in Missa abusus notat: I. Quòd Missa apud nos turpiter ad quæstum conferatur, dum multi non nisi propter lucrum Missas celebrant.

II. Quòd indigni ad celebrandum accedant. *Et si Episcopi*, inquit, *correxissent hos abusus, minus esset dissensionum.*

III. Quòd existimemus Missam esse opus delens peccata mortalia & venialia viuorum & mortuorum. Et Christum tantùm pro peccato originali satisfecisse; Missam autem ab eo institutam pro quotidianis delictis.

IV. Quòd cùm Missa ad hoc instituta sit, vt porrigatur fidelibus Sacramentum, sufficiat vna Missa communis; priuatarum autem Missarum numerus, propter maximos abusus, moderandus sit.

Ex quo rursus sequitur, Confessionem originalem non dicere, Missas apud Catholicos vsitatas omnino abrogandas esse (quod tamen Confessionistæ docent) Cuius enim rei numerus tantùm moderandus est, illa non est omnino abroganda: Missæ apud Catholicos vsitatæ numerus tantùm moderandus est, vt inquit Confessio: Ergo ipsa Missa non est abroganda.

Mirum tamen est, cur plures Missas eodem in loco singulis diebus celebrari non expediat, si Missa est res sacra & diuina, vt Confessio insinuat dum ait: *Ab initio mundi nulla res diuina ita videtur vnquam ad quæstum collata fuisse, vt Missa.* Et Confessio Variata vocat hunc *sacrilegum quæstum*: Ergo Missa est res sacra, in cuius profanatione sacrilegium committitur. Si verò propter priuatorum hominum abusus frequens Missarum numerus tollendus est; tolli etiam debebit frequens numerus concionum, orationum, eleemosynarum, & omnium exercitiorum diuinorum, in quibus plurimi priuatorum abusus reperiuntur.

Iam verò constat duos priores abusus non esse generales Ecclesiæ, sed priuatis & malis hominibus proprios; si nimirum indigni, & tantùm propter lucrum Missas celebrent. Quamuis damnandi non sunt, qui Missas in honorem Dei faciunt, & illarum ratione, non quatenus res sacræ sunt, sed quatenus laboriosæ, stipendia ad suam sustentationem accipiunt; juxta illud 1. Cor. 9. 7. *Quis militat suis stipendijs vnquam?*

quam? Et v. 13. *Qui altari deseruiunt, cum altari participant.*

Quod autem tertio loco ex Confessione relatum est, mera calumnia est: & proinde constat à Confessione nullam veram & legitimam causam adduci, propter quam Missæ apud Catholicos vsitatæ sint abrogandæ. Partim enim priuatorum quorundam hominum, non totius Ecclesiæ sunt; partim conficta sunt.

Et tamen in his figmentis totum controuersiæ statum collocat Philippus in Apologia dicens: *Etsi Aduersarij in hoc loco multa congerunt, vt probent Missam esse sacrificium; tamen ille ingens tumultus verborum, prolatâ hac vnicâ responsione consilescet, quòd hæc, quamuis longa coaceruatio auctoritatum, rationum, testimoniorum, non ostendat, quòd Missa ex opere operato conferat gratiam, & applicata pro alijs mereatur eis remissionem peccatorum mortalium & venialium, culpæ & pœnæ. Hæc vna responsio euertit omnia, quæ Aduersarij obijciunt, non solùm in hac confutatione, sed in omnibus scriptis, quæ de Missa ediderunt.* ET HIC CAVSAE STATVS EST. *De quo ita nobis admonendi sunt lectores, vt Aeschines admonebat Iudices, vt perinde ac pugiles inter se certant, ita cum Aduersario dimicarent ipsi de Statu Controuersiæ, nec finerent eum extra causam egredi. Ad eundem modum hîc Aduersarij nostri cogendi sunt, vt de re proposita dicant. Et cognito Controuersiæ statu facillima erit dijudicatio de argumentis in vtraque parte.*

Sed si hic Controuersiæ status est, quid adhuc in hac grauissima materia dissidemus, de qua Apologia in fine huius Articuli ait: *Magna causa, magna res est, nec inferior illo negotio Eliæ Prophetæ, qui cultum Baal improbabat?* Palàm enim profitemur, nos non sentire, Missam esse sacrificium ex opere operato peccatorum Mortalium & Venialium remissionem conferens; sed constanter negare, quod Confessio Anno 1540. variata nobis per calumniam impingit: *quòd Cœna Domini sit opus, quod celebratum à Sacerdote mereatur remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ, facient, & alijs; idque ex opere operato, sine bono motu vtentis &c. Sic interpretantur sacrificium cùm Missam vocant sacrificium.*

Illud enim est quod cum Concil. Trid. Seſſ. 22. cap. 2. sentimus: *Quoniam in diuino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt, ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe ſacrificij oblatione Dominum gratiam & donum pœnitentiæ concedere, crimina & peccata etiam ingentia dimittere.* Ergo noſtra ſententia non eſt, ipſum Miſſæ ſacrificium alicui applicatum immediatè in illo cauſare peccatorum remiſſionem, ſine bono motu cordis; ſed impetrare à Deo pœnitentiæ gratiam, vt per hanc remiſſionem conſequamur.

Itaque Status iſte Controuerſiæ, quem Apologia ponit, per ſe in nihilum ruit, dum id in nobis oppugnat, quod nunquam propugnauimus, per calumniam ſibi hoſtem fingens quem non habet. Et proinde meritò iisdem hîc verbis vti poſſemus, quibus eadem Apologia ibidem vtitur: *Si quantum opus eſt dicendum fuit, cauſa jam dicta eſt.*

Nihilominus quædam in Confeſſione Originali poſita paucis ad veritatis libellam trutinanda ſunt: I. An quæ de Sacrificio Miſſæ docemus lædant gloriam Chriſti. II. An Catholici doceant Chriſtum in cruce pro ſolo peccato Originis ſatisfeciſſe; Miſſam verò offerendam pro peccatis actualibus. III. Vtrùm Miſſæ priuatæ, vt vocant, ante tempora Gregorij Magni incognitæ fuerint. IV. An in Miſſa neceſſariò vtendum ſit linguâ, quam populus intelligat. V. An Confeſſioniſtæ in hoc Articulo cum Confeſſione ſua conſentiant.

QVAESTIO I.

An quæ de Sacrificio Miſſæ docemus lædant gloriam Chriſti?

EX dictis manifeſtum eſt, nos non docere, Miſſam eſſe Sacrificium

crificium ex opere operato remissionem peccatorum & pœnarum immediatè efficiens in ijs, pro quibus offertur, sed esse sacrificium incruentum, quo Deus, potissimùm propter principalem offerentem, qui Christus est, & hostiam, quæ eadem cum illa est, quam in cruce Christus obtulit, mouetur, vt hominibus ex infinito sacrificij cruenti merito fructum gratiæ præuenientis applicet, per quam pœnitentiam agant, in iustitia perseuerent & crescant, & à malis etiam temporalibus, si ita ipsi visum fuerit, singulari protectione præseruentur, vel liberentur.

Quamuis autem & hostia, & principalis offerens in hoc Sacrificio idem sit, qui fuit in sacrificio crucis; tamen ex ordinatione Dei valor sacrificij Missæ infinitus non est; vt est sacrificij crucis; quod semel Deo oblatum sufficientissimum est, ad exhaurienda totius mundi, imò infinitorum mundorum peccata. Missæ enim sacrificium propriè coram Deo impetratorium est, vt certis hominibus, pro quibus offertur, certa gratia ex infinito Sanguinis Christi in cruce effusi thesauro applicetur.

Itaque potissima hac in parte controuersia est, non quam per calumniam Apologia fingit, sed an Missa sit sacrificium non impropriè tantùm dictum, in quo ad honorem Dei, gratiarum actionem, & commemorationem mortis Christi hominibus Corpus & Sanguis Domini distribuatur; sed an sit sacrificium propriè dictum, in quo videlicet hostia ipsi Deo ad aliquid ab eo impetrandum offeratur, & incruento modo immoletur. Id quod paucis inuestigandum est, & deinde videndum, an quæ hac in parte Catholici docent, in institutionem Sacramenti, Testamentum, Sacerdotium, & Sacrificium cruentum Christi iniuriosa dici possint.

CONCLVSIO I. Missa est Sacrificium à Christo in noua Lege institutum, & in antiqua præfiguratum, in quo hostia Corporis & Sanguinis Domini Deo offertur, & incruento modo immolatur, ad impetranda non tantùm offerentibus & sumentibus, sed etiam alijs

pro quibus offertur, diuina beneficia. Probatur I. Id à Christo institutum est vt deinceps in Ecclesia fiat, quod ipse in vltima Cœna fecit, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Sed ipse in vltima Cœna Corpus & Sanguinem suum nõ tantùm Discipulis distribuit, sed etiam Patri suo in hostiam obtulit: Ergo à Christo institutum est, vt Corpus & Sanguis ipsius non tantùm populo distribuatur, sed etiam Deo tanquam gratissima hostia offeratur, & incruento modo immoletur. Maior manifesta est. Probatur Minor: Quia Christus in Ps. 109. quem Matt. 22. de se explicat, vocatur *Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech*: Ergo aliquando hostiam secundùm istum Ordinem obtulit. Nam quod in Vulgato legimus, *Ordinem*, in Hebræo & Græco *Ritum* significat. Atqui Ritus quo Melchisedech, tanquam sibi propriè conuenienti, sacrificauit, fuit in oblatione panis & vini, vt Genes. 14. describitur: *At verò Melchisedech, Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Quamuis enim in Hebræo est verbum, quod quouis modo proferre siue depromere significat; tamen aliquando etiam ponitur, vbi res in eum finem profertur, vt Deo in sacrificium offeratur, vt Iud. 6.

Et quòd tali significatione hîc sumendum sit, constat ex connexione verborum: Neque enim sacerdotij mentionem fieri oportuisset, si Melchisedech ad refectionem tantùm corporalem panem & vinum protulisset; neque Scriptura per particulam, causalem sensum habentem, expressisset, ideò Melchisedech panem & vinum protulisse, quia Sacerdos erat. Nam licet in Hebræo habeatur particula, quæ coniunctiuæ nostræ, *Et*, respondet; sæpè tamẽ etiam pro causali sumitur. Et quandoque interpres noster coniunctiuam particulam causali sensu retinet, vt Isaiæ 64. *Tu iratus es, & peccauimus.* Ps. 94. *Ipsius est mare, & (* id est, *quia*, vt sentit S. Hieronymus) *ipse fecit illud.* Quandoque per causalem exprimit, vt Genes. 20. *Ecce morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum*: cùm in Hebræo ad verbum dicatur: *Et ipsa habet virum.* Eodem ergo modo quando hîc in textu hebraico dicitur: *At verò Melchisedech,*

Digitized by Google

dech, Rex Salem, proferens panem & vinum, *& ipse Sacerdos Dei altißimi*; satis manifestè indicatur, qua de causa panem & vinum protulerit; vt Sacerdos videlicet, hostiam Deo offerens.

Malè autem Aduersarij illud, *Et ipse Sacerdos altißimi*, ad sequentia verba referunt: vt Caluinus, dum ita vertit: *Cùm Sacerdos esset altißimi, benedixit Abrahæ*: tum quia in Hebræo ante terminatur periodus per accentum, quem *Soph Pasuch* vocant: tum quia vt Sacerdos non benedixit Abrahæ: nam & ipse Abraham Sacerdos erat; & Sacerdotum non erat proprium benedicere, vt multis Scripturæ exemplis ostendi potest. Vnde Paulus in Epist. ad Heb. rationem referens, cur Melchisedech benedixerit Abrahæ; non ponit eam, quòd fuerit Sacerdos; sed quòd illo maior fuerit.

Neque verò opus fuisset, Melchisedech ad corporalem refectionem militibus Abrahæ proferre panem & vinum: quia prædâ onusti, in qua omnis generis cibi erant, ex victoria redibant: & antequam occurreret eis Melchisedech jam comederant & biberant, vt in fine capitis insinuatur. Ergo Melchisedech tanquam Sacerdos panem & vinum protulit, hoc est, Deo in sacrificium obtulit, partem panis cremando, & vini in honorem Dei effundendo; partem Abrahæ militibus, in gratiarum actionem pro parta victoria, libandam distribuendo, vt in hostijs pacificis moris erat.

Quamuis autem in ea quæstione, An Melchisedech vt Sacerdos panem & vinum Deo obtulerit, &, An Christus in vltima Cœna panem & vinum in Corpus & Sanguinem suum commutans, personā illam gesserit, quam sacerdotium Melchisedech præfigurauit, aliqua per se foret ambiguitas; eam tamen meritò radicitùs tollere deberet vnanimis antiquissimorum Patrum (qui procul dubio ex traditione Apostolica didicerunt, quod nobis scripto reliquerunt) sensus, & consensus. Quia verò multorum testimonia colligere longum foret; & Apologia solos Cyprianum & Ambrosium in quæstione de sacrificio adducit; congiarij loco adijciam illis & Augustinū.

S. Cyprianus lib. 2, Epist. 3. ad Cæcilium, *In Sacerdote*, inquit,

inquit, *Melchisedech sacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus: secundùm quod diuina Scriptura testatur, & dicit: Et Melchisedech, Rex Salem, protulit panem & vinum; fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham* (licet verò in lectione textûs Aduersarijs fauere videatur; in sensu tamen, quem ex illo colligit, totus noster est, vt sequentia docebunt) *Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis, ex persona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum generaui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech. Qui Ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quòd Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam qui magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus? Qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum; suum scilicet Corpus & Sanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad nostrum populum pertinebat. &c.*

S. Ambrosius lib. 5. de Sacram. c. 1. *Hesternus,* inquit, *sermo noster ac tractatus vsque ad sancti Altaris Sacramentum deductus est: & cognouimus Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium S. Melchisedech.* Et post comparationem Christi & Melchisedech, quòd vterque neque initium, neque finem dierum habeat, subiungit: *Diximus ergo, quòd in altari constituatur calix & panis, in calice mittitur vinum, & quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? Quid sibi vult admixtio aquæ? &c.* Et lib. 4. c. 3. dicit, Melchisedech non tantùm ideò figuram Christi gessisse, quòd sine patre, sine matre in Epist. ad Heb. dicatur; sed etiam in Sacerdotio. Et c. 6. refert partem Canonis, quam hodieque in Missa recitamus, *Vide,* inquit, *quid dicat: Quotiescumque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum aduenìam. Et Sacerdos dicit* (in Missa videlicet) *Ergo memores gloriosissimæ eius Passionis, & ab inferis Resurrectionis, & in cœlum Ascensionis offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, hunc Panem sanctum, & Calicem vitæ æternæ:*

& petimus

& petimus, & precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublimi Altari tuo, per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod obtulit tibi summus Sacerdos Melchisedech.

S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei c. 22. *Sed planè* inquit, *tunc benedictus est* (Abraham) *à Melchisedech, qui erat Sacerdos Dei excelsi, de quo in Epist. quæ scribitur ad Hebræos. &c. Ibi quippe primùm apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum: impleturque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carnem: Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech.* Et lib. 17. c. 20. *Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quòd ad participationem mensæ huius pertinet, quam & Sacerdos ipse Mediator Testamenti noui exhibet secundùm Ordinem Melchisedech, de Corpore & Sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus alijs sacrificijs veteris Testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Ps. 39. eiusdem Mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti, Corpus autem perfecisti mihi. Quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus Corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Et lib. 1. contra Aduersarium Legis & Proph. cap. 20. *Quæ si illorum* (Apostolorum) *essent* (agit autem de scriptis quibusdam apocryphis, nomine Andreæ & Ioannis editis) *recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas vsque ad nostra & deinceps tempora perseuerat, & immolat Deo in Corpore Christi sacrificium laudis: ex quo Deus Deorum locutus vocauit terram à solis Ortu vsque ad Occasum. Hæc quippe Ecclesia est Israel secundùm Spiritum, à quo distinguitur ille Israel secundùm carnem, qui seruiebat in vmbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundùm spiritum, cui dictum, atque prædictum est: Audi populus meus, & loquar tibi, Israel & testificabor tibi. &c. De huius enim domo non accipit vitulos, neque de gregibus eius hircos. Iste immolat Deo sacrificium laudis, non secundùm Ordinē Aaron; sed secundùm Ordinem Melchisedech. Quod in eo Psalmo positum*

tum est, quem Dominus Iesus in Euangelio de se scriptum esse testatur, &c. Ibi quippe & hoc dictum est: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quãdo benedixit Abraham: & si jam sunt participes eius, vidẽt tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio incredulorum est increpatio, & quòd Deum non pœnitebit significatio est, quia hoc Sacerdotium non mutabit. Mutauit enim Sacerdotium secundùm Ordinem Aaron. Anne his locis non de Missa, sed de sacrificio crucis agitur, vt in Scuto Frœreiseniano asseritur?

Sed ibidem additur, si quando Eucharistia sacrificium vocatur, vt lib. de Fide ad Pet. c. 19. non propriè ita vocari; sed quatenus est commemoratiuum Carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & Sanguinis quem pro nobis effudit. Atque ad me dicitur: *Inspice locum, si veritas tibi cordi est.* Itaque etiam alijs inspiciendum proponam, vt ipsi ex eo, junctis illis quæ jam relata sunt, de S. Augustini mente judicare possint: *Firmissimè tene,* inquit, *& nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum, Verbum Carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis. Cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, & Prophetis, & Sacerdotibus tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur: & cui nunc id est, tempore noui Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est vna Diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit Carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & Sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio, atque commemoratio est Carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & Sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit.*

Porro nemo nostrûm negare potest, sacrificium Missæ Dominicæ passionis commemoratiuum esse: quia omnes cum SS. Patribus & Concil. Trid. sentimus, tunc illud esse institutum, quando Christus in vltima Cœna dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Si autem hoc impedit, quò minùs

nis sacrificium propriè dici debeat; etiam antiquæ Legis sacrificia, quæ sacrificij Crucis figuræ tantùm & typi quidam erant, impropriè sacrificia dicenda erunt. Sacrificium verò Missæ non tantùm cruenti sacrificij commemoratiuum est; sed ipsam hostiam, quæ cruento modo in cruce oblata fuit, veraciter continet, & incruento modo immolat. Et proinde omnes hostias Deo in antiquo Testamento offerri solitas ineffabili modo transcendit.

Sed ad Confessionem August. redeamus. Apologia tit. *Quid sit sacrificium, & quæ sint sacrificij species*, concedit Missam non tantùm Sacramentum; sed etiam sacrificium dici posse: & inter Sacramentum ac sacrificium hoc discrimen ponit: quòd illud nobis à Deo exhibeatur, hoc Deo à nobis offeratur. Porro Missam non posse dici sacrificium propitiatorium, quod alijs remissionem peccatorum obtineat, sed sacrificium Eucharisticum: vnicum enim sacrificium crucis fuisse propitiatorium. Et proinde ad testimonia Patrum respondet: *Non ignoramus Missam à Patribus appellari sacrificium, sed hi non volunt Missam ex opere operato conferre gratiam, & applicatam pro alijs mereri eis remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ, Vbi leguntur hæc portenta verborum apud Patres? Sed apertè testantur se de gratiarum actione loqui. &c.*

Habemus autem ex hac doctrina I. Eucharistiam non tantùm institutam, vt nobis Corpus & Sanguis Christi communicetur; sed etiam vt Deo in gratiarum actionem offeratur: quia Apologia concedit, Missam esse sacrificium Eucharisticum, & docet sacrificium genericè sumptum, prout in propitiatorium & Eucharisticum diuiditur, *esse Ceremoniam, vel opus, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus.* II. Etiamsi Missa hoc modo tantùm sacrificium Eucharisticum esset, adhuc propriè sacrificium appellari posse: quia multa antiqui Testamenti sacrificia, quæ vniuersa sacrificij Missæ figuras fuisse docent SS. Patres, Eucharistica fuerunt; nec tamen ideò non erant sacrificia

propriè dicta: vt hostiæ pacificæ; quæ pro acceptis à Deo beneficijs offerebantur. Quòd si verò omnia & singula ita strictè ad proprietatem sacrificij in Missa requirunt, quæ in antiqui Testamenti sacrificijs inuenta sunt; etiam sacrificium crucis à propriè dictis sacrificijs excludere poterunt: quia in illo idem fuit offerens & hostia: & sibi ipsi quoque, quà Deus erat, obtulit: neque Sacerdos per se hostiam, nisi spiritualiter tantùm, immolauit. &c.

Non dicimus autem quòd Missa ex opere operato conferat gratiam, id est, vt Apologia passim calumniatur, quòd applicata alijs mereatur illis remissionem peccatorum sine bono motu cordis; sed quòd ijs pro quibus offertur, tum viuis tum defunctis impetret beneficia Dei: quodque antiquæ & orthodoxæ Ecclesiæ more etiam pro Sacerdotis & aliorum peccatis rectè offerri possit, vt ex Liturgijs, & plurimis antiquissimorum Patrum scriptis manifestum est. Non quòd per hoc sacrificium ipsa peccata immediatè auferantur; sed quòd auxilia opportuna ad peccata euitanda, & vitam emendandam impetrentur, & pœnæ post culpæ remissionem luendæ mitigentur.

Atque hoc potissimum est, quod in Missa Aduersarij oppugnant. videlicet ipsam ijs prodesse, quibus applicatur; quamuis de Corpore & Sanguine Domini tunc temporis non participent, vel etiam absentes sint. Verùm ipsos in hoc negotio non tantùm nostram, sed antiquæ & orthodoxæ quoque Ecclesiæ praxin & doctrinam oppugnare paucis S. Augustini testimonijs ostendam: Libro 22. de Ciuit. Dei cap. 8. vbi multa miracula ad Reliquias & memorias Martyrum facta refert (qualia cùm nunc quoque passim fiant, ab Aduersarijs nostris ridentur, vt & Reliquiarum pia veneratio ab ijsdem damnatur, quam ibi S. Augustinus commendat) *Vir*, inquit, *Tribunitius Hesperus, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Cubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium & seruorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset; rogauit nostros me absente Presbyteros, vt aliquis*

aliquis

aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio. Deoque protinus miserante cessauit.

Libro 9. Confess. cap. 13. de Matre sua Monica: *Namque illa*, inquit, *imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium. Non ista mandauit nobis; sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat: vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod est contrarium nobis.* Quòd autem hæc memoria longè diuersa sit ab ea, quæ de Sanctis cum Christo regnantibus in Missa celebratur, ex alijs eiusdem Augustini locis clarum est. Nam de memorijs Martyrum lib. 20. cont. Faustum cap. 21. *Populus Christianus*, inquit, *memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur. Ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria.*

De aliorum verò defunctorum memoria, qualem mater ipsius postulauit, agens Serm. 34 de verbis Apostoli ita loquitur: *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. HOC ENIM A PATRIBVS TRADITVM VNIVERSA OBSERVAT ECCLESIA, vt pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.*

Præthereà Malachias Propheta, cap. 1. de nouo Testamento hac ratione vaticinatus est: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, Ab Ortu solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, &c.* In qui-

bus verbis notandum est 1. de nouo Testamento prædici, fore in eo sacrificium & oblationem. 2. Eandem in omni loco puram & mundam fore, id est, talem, vt ab offerentibus inquinari non possit: prout sacrificia impropriè dicta per offerentium peccata sæpè inquinantur. Imò, vt aduersarij volunt, propter suam imperfectionem omnia sunt immunda. 3. Satis insinuat Propheta, hoc sacrificium antiqui Testamenti sacrificijs successurum. 4. Non toti populo Israelitico, sed solis Sacerdotibus opponit eos, quos in nouo Testamento sacrificaturos dicit.

Porrò Apologia ad hunc locum respondet: *Plena est Scriptura talibus testimonijs, quæ docent quòd sacrificia ex opere operato non reconcilient Deum; ideoque in nouo Testamento, abrogatis cultibus Leuiticis, docet fore, vt noua & munda sacrificia fiant: videlicet fides, inuocatio, gratiarum actio, confessio, & prædicatio Euangelij, afflictiones propter Euangelium, & similia. Et de his sacrificijs loquitur Malachias: Ab Ortu solis vsque ad Occasum, &c. Hunc locum detorquent Aduersarij ad Missam, & allegant auctoritatem Patrum. Facilis est autem responsio; quòd vt maximè loqueretur de Missa, non sequitur Missam ex opere operato iustificare, aut applicatam alijs mereri remissionem peccatorum.* Et paulò post: *Facilè patimur, si quis hîc velit complecti Ceremoniam; modò neque intelligat solam Ceremoniam, neque doceat Ceremoniam ex opere operato prodesse. Sicut enim inter sacrificia laudis, hoc est, inter laudes Dei complectimur prædicationem Verbi; ita laus esse potest, seu gratiarum actio, ipsa sumptio Cœnæ Domini: sed non ex opere operato iustificans, aut applicanda alijs.* Sed hæc responsio meram calumniam continet, vt ex dictis manifestū est. Neq; enim docemus, Missam alijs applicatam ex opere operato, id est, sine bono motu eorum pro quibus offertur (quod per opus operatum Apologia intelligit) mereri remissionem peccatorum. Sed neq; in laudem Dei Corpus & Sanguinem Christi tantùm sumi dicimus; verùm etiam Deo pro alijs offerri, qui neque de facto Eucharistiam sumunt, neque sumere possunt. Idque ex perpetua, & ab Apostolis ad nos deriuata Ecclesiæ traditione, quam

quam testimonia Patrum ex parte citata nobis manifestant.

Et quamuis nonnulli Patres, præsertim contra Iudæos, Leuitica adhuc sacrificia inculcantes, Malachiam de spiritualibus sacrificijs exposuerint; hoc tamen contra sacrificium Missæ nihil quidquam facit. Quia ipsum hoc sacrificium inter spiritualia computandum est: vtpote Christum, Spiritus sancti fontem in se complectens: & proinde istud Ioan. 4. de illo dictum intelligimus: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Et S. Augustinus supra citatus dicit, hoc sacrificium offerri ab Israel secundùm spiritum.

Item alij sæpè Patres sacrificia spiritualia bonorum operum simul, & sacrificium Missæ per Prophetam prædici asserunt: vt Eusebius lib. 1. Demonst. Euang. c. vlt. vbi relato Malachiæ vaticinio, non aliorum tantùm piorum operum meminit, sed etiam sacrificij Missæ, his verbis: *Sacrificamus igitur Deo altißimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum, & odorem adferens, & sacrosanctum sacrificium, sacrificamus nouo more secundùm nouum Testamentum hostiam mundam.* Nam sacrificium Missæ mundum, & Deo plenum est, & noui Testamenti proprium: sacrificia autem bonorum operum neque nouo Testamento propria sunt, neque ab Aduersarijs munda dici possunt: cùm omnia piorum opera bona propter imperfectionem suam in conspectu Dei doceant esse immunda; & per externam tantùm imputationem justitiæ Christi munda reputari. Atqui quod ita mundum reputatur, neque in se verè est, neque propriè dici potest mundum: Ergo Malachias, de oblatione munda nouo Testamento propria agens, non potest propriè de sacrificijs bonorum operum loqui.

Denique nemo antiquorum Patrum Malachiam de Sacrificio Missæ intelligendum non esse docet; & quamplurimi expressè ad hoc Sacrificium prophetiam Malachiæ referunt: Origenes, Irenæus, Iustinus, Augustinus, Alij. Sed breuitatis studio solius Augustini testimoniũ audiamus: Lib.

18. de

18. de Ciuit. Dei cap. 35. *Malachias*, inquit, *prophetans Ecclesiam, quam per Christum jam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei: Non est mihi voluntas in vobis, &c. In omni loco sacrificabitur & offeretur Nomini meo oblatio munda. Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundùm Ordinem Melchisedech cùm in omni loco à Solis Ortu vsque ad Occasum Deo jam videamus offerri; sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis, &c. cessasse negare non possint; quid adhuc expectant alium Christum?* Ergo S. Augustinus contra Aduersarios Malachiam de sacerdotio & sacrificio secundùm Ordinem Melchisedech intelligit: Ergo non tantùm de sacrificiis bonorum operum, quæ non sunt magis secundùm Ordinem Melchisedech, quàm secundùm Ordinem Aaronis. Et quæ Iudæi inter se desijsse facilè negare potuissent.

Similiter lib. contra Aduers. Legis & Prophet. cap. 20. immediatè post verba supra citata, quibus dicit per Sacerdotium secundum Ordinem Melchisedech Deo toto orbe terrarum in pane & vino offerri, subiungit: *Vnde alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel: Non est mihi voluntas in vobis, & hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce quòd est secundùm Ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat addit & dicit: Quia ab Ortu Solis, &c. Et in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura, &c. Ecce quod est secundùm Ordinem Melchisedech.* Aduersarij autem ne Christum quidem, dum in vltima Cœna panem & vinum consecrauit, Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedech egisse volunt. Nihil autem obstat, quòd Augustinus in sequentibus de hoc sacrificio dictum intelligat: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Immola Deo sacrificium laudis, &c.* Quia, vt supra dictum est, nemo Catholicorum negat, sacrificium Missæ esse sacrificium laudis: nam vt Augustinus ibidem cap. 18. dicit: *Quod est sacratius laudis sacrificium, quàm in actione gratiarum? Et vnde maiores agendæ sunt Deo gratiæ, quàm pro ipsius gratia, per Iesum Christum Dominum nostrum? Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum.*

Accedit præterea, quòd ipsa verba, quibus Christus in prima Eucharistiæ institutione vsus est, Sacrificiũ Missæ satis insinuant. Ita enim loquitur apud Luc. c. 22. 19. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur* (vel vt Paulus 1. Cor. 11. ait *frangitur*) *Hoc facite in meam commemorationem*. Et v. 20. *Hic est Calix nouum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* His enim verbis indicatur Christũ immolato agno paschali, alterius agni immolationem substituisse, idque in ipsa Cœna: quia ibi nouum Testamentum condidit, quod posteà morte sua confirmauit. Nam & hæreditatis suæ pignus tradidit, Corpus videlicet suum & Sanguinem; & hæc Apostolis suis præsentibus totius Ecclesiæ nomine legauit, inquiens: *Hoc facite.* Allusitque ad verba Moysis, Exod. 24. 8. vbi ipse immolato antiquæ legis sacrificio sumptum Sanguinem respersit in populum, & ait: *Hic est Sanguis fœderis, quod pepegit Dominus vobiscum.* Cùm ergo Christus in vltima Cœna hoc modo locutus sit, *vt vmbræ cederent corpori*, prout Leo Serm. 7. de Pass. Dom. asserit; proprij nominis sacrificium obtulit. Alioqui non vmbræ corpus; sed proprietati metaphoram, hoc est, sacrificiis propriè dictis sacrificium improprium in Cœna substituisset. Quia vt Irenæus Lib. 4. cap. 32. loquitur: *Discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, cùm qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens: Hoc est meum Corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundùm nos, suum Sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo Testamento. De quo in XII. Prophetis Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, & Sacrificium non accipiã de manibus vestris, Quoniam ab Ortu Solis vsque ad Occasum, &c.* Itaque Ecclesia Apostolorum temporibus proxima, vt præter alios antiquissimus hic Auctor testatur, ex traditione Apostolica accepit, Christum in vltima Cœna Discipulos suos nouam noui Testamenti oblationem, de qua Malachias vaticinatus

cinatus est docuisse, eamq́ veteris Legis sacrificijs substituisse.

Quâ traditione positâ rectè omnino concludimus, Christum in Verbis institutionis, cùm Corpus suum in præsenti dari, frangi, Sanguinem fundi dixit, non tantùm de sacrificio crucis, quod paulò post futurum erat; sed etiam de sacrificio incruento secundùm ordinem Melchisedech locutum esse. Præsertim cùm in textu græco apud Lucam effusio ad Calicem referatur. Nam, etiam sepositâ traditione Apostolicâ, maximè proprio Scripturæ sensui inhærendum est, nisi manifestis testimonijs aliunde productis, vel fidei indubitatis dogmatibus ab eo recedere cogamur. Cùm ergo tempus præsens, quo textus græcus Christum loquentem facit, magis propriè pro præsenti, quàm pro futuro sumatur; & dum calix effundi dicitur, magis propriè intelligatur Sanguis vt calice contentus effundi, quàm cruento modo in Cruce, vbi calix præsens non fuit; sequitur hæc loca quamuis etiam de sacrificio Crucis explicari possint, magis propriè de sacrificio incruento, quod in vltima Cœna Christus obtulit, intelligi.

Iam verò quia Vniuersalis & infallibilis Ecclesiæ Catholicæ traditio ad hæc Scripturæ testimonia accedit, non satis est, Aduersarios ad ea argumenta, quæ ex his Scripturis pro nostra parte adducimus respondere, & ita Scripturas exponere, vt contra ipsos nihil facere videantur; sed manifestis in contrarium testimonijs nos de errore conuincere debent. Qualia hactenus nulla vidimus, nec videbimus vnquam.

Accedit II. Quòd de Apostolis Act. 13. dicitur: *Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, &c,* Vbi in Græco est, λειτεργέντων, Quod verbum de sacris officijs absolutè dictum sacrificandi actum communiter significat: & ideò ipse Erasmus, græcè eruditus, hoc loco vertit: *Sacrificantibus illis Domino.* Vt autem Aduersarij quibusdam Scripturæ locis alia ministeria hoc verbo significari probent; quia tamen magis vsitatè ministerium sacrificij significat; etiam hinc sepositâ Ecclesiæ auctoritate valdè probabiliter colligeretur, Apostolos sacrificasse: & Aduersarij hanc probabilitatem, nisi mani-

festis

festis Scripturæ locis contrarijs, euertere non possent. Iam verò Ecclesia Christi adeò de sacrificio hoc Verbum sumpsit, vt Græci ipsam Missam Liturgiam semper appellauerint. Quid autem per Liturgiam intellexerint, in Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysosthomi Liturgijs, & in Ambrosio lib. 4. 5. & 6. de Sacram. Cyrillo Hierosf. Catech. 4. & 5. Nysseno, & Alijs videri potest. Apud hos enim aliquot verbis mutatis totus ferè Canon, hodie in Missâ recitari solitus, reperitur: & passim mentio fit oblationis, victimæ, & eorum pro quibus, & in quorum honorem offertur.

Accedit III. Quòd Apostolus 1. Cor. 10. 21. Mensam Domini mensæ Dæmoniorum opponit: & de mensa Dæmoniorum v. 19. dicit: *Qui edunt hostias participes sunt altaris.* Itaque hîc altare vocat, quod posteà mensam. Ergo etiam per mensam Domini rectè altare intelligimus. Id quod adeò receptum in vniuersa Ecclesia est, vt Eucharistia ab antiquissimis ad nos vsque temporibus Sacramentum altaris appellata fuerit. Adeò vt ipse Lutherus, tum alibi passim, tum in magno Catechismo, & Articulis Smalcaldicis (quæ duo opera lib. Concordiæ incorporata Lutherani communiter recipiunt) Sacramentum istud hoc nomine vocet. Et ex antiquissimis Patribus ac Concilijs manifestum est, altaria ad sacræ Eucharistiæ consecrationem & oblationem semper in Ecclesia Catholica erigi consueuisse. Ergo si Sacramentum hoc in altari offerendum est (alius enim vsus altaris fingi non potest) sequitur in eius oblatione esse Sacrificium, non tantùm Sacramentum. Quod aduertens præter alios Caluinus lib. 4. Inst. cap. 18. §. 12. ait: *Mensam nobis dedit, super qua epulemur; non altare, super quod offeratur victima.*

Accedit IV. Quòd Ministri Ecclesiæ ad consecrandā Eucharistiā ordinati in antiqua Ecclesia, & deinceps semper vocati sint Sacerdotes: id quod adeò manifestū est, vt ab Aduersarijs negari non possit. Atqui omnis Sacerdos ad sacrificium ordinatus est, juxta illud Heb. 5. *Omnis Pōtifex constituitur in ijs*

quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia. Et cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.* Vnde ipse Paulus concludit, Christum, vt Sacerdos dici possit, aliquid habere debere quod offerat. Ergo non tantùm propter prædicationem verbi, & Sacramentorũ administrationem, vt vult Kemnitius, Ministri Ecclesiæ Sacerdotes dicti sunt: quia etiam Diaconi quædam Sacramenta, præsertim in Presbyterorum absentia, administrare, & verbum Dei prædicare poterant; qui nihilominùs nunquam Sacerdotes appellati sunt. Nam in Concilio Carthag. IV. c.4. dicitur, Diaconum non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrari. Et S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei c. 20. *Erunt*, inquit, *Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis. Non vtique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum chrisma; sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt vnius Sacerdotis.* Si autem Episcopi & Presbyteri propriè Sacerdotes sunt; propriè dictum sacrificium offerunt. Hæc enim sola ratio est, cur Diaconi non dicantur Sacerdotes, quæ can. 14. Concil. Nicæn. redditur, quòd offerendi sacrificij non habeant potestatem.

Nihil autem obstat, quòd Ministri Ecclesiæ nusquam in Scriptura noui Testamenti appellantur Sacerdotes: quia in primo Ecclesiæ Christi exordio nomina Ministrorum ex singulari Dei prouidentia commutata sunt, & nulli dicti Pontifices, vel Sacerdotes. Ne Iudæi, his nominibus assueti, aliud per illa non intelligerent, quàm Pontifices & Sacerdotes Leuiticos. Itaque Episcopi, Presbyteri, Doctores, Pastores initio tantùm appellabantur. Postquam verò templum Hierosolymitanum destructum est, & sacerdotium Aaronicum publicè sublatum, antiquissimi Patres, seruatis prioribus in Scriptura expressis, nominibus quoque templorum, altarium, Sacerdotum, sacrificiorum liberè vti cœperunt: quod ad nostra vsque tempora sine vlla interruptione continuatum est. Nec nudè his nominibus vsi sunt, sed etiam sacerdotium secundùm Ordinem

dinem

Digitized by Google

dinem Melchisedech in oblatione panis & vini agnouerunt, & diligenter exposuerunt. *Quod non negat*, vt verba Scuti Frœreiseniani remittam, *nisi qui aut eos non legit, aut omnem à fronte pudorem abstersit.*

OBIICIES. Vt de Sacerdotio, & Altaribus, quæ in nouo Testamento impropriè sumenda sunt; de Liturgia, quæ aliud ministerium quàm Missæ in Actis significat; de verbis Christi, quæ, cùm oblationem Corporis & effusionem Sanguinis ipsius exprimunt, ad sacrificium Crucis referenda sunt; de Malachia, qui de noui Testamenti oblationibus agens, sacrificia spiritualia intelligit, nihil jam dicamus; præcipuum illud ex Scriptura fundamentum, de Sacerdotio secundùm Ordinem Melchisedech (quo euerso reliqua sponte sua cadent) ex S. Paulo facilè ostendi potest quòd non subsistat. Ipse enim in Epist. ad Heb. c. 7. Sacerdotium Christi secundùm Ordinem Melchisedech accuratissimè explicans, nullam facit sacrificij in panis & vini oblatione mentionem: cùm tamen plurimas alias inter Christum & Melchisedech comparationes instituat. Vt quòd vterque sit Rex Salem, siue pacis, vterq; Sacerdos Dei altissimi, vterq; maior Abrahamo, & consequẽter Aarone, in lumbis Abrahami per Melchisedech decimato; vterq; sine patre, sine matre, sine genealogia, &c. Imò ex similitudine Sacerdotij Melchisedechiani colligitur, in oblatione Eucharistiæ non posse esse sacrificiũ secundùm hũc Ordinem. Quia Melchisedech solus sui Ordinis Sacerdos fuit, neq; vllos habuit successores, aut vicarios post se in eodẽ Ordine Sacerdotes. Ergo neq; Christus de quo loc. cit. v. 24. dicitur: *Manens in æternum sempiternum habet Sacerdotium, & saluare in perpetuũ potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuẽs ad interpellandum pro nobis*, vllos admittit alios sui Ordinis Sacerdotes.

RESPONDEO I. Cætera argumenta tum ex Scriptura, tum ex antiquitate deducta, quamuis ab Aduersarijs eludi possint, non tamen esse tam leuia, vt ipsi arbitrantur. Quia non è capitibus nostris conficta sunt; sed per continuam Ecclesiæ traditionem ad nos descenderunt. Quam traditio-

nem dum ipsi contemnunt, meliore jure nos, quamdiu manifestis Scripturæ testimonijs de contrario non conuincimur, contemptum istum contemnimus.

RESPONDEO II. Apostolum non instituere comparationem inter Christum & Melchisedech ratione hostiæ, & sacrificij, à quo species sacerdotij desumitur, & propter quod Christus propriè secundùm Ordinem Melchisedech dicitur. Quia institutum ipsius erat persuadere, Sacerdotium Aaronicum à Christo esse sublatum. Id quod probat hoc modo: Dauid post 400 annos ab instituto sacerdotio Aaronico promittit Christum, Sacerdotem non secundùm Ordinem Aaronis, sed Melchisedech, qui 400 annis legem & sacerdotium Aaronicum præcessit. Ergo Dauid satis indicat, sacerdotium Aaronicum esse temporaneum, & per Christum abolendum: quia non dixit eum Sacerdotem in æternum secundùm Ordinem Aaronis, sed Melchisedech.

Ad huius autem instituti confirmationem plurimùm proderat ostendere, Melchisedech Aarone fuisse maiorem, vt qui Abrahamo, & Aaroni in lumbis eius benedixerit; fuisse symbolicè sine patre, sine matre, sine genealogia: prout Christus, quà Deus matre, quà homo patre caruit: & est Sacerdos in æternum, qui vnico sacrificio crucis per omnium hominum peccatis perfectissimè satisfecit. Ad hoc autem propositum vel nihil, vel parùm conduxisset comparatio ipsius sacrificij Melchisedech cum sacrificio Christi in pane & vino: quia hoc sacrificium Melchisedech sacrificijs Aaronicis per se nobilius non erat; sed potiùs ratione hostiæ ignobilius.

Item cùm moderni Aduersarij, tanto jam tempore stabilitâ in orbe Religione Christianâ, inueniāt quod contra perfectionē sacrificij crucis opponant, ex eo quòd Missam sacrificium esse dicamus; Iudæi profectò adhuc imperfectè in Religione Christiana instructi, facilè quid inuenire potuissent, quod Paulo, perfectionem Sacerdotij & Sacrificij Christi prædicant, opponerent: & nominatim istud, quo Confessionistæ vtuntur: Tu dicis Christum vnico sacrificio mundum perfectè re-

è redemisse: sed hoc falsum est, si post hoc Christi sacrificium plura ab alijs sæpiùs offerenda sunt.

Vt autem aliqua ratio inueniri possit, propter quam vtiliter etiam hoc sacrificium secundùm Ordinē Melchisedech in Epist. ad Heb. exponi potuisset; non tamen ideò, quia expositum non est, negare illud debemus; neque Apostolum de non satis perfecta instructione accusare: nisi & Christum, & passim alios Apostolos culpare velimus, quòd sæpè omiserint, quæ vtiliter dicere, vel magis explicare potuissent.

Adde quòd ipse Paulus c. 5. à v. 10. satis indicat, se non omnia de sacerdotio Christi secundùm Ordinem Melchisedech explicare, propter eorum quibus scribebat in rebus fidei ruditatem: *Appellatus*, inquit, *à Deo Pontifex juxta Ordinem Melchisedech. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Quid ergo mirum, si hoc mysterium hominibus tam rudibus, quibus *lacte opus erat, non solido cibo*, in Epistola illa non proposuit; cùm posteà, longè lateque propagatâ Ecclesiâ Christi, SS. Patres illud semper tanquam maximum arcanum in secreto seruauerint; & ne Catechumenis quidem, de alijs fidei mysterijs multum instructis, reuelare soluerint? Præsertim cùm hanc Epistolam in Infidelium quoque Iudæorum gratiam scriptam esse constet, quorum ludibrio hoc captui humano tam incredibile mysterium exponendum non erat.

Neque verum est Paulum c. 6. dicere, se Hebræos in hac Epistola ad perfectionem adducere velle, id est, omnia de difficilioribus fidei Christianæ mysterijs perfectè explicare: sed tantùm dicit se, relictis fidei Christianæ primis rudimentis, perfectiora tractaturum. Quam multa verò sunt fidei mysteria, quæ in Epistola ad Hebræos ne attingit quidem, quamuis ea tractandi non defuerit occasio? Itaque quod hac Epistola non expressit, posteà viuâ voce, vt & alia multa, Hebræis exposuit: juxta id quod 2. ad Thes. 2. scribit: *Fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam vestram.*

Ad

Ad illud quod additur, Melchiſedech nullos habuiſſe eiusdem ſecum Ordinis ſucceſſores aut vicarios, dico, non in omnibus & ſingulis ponendam eſſe ſimilitudinem inter eos, quorum comparatio in Scriptura inſtituitur. Et in hac parte Melchiſedech Chriſto ſimilem non fuiſſe ex hoc ipſo colligi poteſt, quòd ipſe non dicatur Sacerdos in æternum, ſicut Chriſtus æternum ſecundùm ipſius Ordinem Sacerdotium habiturus dicitur: de qua re plura in ſeq. Concl.

CONCLVSIO II. Hæc de ſacrificio Miſſæ doctrina neque Teſtamento Chriſti, neque inſtitutioni Euchariſtiæ, neque Sacerdotio, aut Sacrificio cruento in cruce peracto vllam facit iniuriam; ſed his vniuerſis maximè conformis eſt. Probatur I. de Teſtamento Chriſti: Quia certum quidem eſt, nihil illi ſuperordinandũ eſſe; verùm per ſacrificiũ Miſſæ nihil quidquam ſuperordinamus Teſtaméto Chriſti; eò quòd ipſe Corpus & Sanguinem ſuum non tantùm in cibum donauerit; ſed etiam huius ſanctiſſimi Sacramenti conſecrationem & oblationem, in perpetuum ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech, Teſtamento ſuo legauerit, his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Vt ex Apoſtolica traditione antiquiſſimi ſe Patres didiciſſe teſtantur.

Loquimur autem de Miſſa ſecundùm ſubſtantiam, non de omnibus eius ritibus, verbis, & ornamentis, quæ à Sanctis Epiſcopis, & Pontificibus ad Miſſæ decorem, & maieſtatem, atque maiorem in populo venerationem, & deuotionem excitandam addita ſunt. Quamuis Kemnitius per calumniam dicat, nos neruos & ſubſtantiam Miſſæ in hac externa repræſentatione ponere. Quia Miſſæ ſubſtantia in conſecratione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, & Corporis à Sanguine myſtica ſeparatione, oblatione, & ſumptione conſiſtit. Multa autem in Miſſa jam fieri vel dici ſolita adeò non docemus à Chriſto, vel Apoſtolis vſurpata, vt etiam tempora, & Auctores notare ſoleamus, quibus, & per quos ceremoniales Miſſæ partes inſtitutæ ſunt. Et S. Gregor. in Regiſt. lib. 7. c. 65. docet, Apoſtolos per ſola Chriſti verba, additâ oratione Dominicâ, conſecrare ſoluiſſe.

II. Miſſæ

II. Missæ sacrificium non repugnare institutioni Sacramenti probatur: Quia illud Kemnitij argumentum (*Sacramentum extra vsum à Christo institutum in aliam actionem, toto genere diuersam, transferre, ingens est piaculum: Sed Sacramentum & Sacrificium sunt toto genere diuersa: Sacrificium enim est actio, qua nos Deo aliquid reddimus, & offerimus; in Sacramento autem Deus nobiscum agit, prabens & exhibens nobis aliquid. Ergo Cœnam Domini, institutam vt Sacramentum, in actionem Sacrificij transferre piaculum est*) non tantùm nos, sed Confessionem quoque Augustanam oppugnat: Apologia enim concedit, Missam posse dici Sacrificium Eucharisticum; & simul docet, Sacrificium in genere, prout propitiatorium & Eucharisticum comprehendit, *esse ceremoniam, vel opus, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus: Sacramentum verò esse ceremoniam, vel opus in quo Deus nobis exhibet hoc, quod offert annexa ceremonia promissio.* Neque obstat quòd hæc duo inter se diuersa sint: quia eadem Apologia, postquam Eucharistiam Sacramentum esse probauit, subiungit: *Accedit & Sacrificium; sunt enim vnius rei plures fines.* Ergo ex mente Confessionis absurdum non est, eandem Eucharistiam in gratiarum actionem Deo offerri, & simul in cibum animarum nostrarum ab ipso nobis exhiberi.

Probatur III. De Sacerdotio Christi: Quia Missæ sacrificium adeò Sacerdotio illi contrarium non est, vt per hoc sacrificium Christus sit Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech. Ipse enim in illo principalis sacrificans est, quando Sacerdos in eius persona dicit: *Hoc est Corpus meum*, Et, *Hic est Calix Sanguinis mei.* Itaque nullus illi in sacerdotio succedit, sed vices tantùm illius gerunt homines, dum Corpus & Sanguinem eius in sacrificium Deo gratissimum mysticè immolant, & offerunt.

Verum quidem est, Christum hac quoque ratione Sacerdotem æternum dicendum esse, quia sacrificij crucis virtus in æternum durat: non tamen ita propriè Sacerdos in æternum, & quidem secundùm Ordinem, & Ritum Melchisedech dicitur, nisi in æternum (id est, vsque ad finem mundi,

prout vox illa passim in Scriptura sumitur) sacrificium secundùm hunc Ordinem per se, vel per alios offerat. Nam & Conceptionis, Natiuitatis, Circumcisionis, fugæ in Ægyptum, famis, sitis, aliorumque Christi laborum & afflictionum fructus æternus est; nec tamen ideò ista à quoquam æterna vocantur. Atqui hoc Sacrificium, vt ex SS. Patrum interpretatione, quam ipsi ex traditione Apostolica deriuatam testantur, discimus, est sacrificium Corporis & Sanguinis Christi sub panis & vini speciebus: Ergo vt Christus propriè Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech dicatur, per se, vel per alios hoc sacrificium perpetuò offerre debet.

Cui rei consonat, quòd apud Paulum vocatur ἀρχιερεὺς, Summus Sacerdos, qui propriè ad inferiores Sacerdotes ordinem dicit. Ergo sacerdotium propter sacrificium Missæ institutum sacerdotio Christi non repugnat, sed illi subordinatum est.

Probatur IV. de sacrificio Crucis, in quo maximam vim Aduersarij ponunt. Quia quamuis per vnicum hoc sacrificium, quoad efficaciam, pro totius mundi peccatis satisfactum sit, alia tamen media nobis reliquit Christus, quibus efficacia illa applicanda est. Vt ergo per Sacramenta nihil derogatur infinito sacrificij crucis merito, quando per illa gratia Dei hominibus confertur (quia Sacramenta omnem vim & efficaciam suam ex Sacrificio crucis hauriunt) ita per sacrificium Missæ, in quo est eadem hostia, & idem principalis offerens, qui in Sacrificio Crucis fuit, nihil quidquam sacrificio isti derogatur; sed, secundùm diuinæ ordinationis mensuram, ex infinita Sacrificij Crucis efficacia pars aliqua hominibus applicatur. Itaque, vt exemplo S. Augustini vtar, sicut poculum ad comparandam sanitatẽ à Medico paratum, in se quidem ad efficiendam sanitatem sufficiens est, nulli tamen prodest, nisi bibatur; & dum bibitur, contumelia illi non fit, quasi per se ad producendam sanitatem efficax non fuerit; sed efficacia ipsius applicatur, & manifestatur; ita Sacrificij

Digitized by Google

crificij Crucis virtus infinita & inexhausta est, neque aliud vllum sacrificium ad hoc requiritur, vt pro totius mundi peccatis medicina sufficientissima paretur. Sed per sacrificium Missæ fit huius medicinæ applicatio aliqua, dum in illo Deus mouetur, vt per passionis Christi repræsentationem, & hostiæ eiusdem quæ in cruce oblata fuit incruentam immolationē, ex ipsius sacrificij crucis merito dona gratiæ suæ concedat, quibus homo à peccato conuertatur, vel in bono perseueret & crescat. &c.

OBIICIES I. Apostolus in Epistola ad Hebræos passim docet, Vnicum esse sacrificium propitiatorium, quo Christus semel oblato æternam redemptionem inuenerit, & omnes omnium temporum homines sanctificare possit. Ergo aliud sacrificium propitiatorium fingere in sacrificium crucis contumeliosum est.

RESPONDET præter alios S. Chrysostomus, Hom. 17. in Epist. ad Heb. *Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem; sed recordationem facientes mortis eius: & vna est hæc hostia, non multa. Quomodo vna est, & non multa? Quia semel oblata est: oblata est in sancta sanctorum; hoc autem sacrificium exemplar est illius: idipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium Agnum, crastinâ alium; sed semper eundem ipsum. Proinde vnum est hoc sacrificium: alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam: sed vnus vbique est Christus, & hîc plenus existens, & illîc plenus, vnum corpus, &c. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit; ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum est: Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem.*

Ex quibus verbis duæ rationes colliguntur, ob quas sacrificium Missæ in sacrificium Crucis contumeliosum non est. I. Quia nec ratione hostiæ, nec ratione principalis offerentis diuersum est à sacrificio Crucis; sed tantùm ratione offerentis secundarij, & modi offerendi. II. Quia sacrificium Missæ in honorē & cōmemorationē sacrificij crucis offertur.

His addi poteſt tertia ratio: Quia quamuis ſacrificium crucis eſt perfectiſſimum redemptionis noſtræ pretium, ea tamen media, per quæ pretium illud nobis applicatur, in ſacrificium crucis contumelioſa dici non poſſunt: vt partim ex dictis conſtat: partim ex illo 2. Cor. 5. probatur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum. Et poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Ex quibus verbis ſequitur, Deum quidem per Chriſti mortem mundum ſibi quoad efficaciam conciliaſſe; ad conciliationis tamen effectum conſequendum Apoſtolis verbum reconciliationis datum eſſe.

Imò ſi Aduerſarij in hoc negotio aliquid pro ſe concluderent, ſequeretur Chriſtum jam in cælis non interpellare pro nobis; quod tamen Apoſtolus Heb. 7. 25. affirmat, inquiens: *Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et c. 9. 24. *Non in manufacta Sancta Ieſus introiuit: ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Quid eſt autem aliud, Chriſtum ſemper viuere ad interpellandum pro nobis, & apparere vultui Dei pro nobis, quàm ſemetipſum tanquam hoſtiam, ante in cruce cruento modo oblatam, Patri ſuo offerre, exhibere, & præſentare? Tametſi verò hæc oblatio, quæ in cælis fit, non ſit propriè dictum ſacrificium; efficaciter tamen virtutem eius ſacrificij applicat, quod in cruce peccatum eſt. Sicut ergo Chriſtus quamuis ſemel pro peccatis noſtris cruento modo oblatus, ſufficientiſſimè pro nobis interpellauerit, adhuc tamẽ in cœlo ſemper interpellat pro nobis, & beneficia, quæ cruento ſacrificio promeruit, efficaciter applicat; ita ſacrificio cruento nihil derogat, ſed infinitam potiùs virtutem eius nobis commendat, quòd ex Chriſti inſtitutione eam hoſtiam, quæ in cruce immolata fuit, Deo in ſacrificio Miſſæ offeramus, vt ipſius gratiam impetremus, & pœnas pro peccatis noſtris debitas mitigemus. Diuerſâ tamen ratione: quia gratiam juſtificantem per ſolum Miſſæ ſacrificium immediatè nemo impetrat;

Digitized by Google

impetrat; sed auxilia gratiæ, quibus benè vtens pœnitentiam agat, & ita remissionem peccatorum acquirat. Pœnæ autem mitigationem etiam sine sua cooperatione per Missam consequi quis potest: Vt exemplo defunctorum patet, qui quamuis extra statum merendi sint, nec alia illis media salutis applicari possint (vtputa Sacramenta, aut Verbi prædicatio) sacrificijs tamen, precibus, & bonis justorum operibus subleuantur, teste S. Augustino tum alibi, tum Enchir. c. 110. *Negandũ*, inquit, *non est, defunctorum animas pietate viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt.*

Notandum nihilominùs est, tam in auxilijs gratiæ, quàm in pœnæ remissione (sicut & in ipsa justificatione, dono perseuerantiæ, & glorificatione) sacrificium crucis per se, & sua virtute operari; sacrificium autem Missæ effectus suos in virtute sacrificij cruenti conferre. Hoc enim sacrificium, vt & Sacramenta, Prædicatio Verbi, &c. sunt instrumenta, quibus infinita vis passionis Christi, diuerso tamen modo, nobis applicatur. Per Sacramenta quippe immediatè; per prædicationem Verbi, orationes fidelium mediatè. Quod ipse Caluinus in Cap. 9. Matt. apud Marloratum his verbis docet: *Adultos, quos propria deficit fides, siue extranei sint, siue sanguine coniuncti, quoad æternam animæ salutem aliena fides non nisi mediatè iuuat. Nam quia profectu non carent preces, quibus à Deo petimus, vt incredulos ad pœnitentiam conuertat, hinc patet, fidem illis nostram prodesse, eousque tamen, vt ad salutem non perueniant, donec illis impetrata fuerit eiusdem fidei societas.*

Vt ergo preces, quas Christiani in hac vita degentes pro inuicem fundunt, non sunt contumeliosæ in orationem Christi, qua ipse nobis remissionem peccatorum quoad sufficientiam perfectè impetrauit; quia per orationes hominum virtus orationis Christi certis personis applicatur, & orationes hominum virtute orationis & meritorum Christi efficaces sunt; ita quia per sacrificium Missæ ex virtute sacrificij crucis participamus, & in hac ipsa participatione sacrificium crucis per inexhaustam efficaciam suam operatur; per meram calum-

Digitized by Google

niam dicitur, sacrificium Missæ in sacrificium crucis contumeliosum esse.

OBIICIES II. cum Kemnitio: Verum quidem est, redemptionem & peccatorum remissionem, quam Christus vnica oblatione consummatè meruit, nobis non prodesse, nisi applicetur; sed Scriptura non dicit, applicationem illam per nouam oblationem pro peccatis fieri posse; sed alia media diuinitùs instituta proponit: videlicet prædicationem Verbi, Sacramenta, & Fidem. Et Apostolus affirmat, esse signum imperfectionis, quando eadem hostia sæpiùs, & per plures Sacerdotes pro peccatis offertur: Heb. 10. 1. *Per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest* (Lex) *accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri.*

RESPONNDEO I. Si ista media, per quæ virtus Sacrificii crucis applicatur, nihil de eius efficacia minuunt; etiam Sacrificium Missæ de dignitate & efficacia Sacrificii crucis nihil detraher. Quia ipsam applicationem hanc cruento Sacrificio tribuimus, cum Apostolo loc. cit. v. 10. *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi semel.* 1. Ioan. 1. 7. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato, &c.* Quamuis enim applicatio per alia instrumenta fiat; ex virtute tamen Passionis Christi fit. Neque obstat, quod per Sacramenta hæc virtus homini ritè disposito immediatè applicetur, per Sacrificium Missæ mediantibus auxiliis gratiæ, quæ per illud certis personis, etiam magnis non rarò peccatoribus, impetrantur. Quia prædicatio Verbi, & oratio proximorum non immediatè iustificant homines; & tamen à Confessionistis inter media, quibus iustificatio ex virtute Passionis Christi applicatur, referuntur. Distinguendum proinde est inter media iustificationis proxima, & remota; & vtrorumque efficacia virtuti Passionis Christi adscribenda.

RESPONDEO II. Vt Apostolus maximam Sacrificij crucis perfectionem in eo ponit, quòd per illud vnicum nunquam repetitum pro totius mundi peccatis satisfactum sit; ita alia sacrificia, quæ sæpiùs offeruntur, ratione effectus sui tam

perfecta

Digitized by Google

perfecta non esse fatemur. Proindeque nec sacrificium Missæ eandem cum sacrificio crucis efficaciam habere dicimus. Alioqui vel sacrificium Missæ sæpiùs repeti non deberet; vel vt loquitur Apostolus, Heb. 9. 26. *Oportebat Christum frequenter pati ab origine mundi.* Offertur autem eadem hostia sæpiùs in Missa quæ in cruce semel oblata fuit, non quasi illa imperfectè pro peccatis nostris satisfecerit; sed quòd per hanc incruentam oblationem in quotidianis necessitatibus nostris hostiæ cruentæ virtus nobis applicetur, vt sæpè dictum est. Sicut applicatur per continuam oblationem, qua Christus in cœlo interpellat pro nobis, & per illam nihil aufertur de virtute interpellationis in cruce factæ; sed per huius continuam commemorationem, & hostiæ olim cruentæ, nunc autem gloriosæ exhibitionem, applicatur nobis virtus illa, quam in Cruce promeruit Christus.

Quando ergo Apostolus ad Heb. 10. 18. dicit: *Vbi est remissio peccatorum, iam non est oblatio pro peccato*, de ea oblatione intelligendus est, qua, tanquam perfecto pretio, pro peccatis Deo satisfiat: Vbi enim iam perfectè satisfactum est, ibi vlteriore satisfactione non est opus. Vt tamen Confessionistæ fatentur, satisfactio illa, vt prosit, applicanda nobis est: & quia sæpiùs hac applicatione indigemus, Christus varia media instituit, quibus totâ vitâ nostrâ cruenti sacrificij virtus nobis communicetur: atque inter ea sacrificium Missæ, in quo non tam homo, quàm Christus, Corpus & Sanguinem suum incruento modo Patri offerens, interpellat pro nobis, vt eiusdem hostiæ, in cruce semel immolatæ, infinitum pretium nobis per congrua media applicetur.

QVAESTIO II.

Vtrùm Catholici doceant, Christum in cruce pro solo peccato Originis satisfecisse, Missam autem pro quotidianis peccatis offerendam?

DE hac re ita loquitur Confessio: *Accessit opinio, quæ auxit priuatas Missas in infinitum; videlicet quòd Christus passione sua*

ſua ſatisfecerit pro peccato Originis (in germanico dicitur, *tantùm pro peccato Originis*) *& inſtituerit Miſſam, in qua fiat oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manauit publica opinio, quòd Miſſa ſit opus delens peccata viuorum, & mortuorum ex opere operato.*

Itaque vtrumque hoc non priuatis quibusdam Doctoribus, ſed communiter Eccleſiæ noſtræ tribuit. Qui enim vnum ex altero deducit, ille vtrumque defendit: ſed Catholicos ex eo, quòd Chriſtus pro peccato tantùm Originali ſatisfecerit, deducere dicit, Miſſam ex opere operato pro alijs peccatis ſatisfacere: Ergo vtrumque communiter à nobis defendi aſſerit. Sed de poſteriore ex dictis patet, non eſſe illud ex doctrina noſtra deſumptum, ſed à Confeſſionis Architecto confictum. De poſteriore ſit

CONCLVSIO: Neque Catholici communiter, neque Scholaſtici vlli docent, Chriſtum per paſſionem ſuam pro peccato tantùm originali, non etiam pro actualibus ſatisfeciſſe. Probatur I. pars: Quia quando Catholici docent, Chriſtum per mortem ſuam nos ab illo peccato redemiſſe, in quod per Adamum præcipitati ſumus; non excludunt alia peccata, propriâ ſingulorum voluntate commiſſa, ſed vniuerſalem & omnibus hominibus communem redemptionem memorant: quæ eſt omnium hominum è ſtatu, in quem à primo Parente deducti ſunt, in ſtatum juſtitiæ per ſufficientiam reſtitutio. Vbi expreſſam peccatorum actualium mentionem non faciunt: quia illa non ſunt omnibus communia. In hac tamen doctrina peccata actualia etiam implicitè inuoluuntur: quia in illa per primi Parentis peccatum, mediante videlicet concupiſcentiâ, & carentiâ gratiæ, labuntur homines.

Eadẽ ratio eſt, ob quam Conciliũ Trid. Seſſ. 6. c. 7. de hominibus juſtificandis in genere agens, tantùm peccati originalis expreſsè meminit. Et cap. 4. juſtificationem hoc modo deſcribit: *Quòd ſit translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Sed hæc eſt primæ, & omnibus

omnibus hominibus communis justificationis descriptio. Quòd autem à peccatis quoque actualibus post primam justificationem lapsi ex merito passionis Christi liberentur, docet idem Concilium, tum alibi, tum ibidem c. 14. his verbis: *Qui verò ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cùm excitante Deo, per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint.*

Quòd si autem ideò fortè Catholici sentire putandi sunt, Christum pro actualibus peccatis non satisfecisse, quia ad illorum remissionem præter alia media etiam sacrificium Missæ adhibetur; nequidem pro peccato Originali Christum satisfecisse sentirent. Nam neque illud sine medio Baptismi remitti asserunt cum Concil. Trid. cit. cap. 4. vbi docet, translationem à statu filij Adæ in statum gratiæ *post Euangelium promulgatum sine lauacro Regenerationis, aut eius voto fieri non posse.*

Probatur II. pars, ex S. Thoma Scholasticorum Principe, qui 3. parte q. 49. vbi de effectibus passionis Christi ex professo agit, art. 1. docet, *per passionem Christi homines à quolibet peccato liberari*: Art. 2. *Liberari à potestate diaboli*: art. 3. *A reatu pœnæ*: art. 4. *Reconciliari Deo*, post lapsum videlicet. art. 5. *Per eandem nobis cœli ianuam aperiri.* Item art. 1. ad 4. docet, omnia Sacramenta habere efficaciam suam ex passione Christi: Ergo peccata actualia, quæ in Sacramento pœnitentiæ remittuntur, virtute passionis Christi remittuntur. *Dicendum est,* inquit, *quòd quia passio Christi præcessit, vt causa quædam vniuersalis remissionis peccatorum, necesse est, quòd singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum. Hoc autem fit per Baptismum, & Pœnitentiam, & alia Sacramenta, quæ habent virtutem ex passione Christi, vt infra patebit.* Et ostendant Confessionistæ vel vnicum Scholasticum, qui docuerit, Christum pro peccato originali ita satisfecisse, vt eius satisfactio ad peccata actualia se non extendat. Nemo certè tam rudis est, qui nesciat Christum etiam pro peccato Adami passum esse, quod Adamo non originale, sed actuale fuit.

Itaque omnibus istis, quæ superiore quæstione hoc fine

dicta sunt, vt Missam sacrificio crucis non repugnare probaretur, supersedere jure potuissem: quandoquidem hanc potissimam sui asserti rationem falsam adducit Confessio: *De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiãt à Scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel, &c.* Nemo enim Catholicorum contrarium defendit

Neque verò secunda ratio vel magis efficax est, vel maiore veritate nititur: *Item Scriptura*, inquit, *docet, nos coram Deo justificari per fidem in Christum. Iam si Missa delet peccata viuorum & mortuorum ex opere operato; contingit justificatio ex opere Missarum, non ex fide.* Quis enim Catholicorum somniauit, homines ex opere Missarum ita justificari, vt sine fide, pœnitentia, & alijs boniscordis motibus justificentur?

Ad mortuos quod attinet, negamus ipsos justificari; & tantùm asserimus, per sacrificium Missæ pœnas post hanc vitam luendas mitigari, & abbreuiari. De qua re S. Augustinus Serm. 34. de verbis Apostoli: *Nam omnino ambigendum non est, ista* (sacrificium, & opera misericordiæ) *prodesse defunctis: sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, vt possint eis hac vtilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, eiusque Sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius dum hic essent pignore caruerunt.*

QVAESTIO III.

Vtrùm SS. Patribus ante tempora Gregorij Magni Missarum priuatarum vsus omnino ignotus fuerit, vt Confessio asserit?

TAmetsi nulla Missa propriè priuata dici debet; quia omnes Missæ à publico Ecclesiæ Ministro, pro publica omnium fidelium salute Deo offeruntur; nihilominùs quædam Missæ propter varias circumstantias priuatæ dici solent: vel

Digitized by Google

vel quia in priuato loco, siue oratorio celebrantur; vel quia pro aliquo particulari homine, aut negotio; vel quia in illis solus Sacerdos Corpus & Sanguinem Domini sumit. Quamquam olim publica Missa appellata non fuit, in qua plures communicabant; sed in qua frequens populus aderat, siue communicaret, siue non. Nam ipse Gregorius lib. 4. Epist. 43. de publica Missa hac significatione agit, quando in monasterio quodam publicas Missas fieri prohibet, *ne in secessibus seruorum Dei fiant conuentus populares.*

RESPONDEO nihilominùs, Missas priuatas ratione loci priuati, & certæ personæ, negotijq́;, ac solius Sacerdotis communicantis ante tempora Gregorij Magni Patribus inusitatas non fuisse. Probatur I. Exemplo ex S. Augustino lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8. supra recitato, in quo testatur quendam ex Presbyteris suis in domo priuata, ad illam à dæmonum vexatione liberandam, sacrificium Missæ celebrasse.

II. Ex eiusdem lib. 9. Confess. c. 12. vbi de Matre sua defuncta ait: *Cùm offerretur pro ea sacrificiū pretij nostri, jam juxta sepulchrum posito cadauere. &c.*

III. Socrates hist. trip. lib. 9. c. 8. dicit: *Tum igitur Gregorius Nazianzenus, communi decreto multorum Episcoporum in Constantinopolim transmutatus, intra ciuitatem paruo oratorio sacra celebrabat. Cui loco posteà Principis Basilicam maximam copulantes, eam vocauerunt Anastasiam.*

IV. Eusebius lib. 4. de vita Constant. c. 45. *Intereà,* inquit, *Sacerdotes & precibus & disputationibus hanc celebritatem ornabant. Iam alij diuini Regis præclaram in Seruatorem benignitatem prædicabant: simul etiam oratione persequebantur summam sacræ Martyrum ædis magnificentiam, &c. Alij sacras lectiones interpretantes abditos & occultos sensus in lucem proferebant. Alij, qui horum nihil poterant efficere, incruentis sacrificijs, & mysticis consecrationibus diuinum numen placabant, & supplices Deo preces pro communi pace, pro Ecclesia Dei, ipsoq́ue Imperatore harum præclarissimarum rerum auctore, preq́ue eius Deo charis Liberis offerebant.* Non est autem dubium, quin per incruenta sacrificia & my-

sticas consecrationes sacrificia Missæ intelligenda sint. Nam Confessio August. ex Lib. 9. hist. trip. c. 38. hæc verba recitans: *Omnia fiunt, præter solennem oblationis morem*, Missam significari dicit. Atqui verba Eusebij multo clariùs de Missa agunt: Ergo ex illo habemus, tempore Constantini Imp. Missas vt incruenta sacrificia Deo offerri solitas, & in illis preces fundi pro pace, pro Ecclesia, pro Imperatore, & eius Liberis, alijsque tum publicis, tum priuatis negotijs. Ergo Missæ hac ratione priuatæ trecentis ante Gregoriũ annis in vsu fuerunt.

V. Leontius de S. Ioanne Eleemosynario scribit, cùm populum lecto sub Missam Euangelio egredi aduerteret, dixisse: *Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam: nam poteram mihi facere Missas in Episcopio.*

VI. Soter plus quadringentis annis Gregorio antiquior (rexit enim Ecclesiam circa Annum Dom. 176. Gregorius circa 615) hoc tantùm decernit, ne quisquam Presbyterorum Missarum solennia nisi duobus præsentibus, & sibi respondentibus celebret. Non ait, communicantibus; sed tantùm, præsentibus.

VII. Concilium Agathense circa annum 438. in Gallia celebratum, Can. 32. ita decernit: *Missas die Dominico Secularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* Et Can. 28. de communione Laicorum nihil aliud statuit, quàm vt saltem ter in anno, videlicet in Paschæ, Natalis Domini, & Pentecostes festiuitatibus omnes communicent. Ergo singulis diebus Dominicis Missæ interesse, non communicare, jubebantur. Et consequenter ex antiquæ Ecclesiæ sententia vtiliter quis Missam audire potest, quamuis non communicet.

VIII. S. Augustinus Epist. 23. ad Bonifacium dicit: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso; & tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solennitates; sed omni die populis immolatur: nec vtique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari?* Et tamen alibi quotidianam

populi

populi communionem non probat; sed magis sibi placere dicit, vt diebus Dominicis fideles communicent. Ergo signum est, multas illo tempore Missas celebrari solitas, in quibus nemo præter Sacerdotem communicaret.

Id quod ex S. Chrysostomo confirmatur, qui quamuis seuerissimè sub Missa non comunicantes castigat; Hom. 3. in c. 1. Epist. ad Ephes. ait: *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare; nemo est qui participet.* Ergo quotidie offerre non desinebat; quamuis nemo communicaret. Frustra autem offerri dicit; quia populus ex magna desidia, & rerum cœlestium negligentia à communione abstinebat, & spiritualem refectionem parui faciebat. Nam sacrificium Missæ etiam non communicantibus prodesse passim docet, quando Missam pro defunctis vtiliter offerri posse dicit. Item quando Hom. 3. de incomp. nat. Dei auditores suos reprehendit, quòd finitâ Concione recederent, & sacrificio non interessent; cùm tamen sciret plurimos communicare non solere.

OBIICIES: Missæ priuatæ pugnant I. cum institutione Christi: quia ipse non spectantibus tantùm Discipulis Eucharistiam consecrauit, & sumpsit; sed distribuit, & à Discipulis suis manducari voluit; atque deinceps hoc totum in sui commemorationem fieri mandauit. Vnde & Paulus vehementer reprehendit eos, qui Cœnam Dominicam priuatim, non expectatis & simul sumentibus alijs, sumebant, 1. Cor. 11.

II. Pugnat cum praxi veteris Ecclesiæ, quæ Apostolorum exemplum secuta in celebratione Cœnæ Dominicæ dispensationem, & distributionem Sacramenti semper seruauit.

III. Pugnat cum antiquis Canonibus: quia Canon Apostolorum X. ita statuit: *Omnes fideles, qui conueniunt in solennibus sacris ad Ecclesiam, Scripturas audiant; qui verò non permanserint in oratione vsque dum Missa peragitur, nec sanctam Communionem percipiunt, velut perturbationes Ecclesiæ mouentes, conuenit communione priuari.* Et, De Consec. Dist. 2. cap. Peracta ita habetur: *Peractâ consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.*

Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.

IV. Pugnat cum sententia antiquorum Patrum, inter quos Chrysostomus Hom. 3. in c. 1. ad Ephes. ait: *Quisquis mysteriorum consors non est, impudens & improbus adstat.* Item, *Si quis ad conuiuium vocatus, manus quidem lauerit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum gustauerit; nonne infert contumeliam conuiuatori, à quo fuerat vocatus? An non satius est eum, qui talis est, prorsus non comparuisse?*

RESPONDEO I. Christum in prima huius Sacramenti institutione voluisse totum S. Eucharistiæ scopum ostendere, & fructum communicare. Duplici enim fine instituta est Eucharistia; videlicet vt ipsa consecretur, & Deo pro populi Christiani bono offeratur; & vt eidem populo in refectionem spiritualem distribuatur. Quia verò neque inuitis, neque indignis Eucharistia tradi debet, & homines non semper ad eam sumendam parati sunt; nusquam præcepit Christus, ne Sacerdos, si nemo de populo communicare velit, sacram Eucharistiam offerat, & manducet. Itaq; præcepit quidem Christus, vt in Ecclesia deinceps fieret quod ipse fecit; sed quia non semper omnia faciendi occasio est, præceptum Christi non obligat, vt omnia simul quæ ipse fecit semper fiant: sed pro opportunitate populi, Eucharistiam sibi porrigi petentis. Et si semper omnia facienda sunt, quæ Christum in vltima Cœna fecisse legimus; nihil quoque in sententia Aduersariorum facere licebit, quod ipsum fecisse non legimus. Sed non legimus ipsum Sacramentum hoc sumpsisse, vt Kemnitius notat: Ergo malè faceret Sacerdos, dum ipse sacram Eucharistiam in Missa à se consecratam sumit: quod tamen semper in Ecclesia factum est. Nam Concilium Tolet. XII. can. 5. grauissimè reprehensis iis, qui sæpiùs in die sacrificantes in vltimo tantùm sacrificio communicabant, ita statuit: *Quicumque Sacerdotum deinceps diuino altari sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuauit, gratia communionis anno vno repulsum se nouerit.* Et hoc Confessionistarum quoque praxis obseruat; vt ex his

Con-

Digitized by Google

Confessionis variatæ verbis constat: *Est autem instituta vna communis Missa iuxta Christi ordinationem, in qua Pastores Ecclesiarum consecrant, sumunt, & porrigunt alijs Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi.*

Ad locum Pauli dico, ipsum agere contra eos, qui neglectis pauperibus ante ipsos cœnam simul communem, & Dominicam sumebant. In primitiua enim Ecclesia Christiani, ad imitationem Christi, dum communicandi gratiâ conuenissent, cōuiuium aliquod diuitibus & pauperibus commune instruebant: quod prætereà Agapen, quia charitatis Christianæ symbolum erat, antiqui appellârunt. Crescente verò fidelium numero, & decrescente charitate, quidam ditiores præuenire pauperes cœperunt, & ipsi se, exclusis pauperibus, lautè reficere. Atque hoc est quod taxat Apostolus à v. 20. inquiens: *Conuenientibus vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare: vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit; alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Itaque illius cœnæ abusum reprehendit, quam etiam domi sumere potuissent: tum quia intemperanter eam sumebant, etiam ad ebrietatem vsque; tum quia pauperes excludendo eos contemnebant, confundebant, & esurire patiebantur. Hoc autem ad præsens institutum nihil facit, quia tales cœnæ non sunt ampliùs in vsu. Et quamuis vnus hodiè ante alium communicet, nullum tamen contemnit, à communione impedit, multo minùs excludit. Sed optat Ecclesia omnes, qui Missas audiunt, frequenter etiam communicare, vt Concilium Trid, sess. 22. cap. 6. & can. 8. docet.

RESPONDEO II. In antiqua Ecclesia, cùm maior esset Christianorum feruor, frequentiorem populi communionem esse consueuisse. Et vt populum Clerus exemplo præiret, atque ad communicandum instigaret, Presbyteros, & Diaconos, vno aliquo, siue Episcopo, siue Presbytero sacrificante, communicare soluisse. Nihilominùs quandoque Missas

Missas celebratas esse, in quibus præter Sacerdotem nemo sacramentaliter communicaret, exempla & testimonia in Conclusione recitata satis declarant.

RESPONDEO III. In allegatis Canonibus non reprehendi Sacerdotes, qui nemine communicare volente sacrificant; sed alios fideles à communione abstinentes. Iam verò istorum, sicut & multorum aliorum Canonum rigor, ob populi Christiani imbecillitatem, remissus est. Quanquam Canon, *Peracta*, non de populo loquitur, sed de Clero, qui solennioribus festis sacrificanti assistebat. Ita enim habet Anacletus in Epistola, ex qua Canon iste sumptus est: *Episcopi quando Domino sacrificant non soli hoc agere debent; sed testes secum adhibeant, vt Domino perfectè in sacratis Deo locis sacrificare probentur. Deinde Episcopus Domino sacrificans testes, vt præfixum est, secum habeat; & plures quàm alius Sacerdos. In solennioribus quippe diebus aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos, ac reliquos ministros secum habeat: qui sacris induti vestimentis, in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextera, leuaque contrito corde & humiliato spiritu, ac prono stent vultu: custodientes eum à maleuolis hominibus, & consensum præbeant eius sacrificio. Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. &c.*

RESPONDEO IV. Nec S. Chrysostomum agere contra Sacerdotes, qui nullo communicare volente sacrificant; sed contra populum, per ignauiam & torporem oblato cibo cœlesti vti negligentem. Inuehitur ergo tantùm in mensæ Dominicæ contemptum, vt comparatio, qua vtitur, demonstrat: Qui enim lotis manibus alicuius mensæ accumbit, & nihil appositorum ciborum degustat; ille cibos, & ipsum conuiuatorem suum contemnere censetur. Atque idem judicium formandum est de illo, qui per ignauiam, & rerum cœlestium nauseam à Sacramento abstinet.

Quòd autem Missæ sacrificio vtiliter quis interesse possit, quamuis legitima ex causa non communicet; vel ex illis colligitur, quæ ante dicta sunt. Cur enim non communican-

tes

Digitized by Google

tes nihil vtilitatis percipiant, dum deuotè sacrificio Missæ intersunt, si ipsi defuncti, qui communicare ampliùs non possunt, multum commodi ex huius sacrificij oblatione percipiunt; quod cum alijs Patribus S. Chrysostomus sæpè docet? Porro non dicimus solam Missæ auscultationem & spectaculum prodesse ijs, qui intersunt, & non communicant; sed ijs, qui Sacerdoti comprecantur, & mortis Dominicæ grato animo recordantur, aut ea quæ in Missa fiunt deuotè contemplantur, mentem in Deo fixam habentes.

QVAESTIO IV.

Vtrùm Missa necessariò linguâ populo intellectâ peragenda sit?

RESPONDEO, Sacrificium Missæ in vniuersa Ecclesia occidentali linguâ latinâ, quamuis eam totus populus non intelligat, rectè celebrari. Probatur I. Quia Missa, quà talis, cùm sit sacrificium, quod Deo pro communi & priuata populi salute offertur; non est opus vt à populo pro quo offertur intelligatur: vt & oratio Sacerdotis pro populo non necessariò debet ab illo intelligi, vt sit efficax: quia non ad populum, sed ad Deum refertur. Nam sacrificium Missæ est oratio quædam realis, & in eo multæ quoque orationes verbales pro viuis & defunctis recitantur.

II. Multo efficaciùs instruitur populus per linguæ non intellectæ interpretationem, quàm per linguæ, verbotenus quidem intellectæ, sensu tamen obscuræ, lectionem. Quin autem plurima in Missis recitari solita obscurum sensum habeant, quamuis verba intelligantur, nemo negare potest. Cùm ergo per catechismos, & conciones, nec non libellos, vulgatâ linguâ editos, populus Catholicus doceatur, quid in Missæ sacrificio fiat; nihilo minus de illo cognoscit, quàm si vulgatâ linguâ perageretur.

III. Vt populi deuotio excitetur sufficit, quòd generaliter intelligat in Missa offerri Corpus & Sanguinem Christi,

& pro totius Ecclesiæ necessitatibus orari. Nam & in antiqua lege fructuosè Deum sacrificiis honorabunt; quamuis expressè non cognoscerent, quid sacrificiis illis significaretur. De quibus S. Augustinus Lib. 3. de doctr. Christ. c. 9. ait: *Qui autem non intelligit quid significet signum, & tamen signum esse intelligit; nec ipse premitur seruitute.* Et Matthæus c. 21. narrat, pueros Christo in templo acclamasse: *Hosanna Filio Dauid.* Quæ acclamatio ipsi adeò placuit, vt dixerit, ex ore infantium & lactentium laudem se suam perfecisse. Sed manifestū est infantes & lactentes non intellexisse, quid verba ista, quæ inspirante Deo acclamabant, significarent. Ergo Deo grata quoque laus est, quando quis eum deuota mente celebrat, etiamsi singula quæ loquitur non intelligat. Quid ni ergo & hoc gratum sit, si quis Missæ sacrificio deuotè assistat, quamuis ea quæ dicuntur speciatim non percipiat.

IV. Apostolis donum linguarum ideò collatum est, vt ipsi omnes omnium locorum gentes in doctrina Euangelica instituere possent. Nihilominùs ne in Euangeliis quidem suis, & Epistolis, quamuis diuersarum gentium gratiâ scriberent, dono isto vsi sunt; sed vno genere linguæ scripserunt. Imò Epistolas, ad certum locum destinatas, tali sermonis formâ composuerunt, vt singuli de populo eas sine interprete intelligere non potuerint. Constat enim Græcos tam diuersis dialectis vsos, vt homines rudiores inuicem intelligere non potuerint. Cùm ergo Paulus, v. g. Romanis scribens, qui ex omni non tantùm Græciæ, sed etiam Italiæ partibus, quibus lingua græca vulgaris non erat, conuenerant, vno idiomate græco vsus sit; sufficere putauit, Maiores & Presbyteros Epistolam illam intelligere, & aliis explicare posse. Et tamen Epistola illa ad erudiendum populum conscripta fuit. Quid ergo absurdi est, si sacrificium Missæ, quod non ad populum, sed ad Deum dirigitur, non vulgatâ & populo notâ linguâ celebretur? Certè Apostolus 1. Cor. 14. 2. dicit: *Qui loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo.* Ergo Deo loqui quis potest ignotâ populo linguâ, quando non ad erudiendum populum,

lum, ſed ad intercedendum pro illo loquitur. Sicut orare quis pro abſentibus, & etiam inuitis poteſt, vt pro infidelibus, & talis oratio ſæpè illi, pro quo oratur, valdè fructuoſa eſt. Nam communiter docent, S. Stephanum pro Paulo lapidationi eius conſentiente, & lapidantium veſtes cuſtodiente, orantem, primam illi vocationem impetraſſe.

V. Si Miſſæ & alia diuina officia vulgari linguâ celebrarentur, maxima orirentur incommoda. Nemo enim peregrinæ linguæ ignarus apud exteros diuinis officiis intereſſe poſſet: nemo, niſi in ſua patria, aut niſi exteras quoque linguas callens, diuina officia celebrare. Quin imò quia eiuſdem linguæ tam diuerſæ dialecti ſunt, vt homines inuicem non intelligant (nam Heluetii, v. g. Weſtphali, Bataui, omnes germani ſunt; & tamen harum gentium populi vix magis inuicem intelligunt, quàm Hiſpani Germanos, aut Itali Polonos) toties mutanda eſſet Miſsæ, & aliorum diuinorum officiorum forma, quoties in eodem regno eiuſdem linguæ radicalis idiomata variantur. Ex qua variatione quanta oritura eſſet confuſio, quanta paulatim Miniſtrorum Eccleſiæ ignorantia, facilè quilibet judicare poteſt.

Denique, vt alia omittam, Confeſſioniſtæ nos reprehendere non poſſunt, quòd Miſſam latinè celebremus, niſi Confeſſionem ſuam Originalem ſimul reprehendere velint. Ipſa enim adeò non damnat latinæ linguæ in Miſſa vſum, vt eum ſe ſeruare profiteatur; licet quibusdam locis ad inſtructionem populi germanicas cantiones latinis immiſceri dicat: *Retinetur*, inquit, *Miſſa apud nos, & ſummâ reuerentiâ celebratur: ſeruantur & vſitatæ ceremoniæ ferè omnes; præterquàm quòd latinis cantionibus admiſcentur alicubi germanicæ, quæ additæ ſunt ad docendum populum.* Si verò nihil aliud in Miſſa mutarent, nihil ipſis reluctaremur: quia in multis quoque locis Catholicis germanicæ quandoque cantiones latinis ſub Miſſæ ſacrificio admiſcentur, & à populo decantantur.

OBIICIES: Paulus 1. Cor. 14. vbi ex profeſſo hanc quæſtionem multis in vtramque partem tractat, oſtendit, le-

ctiones Scripturæ, explanationes, publicas preces, hymnos, psalmos, benedictiones, gratiarum actiones vulgari, & populo notâ linguâ celebranda esse: eò quod omnia in publicis conuentibus ad ædificationem fieri debeant. Et hic mos longo tempore in Ecclesia seruatus est. Adeò vt innocentius III. circa Annum Dom. 1200. in Concilio generali hoc decretum tulerit: *Quoniam in pleruque partibus intra eandem ciuitatem, atque diœcesin permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus ac mores; districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi ciuitatum, siue diœcesium prouideant viros idoneos, qui secundùm diuersitates rituum, & linguarum diuina illis officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo.*

Et Æneas Syluius in Hist. Bohem. c. 13. de Cyrillo Morauorum Præsule, qui circa annum 900. vixit, hoc modo scribit: *Ferunt Cyrillum, cùm Romæ ageret, Pontifici supplicasse, vt Sclauorum linguâ, eius gentis hominibus rem diuinam faciens, vti posset. De qua re dum in sacro Senatu disputaretur, essentque non pauci contradictores, auditam vocem tanquam de cœlo in hæc verba missam: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Indeque datum Cyrillo indultum. &c.*

RESPONDEO I. Non esse dubium, quin Paulus citato loco de publicis collationibus agat, in quibus de rebus diuinis ad mutuam ædificationem inter se conuersari solebant illius temporis fideles. Nam ista verba v. 13. *Qui loquitur linguâ, oret, vt interpretetur.* & v. 19. *In Ecclesia volo quinque verba meo sensu loqui, vt & alios instruam, quàm decem millia verborum in lingua.* & v. 28. *Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia; sibi autem loquatur, & Deo. Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.* & v. 34. *Mulieres in Ecclesia taceant. &c. Si quid autem volunt discere domi viros suos interrogent. &c.* ad rerum diuinarum explicationem, & mutuam exhortationem referenda sunt. Iam verò sacrificium Missæ non ad instructionem populi, sed ad offerendum pro populi salute dirigitur. Ergo non necessariò

ſariò linguâ populo intellectâ celebratur. Ait enim Apoſtolus v. 17. de eo qui ignotâ linguâ Deum orat: *Tu quidem benè gratias agis; ſed alter non ædificatur.*

Iam verò tales Scripturæ partes in Miſſâ recitantur, vt tametſi vulgatâ linguâ proferrentur, populus tamen ſæpè non tam ædificaretur, quàm ſcandalizaretur, aut in errores abduceretur. Ergo ad ædificationem populi magis expedit, ſacrificium Miſſæ linguâ non vulgari peragi, & ipſius myſteria, atque Scripturas in eo recitari conſuetas per publicas prædicationes, & priuatas quandoque collationes exponi.

Quando autem Apoſtolus etiam benedictionem & orationem, in conuentibus ſuo tempore vſitatis fieri ſolitam, non ignotâ linguâ peragi poſtulat, non loquitur de benedictione publicâ, & vniuerſaliter receptâ; ſed de priuatis pſalmis, quos quiſque ad aliorum conſolationem & ædificationem in tali cœtu canere ſolebat. Quia agit de pſalmis, qui ab alijs diiudicari debebant, an videlicet nihil in ijs eſſet reprobandum: vt ex v. 29. colligitur. At publica Eccleſiæ Liturgia à priuatis diiudicari & examinari non debet: Ergo non eſt opus, vt ab ipſis intelligatur. Quin imò quod ex v. 17. attulimus: *Tu quidem benè gratias agis*, etiam ad orationem referri poteſt, quam ipſe qui orat non intelligit. Quamuis v. 14. eam illi proponat, quæ intelligitur: vt non tantùm ſpiritus oret, ſiue affectus deuotus ſit: ſed etiam mens fructum percipiat, ſiue intellectus inſtruatur, & ad orationem intellectam magis attendere poſſit. Quanto ergo magis orationes publicæ, ſacrificia, & alia officia diuina hoc nomine damnari non debent, quòd ab idiotis non intelligantur? Nam illud vnum incommodum (ſi tamen incommodum eſt) multis alijs longè maioribus commodis compenſatur: & ſine grauioribus incommodis obtineri non poſſet.

RESPONDEO II. Innocentium de Eccleſia Græca agere, cui, captâ per Latinos Conſtantinopoli, multi Latini permixti erant, & ipſe Patriarcha ex Latinis conſtitutus. Itaque ab illis hominibus in Concilio generali poſtulatum eſt,

vt duos in vno loco Episcopos habere liceret. Pontifex autem ad præcauenda schismata negauit, duos eiusdem loci Episcopos ordinari posse; sed illis nationibus, diuersâ ab Episcopo suo linguâ vtentibus, dandos esse decreuit idoneos viros Ecclesiasticos, simili cum illis linguâ loquentes. Atque etiam dari posse Præsulem, Episcopo tamen Vicarium, & per omnia obedientem, ac subiectum: vt in ipso decreto videri potest, quod habetur c. Quoniam in plerisque. De officio Iud. Ord. Itaque Innocentius non de quouis genere linguæ loquitur; sed de Græca & Latina, quas in diuinis officiis Ecclesiarum Orientalium & Occidentalium vsurpatas fuisse, tametsi vbique vulgares non essent, manifestius est, quàm vt probari debeat.

Et si de alijs quoque linguis loqueretur, dici posset, eum, vt de populis diuersarum linguarum agit, ita de ijs, qui in publicis officijs diuersis ritibus vtuntur, agere: & velle, vt Viri rituum & linguarum diuersarum periti istis præponantur: vt nimirum per linguas docere, per ritus diuersos sacra officia peragere, & Sacraméta administrare valeant. Quid enim impedit, cùm non tantùm de officiis, & Sacramentis, sed etiam de instructione agat, quò minùs diuersæ linguæ ad instructionem, diuersi ritus ad officia diuina & Sacramenta referri possint? Sed quia, vt dixi, Græci tunc temporis Latinis permixti erant, voluit ipsa officia diuina & Sacramenta Græcis græcâ, Latinis latinâ linguâ administrari; quamuis nec tunc Græcis græca erudita, nec Latinis latina vulgaris esset. Nam ne in Italia quidem, vbi officia diuina tempore Innocentij Latinè peracta esse constat, latina lingua vulgaris erat.

RESPONDEO III. Exemplum Morauorum satis ostendere, in Ecclesia illius temporis vulgatâ linguâ sacra fieri non consueuisse: aliàs enim Romæ pro ea re impetranda Episcopum illum tam laboriosè instare non fuisset opus. Porrò facultatis huius concedendæ causa esse poterat (vt alias quoque esse posse concedimus) quòd gens illa, nouiter ad fidem conuersa, non posset habere Ecclesiæ ministros Latinæ

linguæ

linguæ ſimul & Sclauonicæ peritos. Nihilominùs, vt auctores fide digni referunt, Moraui Catholici poſteà ritum Sacrorum populari linguâ faciendorum ante inductum reliquerunt: quòd plus ex eo detrimenti, quàm emolumenti naſci experientia doceret.

QVAESTIO V.

Vtrùm Confeſſioniſtæ cum Confeſſione ſua in hoc Articulo conſentiant?

RESPONDEO, Tria eſſe in quibus Modernis Confeſſioniſtis cum Confeſſione ſua hoc loco non conuenit: I. Quia Miſſam vt maximã abominationem execrantur; cùm Confeſſio dicat: *Falsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quòd Miſſam aboleant. Retinetur enim Miſſa apud nos, & ſummâ reuerentiâ celebratur.* Et proinde non ipſam Miſſam apud Catholicos vſitatam abolendam dicit; ſed tantùm quoſdam abuſus in ea corrigendos notat: videlicet opinionem, quòd ex opere operato remiſſionem peccatorum conferat ijs, quibus applicatur, abſque bono ipſorum motu (quæ tamen opinio nobis per calumniam affingitur, vt ex dictis manifeſtum eſt) Prætereà conqueritur, quòd Miſſæ turpiter prophanentur, collatæ ad quæſtum; & quòd ab indignis celebrentur. Vnde numerum Miſſarum tantùm apud Lutheranos & Catholicos diſſimilem eſſe aſſerit. Cum quibus omnibus ſi comparentur ea, quæ Moderni Confeſſioniſtæ de hoc negotio ſcribunt, vix maior apparebit inter illa concordia, quàm inter nos & ipſos. Quia illa ſola à Confeſſione in Miſſà Catholicorum reprehenduntur, quæ aut falſa ſunt, aut perſonalia; nec minùs à nobis, quàm ab Aduerſariis improbantur.

II. Ceremonias in Miſſa vſitatas ferè omnes apud ſuos ſeruari affirmat Confeſſio, prætterquàm quòd latinis cantionibus admiſceantur alicubi germanicæ, & ita concludit. *Poſtquam igitur Miſſa apud nos habet exemplum Eccleſiæ ex Scriptura & Patribus; confidimus improbari eam non poſſe. Maximè cùm publicæ ceremoniæ magna ex parte ſimiles vſitatis ſeruentur:* TANTVM numerus

numerus Missarum est dissimilis. Moderni autem plerique Confessionistæ non tantùm omnes ceremonias ante in Missa vsurpari solitas non seruant; sed etiam tanquam mimicas & superstitiosas traducunt, & latinæ linguæ in ea vsum damnant: vt passim ex ipsorum scriptis manifestum est. Atqui Confessio originalis nihil aliud in ceremoniis Missæ à suis mutatum dicit, quàm quòd cantionibus latinis admisceantur alicubi germanicæ. Quod, vt supra dictum est, si nihil aliud esset, nulla ratione reprehenderemus.

III. Apologia Confessionis dicit, se non patrocinari Aërio, qui docebat, orationes & sacrificia pro defunctis inutilia esse. *Falsò*, inquit, *citant Aduersarij contra nos damnationem Aërij, quem dicunt propterea damnatum esse, quòd negauerit in Missa oblationem fieri pro viuis & mortuis. Sapè hoc colore vtuntur: allegant veteres hæreses, & cum his falsò comparant nostram causam, vt illâ collatione prægrauent nos. Epiphanius testatur Aërium sensisse, quòd orationes pro mortuis sint inutiles: id reprehendit. Neque nos Aërio patrocinamur.* Ergo secundùm Apologiæ doctrinam Confessionistæ non tantùm Aerio patrocinari non possunt; sed etiam ipsum inter veteres hæreticos referre debent. Iam verò de Aerio ita loquitur S. Augustinus Lib. de Hæres. c 53. *Aeriani ab Aerio quodam sunt, qui, cùm esset Presbyter, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari: & in Arrianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens: Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere: Nec statuta solenniter celebranda esse ieiunia; sed cùm quisque voluerit, ieiunandum: ne videatur esse sub lege.* Quòd verò moderni Confessionistæ in his Aerio patrocinentur adeò clarum est, vt probatione non indigeat.

Porrò quod dicere solent, aliud esse absolutè orare pro defunctis, aliud, vt è purgatorio liberentur; & de illo loqui Patres, de hoc altum apud eos esse silentium: eò quòd ipsi omnes in Christo defunctos iam æterna quiete frui senserint, & proinde tantùm pro illis orauerint, vt eorum vitam aliis commendarent, & testimoniū de beatitudine perhiberent: Quàm

verum

verum hoc sit, constat tum ex alijs antiquissimis Patribus, tum ex S. August. cuius testimonia quædam supra relata sunt. Quibus addi potest, & illud Tract. 84. in Ioan. *Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus; oportet vt quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Ideò quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus; sed magis, vt orent ipsi pro nobis, vt eorum vestigijs adhæreamus. &c.* Et illud Enchirid. c. 110. *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui, cùm viuerent, vt hæc sibi posteà prodesse possent meruerunt. Est enim quidam viuendi modus nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem; nec tam malus, vt non prosint ei ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm hæc vita transierit, adiuuari. &c. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt? Nisi propter differentiam vitæ, quam quiuque gessit in corpore. Cùm ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque viuorum consolationes sunt.* Videri etiam possunt lib. 9. Confess. c. 12. lib. de Cura pro mortuis c. 18. lib. de S. Virginit. c. 45. &c.

ARTICVLVS XIII.

DE POENITENTIA.

TRes Confessionis Augustanæ Articulos, vtpote de rebus maximè connexis agentes, hoc loco complectemur; videlicet

delicet XI. XII. & XXV. quorum medius de Pœnitentiâ, duo extremi de Confessione agunt. Et quidem XII. hoc modo in Confessione originali sonat. *De Pænitentia docent, quòd lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocumque tempore, cùm conuertuntur: & quòd Ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam absolutionem impertiri debeat. Constat autem pœnitentia propriè his duabus partibus: Altera est contritio, seu terrores incussi conscientiæ, agnito peccato: Altera est fides, quæ concipitur ex Euangelio, seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.*

Damnant Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum. Item, qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, vt peccare non possint. Damnantur & Nouatiani, qui nolebant absoluere lapsos post baptismum redeuntes ad pœnitentiam. Reijciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere; sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

Articulus XI. ita habet: *De Confessione docent, quòd absolutio priuata in Ecclesiis retinenda sit. Quanquam in Confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio: est enim impossibilis, juxta Psalmum: Delicta quis intelligit?*

Articulus XXV. ita: *Confessio in Ecclesia apud nos non est abolita: non enim solet porrigi Corpus Domini, nisi anteà exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissimè de fide absolutionis: de qua ante hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines vt absolutionem plurimi faciant: quia sit vox Dei, & mandato Dei pronuntietur. Ornatur potestas clauium, & commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientijs: & quòd requirat Deus fidem, vt illi Absolutioni, tanquam voci de cœlo sonanti credamus: & quòd illa fides in Christum verè consequatur, & accipiat remissionem peccatorum. Anteà immodicè extollebantur satisfactiones: fidei verò, & meriti Christi, ac justitiæ fidei nulla fiebat mentio. Quare in hac parte minimè sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ; nam hoc etiam Aduersarij tribuere nobis coguntur, quòd doctrina de pœnitentia diligentissimè à nostris tractata, ac patefacta sit.* Sed

Digitized by Google

Sed de Confessione docent, quòd enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ curâ enumerandi omnia delicta. Quia impossibile est omnia delicta recitare, vt testatur Psalmus: Delicta quis intelligit? Item Ieremias: Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Quòd si nulla peccata, nisi recitata, remitterentur, nunquam acquiescere conscientiæ possent. Testantur & veteres Scriptores, enumerationem non esse necessariam. Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait: Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuses; sed obedire te volo Prophetæ dicenti, Reuela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum Iudicem, cum oratione. Delicta tua pronuntia, non lingua; sed conscientiæ tuæ memoria. Et Glossa de Pœnit. c. Consideret fatetur, humani iuris esse confessionem. Verùm Confessio, cùm propter maximum absolutionis beneficium, tùm propter alias conscientiarum vtilitates apud nos retinetur.

In hac Confessione, cum Theologis Catholicis, qui ad Confessionem August. in Comitijs Anno 1530. responderunt, approbamus I. quòd lapsis post Baptismum possit contingere remissio peccatorum, quocumq; tempore conuertuntur: & quòd Nouatiani damnandi sint, qui relapsos post Baptismum, ad pœnitentiam redeuntes, absoluere nolebant. Item quòd damnandi sint Anabaptistæ, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum. II. Quòd absolutio priuata in Ecclesijs retinenda sit; & proinde approbamus Confessionem priuatam apud ipsos non esse abolitam (si tamen non est) eò quòd Corpus Domini porrigendum non sit, nisi anteà exploratis, & absolutis.

Reijcimus autem I. Quòd duas tantùm Pœnitentiæ partes constituendæ sint: Contritio videlicet, & Fides. II. Quòd Contritio ita describenda sit, vt Confessio describit. III. Quòd omnium peccatorum, quorum conscientia habetur, enumeratio pœnitenti nō sit necessaria. IV. Quòd satisfactiones pœnitentium reiiciendæ sint. V. Calumnias quasdam, quas, vt alibi ferè semper, ita plenis hîc plaustris in nos conuehit Confessio & Apologia, attingemus, & refutabimus.

QVAESTIO I.

Vtrùm Confeßio rectè duas tantùm Pœnitentiæ partes constituat, Contritionem, & Fidem?

CO*nstat Pœnitentia*, inquit Confessio jam recitata, *propriè his duabus partibus: altera est Contritio, seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato; altera Fides, quæ concipitur ex Euangelio, seu Absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.*

Apologia autem Confessionis ad Art. XII. statim initio ita in Catholicos inuehitur: *Negant fidem esse alteram partem pœnitentiæ. Quid hîc Carole Cæsar Inuictißime faciamus? Hæc est propria vox Euangelij, quòd fide consequamur remißionem peccatorum, &c. Rogamus igitur te Carole Cæsar Inuictißime, vt nos de hac re maxima, quæ præcipuum Euangelij locum, quæ veram Christi cognitionem, quæ verum cultum Dei continet, patienter ac diligenter audias, & cognoscas.* Audiamus ergo & nos, qua ratione hanc doctrinam suam Apologia probet.

CONCLVSIO I. Pœnitentiam propriè duabus his partibus, Contritione & Fide constare, non est vox Euangelii, neque in Apologia talis esse probatur. Vbi obserua nos non negare, quin fides sit causa remissionis peccatorum, quod passim Scriptura affirmat; & ideò hæc verba Apologiæ nos non tangere: *Quid est aliud negare, quòd fide consequamur remißionem peccatorum, quàm contumeliâ afficere Sanguinem & mortem Christi?* Quia hoc neque negamus, neque negare possumus. Sed aliud est negare, fidem esse remissionis peccatorum, & ipsius pœnitentiæ causam; aliud negare, fidem esse pœnitentiæ partem. Prius non negamus, vt dixi; posterius ideò negamus: quia cùm fides in lapsis sit causa remissionis peccatorum per pœnitentiam, quæ ex fide gignitur, non potest ipsa fides dici pars pœnitentiæ, cuius parens est. Cur enim pœnitet hominem peccati sui, cur ad misericordiam Dei confugit, confitetur, emendationem proponit, & dignos pœnitentiæ fructus facit; nisi quia credit Deum, per peccata offensum,

offensum, talibus mediis ex ineffabili misericordia sua, & Christi meritis denuò reconciliari.

Sed argumenta Apologiæ videamus. I. sic argumentatur: *Christus inquit Matt. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hic duo membra sunt: labor & onus significant Contritionem, pauores & terrores peccati, & mortis. Venire ad Christum est credere, quòd propter Christum remittantur peccata. Cùm credimus, viuificantur corda spiritu sancto per Verbum Christi. Sunt igitur hic duæ partes præcipuæ, Contritio, & Fides.* Sed quid hoc argumento ineptius fingi potest? Inprimis enim quomodo probabitur per istam particulam, *Qui laboratis, & onerati estis,* significari Contritionem, & non potiùs ipsa onera peccatorum, juxta illud Sap. 5. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis?* Deinde quamuis dicere possimus, per ista verba, *Venite ad me,* intelligi fidem; non tamen sequitur refectionem spiritualem per solam fidem contingere; sed per ea insuper media, quæ fidei lumine à Christo discunt homines. Itaque de pœnitentiæ partibus nulla fit hoc loco mentio; sed omnes generaliter homines peccatorum grauitate pressi à Christo inuitantur, per salutarem eius doctrinam reficiendi. Et quid non ex Scriptura concludi poterit, si hac ratione argumentari licet?

II. Sic argumentatur: *Marci 1. Christus ait: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Vbi in priore particula arguit peccata; in posteriore consolatur nos, & ostendit remissionem peccatorum. Nam credere Euangelio non est illa generalis fides, quam habent & Diaboli; sed propriè est credere remissionem peccatorum propter Christum donatam: hac enim reuelatur in Euangelio. Videtis & hic duas partes coniungi, Contritionem, cùm arguuntur peccata, & fidem, cùm dicitur: Credite Euangelio.* Sed ex hoc loco non colligitur, fidem esse Pœnitentiæ partem, nisi sic concludere lubeat: Christus in Euangelio requirit Pœnitentiam & Fidé: Ergo Fides est Pœnitentiæ pars. An non potiùs sequitur: Ergo Fides est distincta virtus à Pœnitentia; quia Fides & Pœnitentia vt duo necessaria ab hominibus requiruntur? Et qua ratione probari poterit, per Pœnitentiam hîc solam Contritionem

nem intelligi, per fidem, ſpecialem illam fiduciam, qua quiſque ſecum certò ſtatuit peccata ſibi eſſe remiſſa propter Chriſtum?

III. *Paulus*, pergit Apologia, *vbique cùm deſcribit conuerſionem facit has duas partes, mortificationem, & viuificationem: vt Coloſſ. 2. In quo circumciſi eſtis, circumciſione non manufactâ, videlicet expoliatione corporis peccatorum carnis. Et poſteà: In quo ſimul reſuſcitati eſtis per fidem efficaciæ Dei. Hîc duæ ſunt partes, altera eſt expoliatio corporis peccatorum, altera eſt reſuſcitatio per fidem.* Sed tam expoliatio peccati, quàm viuificatio ſunt fidei & pœnitentiæ effectus à Deo producti; non pœnitentiæ partes. Nam quomodo per expoliationem peccati contritio intelligi poteſt, cùm eadem Apologia poſteà dicat: *Si fides non accederet* (ſpecialis videlicet illa Lutherana) *dolores contritionis afferrent mortem æternam.* Certè per hæc verba id indicatur, quod Lutherus Art. VI. eorum quos Leo X. damnauit, docet: *Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſsionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis* (quæ omnia in vera fide fundari manifeſtum eſt) *Hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.* Rationem in Aſſertione reddit: *Ego enim peccatum aſſero, quidquid ante gratiam fit in homine; tantùm abeſt, vt præparet ad gratiam.*

IV. *In Coloſſenſibus inquit Apoſtolus, Chriſtum delere chirographum, quod per legem aduerſatur nobis. Hîc quoque duæ ſunt partes, chirographum, & deletio chirographi. Eſt autem chirographum conſcientia arguens & condemnans nos. &c.* Sed licet hoc loco per chirographum conſcientia peccati intelligeretur, Contritio tamen nulla ratione intelligi poſſet: non enim omnes, quos conſcientia peccati ſtimulat, contritionem habent. Et chirographum hoc dicitur nobis contrarium; Contritio verò non contraria nobis, ſed proficua eſt. Item chirographum hoc à Chriſto deleri dicitur; Chriſtus autem Contritionem peccatorum non delet, ſed accendit. Vnde ſanctiſ-

ſimi viri, etiam poſt remiſſionem peccatorum impetratam[d] Contritionem continuare ſolent: vt de S. Petro fertur, quòd ad omnem galli cantum doloré de peccato negationis Chriſti renouârit. Et qui textum leget aduertet à Paulo quiduis potiùs per chirographum intelligi, quàm Contritionem. Adde quòd etiam poſito, chirographum apud Paulum Contritionem ſignificare, non tamen ſequeretur, fidem ſpecialem eſſe alterã Pœnitentiæ partem. Quia in toto capite 2. Coloſſ. vbi chirographum decreti, quod erat contrarium nobis per Chriſtum deletum, & cruci affixum dicitur, nihil quidquam habetur, quod ad fidem ſpecialem vllo colore trahi poſſit.

V. Ineptire pergit Apologia: *Quamquam quid opus eſt multa citare teſtimonia, cùm vbique obuia ſint in Scripturis: Pſal. 117. Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Pſal. 118. Deficit anima mea præ anguſtia; confirma me in verbo tuo. Vbi in priore membro continetur Contritio, in ſecundo modus clarè deſcribitur, quomodo in Contritione recreemur. 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit. Horum altero ſignificatur Contritio, altero ſignificatur Fides. Eſaia 28. Dominus iraſcetur, vt faciat opus ſuum. Alienum opus Dei vocat, cùm terret: quia Dei proprium opus eſt, viuificare, & conſolari.* Ex his videlicet æquè concludi poteſt: Ergo duæ ſunt Pœnitentiæ partes, Contritio, & Fides ſpecialis; atque: Ergo pars pœnitentiæ Deo conuenit: ipſe enim eſt qui viuificat, ipſe facit opus ſuum in nobis dum iuſtificamur.

VI. Adducit & exempla: *Adam obiurgatur*, inquit, *poſt peccatum, & perterreſit; hæc fuit Contritio. Poſteà promittit Deus gratiam, dicit futurum Semen, quo deſtruatur regnum Diaboli, mors, & peccatum: ibi offert remiſſionem peccati.* Sed vbi legitur, Adamum, à Deo in paradiſo correptum, contritum eſſe de peccato ſuo; cùm potiùs totam culpam in mulierem reiecerit? Vbi legitur, Deum remiſſionem peccati illi obtuliſſe per fidem ſpecialem certò apprehendendam. Hac ſcilicet ratione fidem ſuam à nouitate egregiè defendit Apologia.

Pergit autem: *Sic Dauid obiurgatur à Nathan, & perterrefactus*

refactus inquit : Peccaui Domino. Ea est Contritio. Posteà ostendit Absolutionem: Dominus sustulit peccatum tuum. Hæc vox erigit Dauidem, & fide sustentat, justificat, & viuificat eum. Sed neque vox ista Dauidem justificauit, quia à Deo propter contritionem justificatum declarauit; neque instar absolutionis Lutheranæ excitauit fidem in Dauide, vt per illam justificaretur; sed jam justificatum esse asseruit; neque quidquam à Dauide factum esse narratur, quàm quòd ex contrito corde in hæc verba proruperit: *Peccaui Domino.* Per quam ergo Dialecticam ex hoc exemplo concluditur, duas esse Pœnitentiæ partes, Contritionem, & Fidem specialem?

Addit & tertium exemplum: *Luca 7. Mulier peccatrix venit ad Christum lacrymans; per lachrymas agnoscitur Contritio. Posteà audit absolutionem: Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te saluam fecit, vade in pace. Hæc est altera pars Pœnitentiæ, quæ erigit, & consolatur eam.* Sed mulierem hanc per fidem saluatam esse, vt & omnes alios qui justificantur per fidem justificari, nemo Catholicorum dubitat: Pœnitentia enim, nisi in fide radicetur, omnino inutilis est ad salutem. Interim hinc non sequitur, Pœnitentiæ partes esse Contritionem, & Fidem specialem: quia ne de illa quidem fide, per quam mulier salua facta est, dicitur, quòd pars Pœnitentiæ ipsius fuerit, cùm tamen longè aliam fidem habuerit ab illa, quam Confessionistæ requirunt: vt videlicet post Contritionem absolutioni tanquam voci de cœlo sonanti certò quis credat, sibi remissa esse peccata. Atqui mulier illa per fidem & charitatem remissionem peccatorum ante obtinuerat, quàm Christus ad illam diceret, *Remittuntur tibi peccata tua*, & ipsa certò statueret peccata sibi esse remissa. Ante enim dixit Christus ad Simonem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo per talem fidem, qualem Confessionistæ requirunt, mulier ista remissionem peccatorum non obtinuit. Porrò Christus justificationem mulieris fidei adscribit; quia ipsa est primum justificationis initium, & fundamentum, quo reliqui in conuiuio isto præsentes carebant; dicebant enim: *Quis est hic, qui etiam*

peccata

Digitized by Google

peccata remittit. Mulier autem per fidem, qua credebat peccata à Christo remitti posse, & ipsum ad saluandos à peccatis homines in mundum venisse, accessit ad eum cum magna fiducia, dilexit eum, lacrymis pedes eius rigauit, capillis tersit, vnguento pretioso inunxit, & ita remissionem peccatorum impetrauit: vt patet ex ipso Christi ad hospitem suum sermone.

VII. Adducit sententiam Bernardi: *Vt totus*, inquit, *mundus terrarum videat, quanta sit inscitia veræ pietatis in nostris Criticis, qui Confutationem scripserunt, addemus & Bernardi sententiam, qui prorsus ad eundem modum coniungit hæc duo membra in Pœnitentia, Contritionem, & Fidem, sicut nos coniungimus. Verba sunt hæc in Serm. 3. de Annunt. Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, in te speraui Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis locum obtinet, nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia, solius vtique maledictionis capax, cùm videlicet in spe peccamus. &c.* Sed in toto hoc Sermone nusquam dicitur, duas esse Pœnitentiæ partes, Contritionem, & Fidem. Misericordiam quidem per fiduciam obtineri docet Bernardus, quia fiduciæ obiectum est misericordia; sed nec talem fiduciam ponit, qualem Confessionistæ requirunt; nec nos misericordiam Dei sine fiducia obtineri dicimus. Fiduciâ, inquam, Spei, non Fidei. Hæc enim inter se manifestè distinguit Apostolus, 1. Cor. 13. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas tria hæc. Maior autem horum est charitas.* Fatemur ergo hominem, postquam Deum peccando offendit, non habere alium reconciliationis modum, quàm per fiduciam ad misericordiam Dei recurrendo, & nullis operibus suis innitendo: hoc enim vult eodem loco Bernardus dicens: *Hæc vera hominis fiducia est, à se deficientis, & innitentis Domino suo. Hæc inquam vera fiducia, cui misericordia non denegatur, Prophetá attestante: Quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Nec parua vtique suppetit nobis in nobis quidem timoris, in ipso autem causa fiduciæ.* Sed fidem esse Pœnitẽtiæ partem ex hoc deduci posse negamus. Quia quamuis hanc fiduciam, de qua Bernardus agit, Pœnitentiæ partem

Ppp esse

esse concederemus, adhuc tamen specialem Lutheranorum fiduciam partem esse negare deberemus: quia ab hac longè diuersa est fiducia illa de qua Bernardus agit, & quam nos cum illo agnoscimus, atque ad veram Pœnitentiam necessariam esse fatemur.

VIII. Ineptè interrogat Apologia: *Vtrùm absolutionem accipere pars sit Pænitentiæ, nec ne? Quòd si à Confessione separant*, inquit, *vt sunt subtiles in distinguendo; non videmus quid prosit Confessio sine Absolutione. Sin autem non separant à Confessione acceptionem Absolutionis; necesse est eos sentire, quòd fides sit pars Pænitentiæ: quia Absolutio non accipitur, nisi fide.* Hîc enim agimus de Pœnitentia, prout est actio pœnitentis, quæ ante Absolutionis efficaciam prærequiritur. Respectu verò absolutionis, siue remissionis peccatorum, quam homo pœnitens accipit, habet ipse se merè passiuè: sicut respectu spiritualis ablutionis, quæ in Baptismo accipitur. Quamuis ad vtilem vtriusque Sacramenti susceptionem dispositiones quædam in adultis requiruntur, quæ respectu absolutionis sunt actiones pœnitentis, ex gratia Dei elicitæ, & in merito Christi fundatæ. Itaque absolutionem accipere non est pars Pœnitentiæ, quatenus Pœnitentia virtus quædam est; sed Pœnitentiam præsupponit. Quatenus autē Pœnitentia Sacramentū est, habet se absolutio instar formæ, vt cōmuniter Scholastici docēt. Agimus autem vtrimq; de Pœnitentia, prout pœnitentis actus complectitur, vt dixi, & ita neq; absolutionē, neq; illius acceptionem Pœnitentiæ partem esse manifestum est. Absolutio enim nomine Dei confertur, & etiam conferri posset non pœnitenti, neque de peccatorum remissione tunc temporis quidquam cogitanti: vt Paralytico Matth. 9. collata videtur. Et in antiqua Ecclesia sæpè absoluti sunt, qui vel surdi, vel ob vim morbi extra se positi erant, quando de Pœnitentia ante acta, & petitione absolutionis constabat, vt habetur in Concil. Carthag. IV. can. 76. Et Araus. can. 12. Item apud August. lib. 1. de Adult. coniug. c. vlt. &c. Vt ergo acceptio Baptismi non est pars eius Pœnitentiæ, quæ ante vtilem Baptismi susceptio-

ſuſceptionem in adultis requiritur; ita neque Abſolutionis acceptio eius Pœnitentiæ pars eſt, quæ ad hoc prærequiritur, vt abſolutio fructuoſa exiſtat.

Confundit autem Apologiã paſſim Pœnitentiæ partes, cauſas, & effectus. Nam fides Pœnitentiæ cauſa eſt, & à Pœnitentia præſupponitur, vt & à charitate, & alijs virtutibus ad ſalutem ducentibus. Vt ergo fides non eſt pars charitatis, quamuis abſque illa charitas non poſſit eſſe vtilis; ita non eſt pars Pœnitentiæ, quamuis absque illa remiſſio peccatorum per Pœnitentiam obtineri non poſſit. Prætereà remiſſionem peccatorum, imò mitigationem pœnarum temporalium Pœnitentiæ partibus annumerat Apologia, & Confeſſio variata Art. XXV. *Retinemus*, inquit, *& illuſtramus veras Pœnitentiæ partes, Contritionem, Fidem, Abſolutionem, remiſſionem peccatorum, emendationem totius vitæ, mitigationem præſentium pœnarum.* Atqui remiſſio peccatorũ, & pœnarũ mitigatio non ſunt Pœnitētiæ partes, ſed effectus, quos Deus pœnitentibus largitur.

Accedit denique, quòd Confeſſio non tantùm ex nullo Scripturæ teſtimonio probat, Contritionem & Fidem eſſe Pœnitentiæ partes; ſed etiam vt hoc explicat, Scripturis manifeſtè repugnat. Vel enim ſemper Contritio debet eſſe in homine jam fidem habente; vel poteſt eſſe in eo, qui fidem juſtificantem nondum habet (quòd poſtremum ſatis indicat Confeſſio, dum ait, ante terreri homines per contritionem, & poſteà per fidem à terroribus liberari) Si prius; ergo Contritio haberi non poteſt, niſi ab homine juſtificato; & conſequēter nemo juſtificatur per Pœnitentiam: eò quòd prima Pœnitentiæ pars vtiliter ineſſe non poſſit, niſi juſtificatis. Si poſterius; rurſus per pœnitentiam non juſtificatur homo, ſed ſemper per ſolam fidem: quia Contritio, quæ eſt Pœnitentiæ pars nihil conducit ad juſtificationem; ſed potiùs hominem magis peccatorem facit; vt omnia opera, quæ fidem juſtificantem præcedunt. Imò nec per fidem quidem juſtificabitur homo: quia vera fides homini peccatori ineſſe non poteſt, vt Confeſſioniſtas docere ex dictis de juſtificatione conſtat. Ita-

que quod in Apologia nobis obijcitur, meliore jure nos ipsis opponere possumus: *Prodeat nobis aliquis ex Aduersarijs, qui dicat quando fiat remißio peccatorum.* Nam procul dubio tunc remissionem peccatorum fieri dicent, quando per Verbum & Sacramenta donatur Spiritus sanctus. Sed ille non donatur per fidem; quia ante fidem homini inest, & ipsam fidem in illo generat, vt ex his verbis Art. V. constat: *Per Verbum & Sacramenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, vbi, & quando visum est Deo, in ijs qui audiunt Euangelium.* Concilient hæc inter se Aduersarij: *Spiritus sanctus in cordibus hominum est causa fidei acquirendæ,* &c; *Fides est causa instrumentalis acquirendi Spiritus sancti.* Item: *Vera Fides non potest homini peccatori inesse,* &c. *Homo peccator per fidem sibi inexistentem remißionem peccatorum acquirit.*

Nos verò facilè expedimus quando fiat remissio peccatorum; cùm videlicet homo dolens de peccato suo, & confitens à Sacerdote absoluitur. Quamuis Contritio tam perfecta esse possit, vt Deus ante absolutionem peccatorum remissionem conferat. Quo casu quia Apologia quærit, quid faciat absolutio, si remissio peccatorum jam antefacta sit; Dico 1. Gratiam jam ante collatam auget, & confirmat. 2. Haud dubiè sentiunt, multos ex suis fidem justificantem ante absolutionem habere. Ad quid ergo tales absoluuntur, si peccatorum remissionem jam consecuti sunt? Itaque nihil contra nos hæc interrogatio facit; sed optimo jure in Confessionistas retorqueri potest: quia veræ justitiæ augmentum non agnoscunt, & proinde ostendere nequeunt, quid faciat absolutio in eo, qui ante credit.

CONCLVSIO II. Pœnitentiæ materialiter & integraliter sumptæ tres partes à Catholicis rectè statuuntur, videlicet Contritio, Confessio, & Satisfactio. Dixi, materialiter, quia vt Sacramentum est totaliter spectata non solos pœnitentiæ actus, sed etiam absolutionem tanquam formam complectitur. Hîc autem absolutio Pœnitentiæ partibus annumeranda non est: quia eas tantùm partes quærimus, quæ

in illo

Digitized by Google

in illo requiruntur, qui pœnitentiam agit. Vnde neque Confessio August. absolutionem Pœnitentiæ partibus annumerat. Dixi, integraliter, quia etsi opera satisfactoria ad culpæ remissionem necessaria non sunt, vt patet in ijs, qui statim post contritionem & confessionem ex hac vita decedentes opera satisfactoria exercendi facultatem non habent; tamen ad perfectam & integram remissionem, culpæ videlicet simul & pœnæ, opera etiam satisfactoria requiruntur.

Porrò tametsi aliqui Catholici in partibus Pœnitentiæ recensendis non eodem modo locuti sint (nam Durandus Contritionem, quia sensibilis non est, Sacramenti Pœnitentiæ partem esse negauit) hæc tamen controuersia merè scholastica est: neque Confessionistæ jure dicere possunt, nihil certi in hac materia apud Scholasticos inueniri. De re enim omnes conueniunt, videlicet ad perfectã Pœnitentiam Contritionẽ, Confessionem, & Satisfactionem requiri. De horum autem requisitorum varijs circumstantijs, qualitatibus, & appellationibus variæ fuerunt, & adhuc sunt inter Scholasticos disputationes. Itaque non magis dici possunt in hac materia, ad fidem quod attinet, inter se dissidere, quàm in Articulo de SS. Trinitate, in qua omnes vnanimiter docẽt, Deum esse trinum in personis, & vnum in essentia: quamuis in huius mysterij explicatione non consentiant, & de proprietatibus relatiuis, notionibus, processionibus, &c. variè inter se disputent. Iam verò hoc in Ecclesia Catholica semper vt Articulus fidei doctum fuit, hominem verè & perfectè pœnitentem animo conteri, ore confiteri, & opere suo modo satisfacere debere. Quod nullus vnquam Scholasticorum negauit, aut in dubium reuocauit.

Itaque de his tribus per sequentes quæstiones videndum est: De Contritione videlicet, non an pars Pœnitentiæ sit, quia hoc Confessio non negat; sed an ab ipsa rectè describatur. De Confessione, an jure diuino in Nouo Testamento præscripta sit. Et denique, an & quomodo opera satisfactoria fieri à pœnitente possint & debeant.

QVAESTIO II.

Vtrùm Confeßio August. Contritionem rectè describat?

CONtritio in Confeßione Originali breuiter hoc modo describitur, *quòd sint terrores incußi conscientiæ, agnito peccato.* Quam descriptionem Confeßio Variata Art. XII. latiùs hoc modo explicat: *Altera Pœnitentiæ pars est Contritio, hoc est terrores incußi conscientiæ, agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, dolemus nos peccasse, & peccata detestamur ac fugimus: sicut Ioël concionatur: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum.* Similiter exponit Philippus in Locis An. 1536. editis, tit. de pec. in Spir. S. *Vocamus Contritionem,* inquit, *veros terrores ac dolores conscientiæ, quæ sentit Deum irasci peccato, & dolet se peccasse. De hac parte concionatur Christus cum inquit: Agite pœnitentiam.* Et paulò post addit: *Nisi accederet ad hos terrores fides, quæ rursus erigeret & consolaretur animos, contritio, id est, dolores isti fierent mors æterna. &c. Hæc fides discrimen facit inter contritionem Petri, & Iudæ; Dauidis, & Saulis.* Eodem modo in Apolog. Art. XII. ait: *Si quis interroget, quare Saul, Iudas, & similes non consequantur gratiam, qui horribiliter contriti sunt? Hîc de fide & Euangelio respondendum erat, quòd Iudas non crediderit, non erexerit se Euangelio, & promißione Christi. Fides enim ostendit discrimen inter contritionem Iudæ, & Petri. &c.*

CONCLVSIO. Tametsi reprehendere non possumus, quod Philippus dicit, nos per Contritionem detestari & fugere peccata; malè tamē eam per terrores ex agnitione peccati, & ira Dei conceptos, describit; malè eandem in Petro & Iuda, si fidem specialem tollas, ponit. I. pars ex infinitis Scripturæ locis manifesta est, quæ hoc fine peccata hominum arguunt, vt ipsi de illis doleant, & in posterum ea fugiant. Vnde Ierem. 8. dicitur: *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci?* Ezech. 16. *Notas fac Ierusalem abominationes suas.* Item Christus ipse, & Apostoli passim peccata hoc

ta hoc fine arguunt, vt homines de ijs pœnitentiam agant, & se emendent. Sed quia Confessio de ista re controuersiam non mouet, plura addere non est opus.

Probatur II. pars, I. Quia vt Concilium Trid. Sess. 6. c. 6. insinuat, homines dum se peccatores intelligunt diuinæ justitiæ timore vtiliter concutiuntur; hoc ipso tamen contritionem non habent; sed ad eam paulatim inducuntur: vt ipse Apostolus 2. Cor. 7. indicat, dum ait: *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ergo terrores conscientijs hominum incussi ad pœnitentiam quidē prærequiruntur; non sunt tamen ipsa contritio, siue prima pœnitentiæ pars. Idque confirmat eodem loco Apostolus dicens: *Non gaudeo quia contristati estis; sed quia contristati estis ad pœnitentiā.* Si enim tristitia illa esset ipsa contritio, Paulus procul dubio de illa gauisus fuisset, cùm Christus dicat, gaudiū esse in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. Neque verò reprehendere nos Confessionistæ possunt, quòd per pœnitentiam contritionem intelligamus: quia ipse Philippus supra de contritione agēs dicit, illam his ipsius Christi verbis requiri: *Pœnitentiam agite.*

II. Scriptura Contritioni remissionem peccatorum tribuit, Ezech. 18. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit.* Ionæ. 3. *Et vidit Deus opera eorum qui conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus est vt faceret eis, & non fecit.* Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Sed Contritioni Confessionisticæ remissio peccatorum nullo modo adscribi potest: quia Dauidi & Sauli, Iudæ & Petro eam communem faciunt: Ergo Contritio illa non est talis, qualem Scriptura in pœnitentibus requirit.

III. Vera Contritio pertinet ad Euangelium; ea, quam Confessio describit, ad legem. Quia enim ad illam quæstionem, Cur Iudas gratiam consecutus non fuerit, non respondemus, quia specialem fidem non habuit, sed quia verâ contritione caruit; dicit Apologia, nos non de Euangelio, sed de

lege

lege respondere. Probatur autem veram contritionem ad Euangelium pertinere: quia Christus in ipso prædicationis suæ exordio eam inculcauit dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Matth. 4. Et post resurrectionem suam Lucæ 24. mandauit Apostolis, vt simili prædicatione vterentur: quod & ipsos fecisse ex Actis eorum manifestum est.

IV. Quod hominem per se magis peccatorem facit, non potest Pœnitentiæ partibus annumerari: quia Pœnitentiæ finis est remissio peccatorum: Luc. 24. *Prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Sed Contritio Confessionistica per se hominé magis peccatorem facit; tum quia Confessio August. Saulem & Iudam contritionem habuisse dicit, qui tamen ex malo terrore desperârunt; tum quia docet, hominem in Contritione fugere horribilem iram Dei, & in ista fuga non posse diligere Deum: *Quomodo,* inquit Apolog. *diligent Deum in veris terroribus, cùm sentiunt horribilem & inexplicabilem humanâ voce iram Dei? Quid aliud nisi desperationem docent, qui in his terroribus tantùm ostendunt legem?* Ergo quantum mors à vita, peccatum à justitia, Deus à Diabolo distat; tantum à vera Contritione abest illa, quam Confessio obtrudit. Contritio enim vera viuificat; Confessionistica mortificat: vera justitiam; Confessionistica peccatum per se parit: vera ad Deum; Confessionistica ad Diabolum ducit: nisi fides specialis hominem ab illa seductione Contritionis eripiat. Per solam enim hanc fidem discrimen inter contritionem Petri & Iudæ factum fuisse docet Apologia. Et quæ sunt ista paradoxa Euangelij Lutherani? Aut à quo vnquam ante Lutherum audita?

QVAESTIO III.

Vtrùm peccatorum Confessio in Pœnitentia jure diuino requiratur?

ENumerationem peccatorum in Confessione necessariam non esse docet Augustana Confessio. I. Quòd sit impossibilis. II. Quòd conscientiæ nunquam acquiescerent, si nulla

nulla peccata, nisi recitata, remitterentur. III. Adducit Chrysostomi & Glossæ de Pœnit. Dist. 4. auctoritatem.

CONCLVSIO I. Duæ priores rationes non probant, enumerationem peccatorum, quorum quis sibi conscius est, in Confessione ex jure diuino non esse faciendam. Nam I. Non est impossibilis; & licet impossibilis esset, adhuc tamen in sententia Confessionistarum jure diuino obligare posset. Quia obseruatio mandatorum Decalogi secundùm ipsos impossibilis est; & tamen jure diuino omnes homines obligat. Vt ergo dicunt, hominem quidem mandata Dei seruare non posse, contendere tamen debere, vt secundùm ea viuat, quantum humanitùs fieri potest; ita quamuis peccatorum enumeratio jure diuino præscripta impossibilis esset; adhuc tamen dici posset, hominem vi præcepti obligatum, vt ea peccata enumeret, quæ enumerare potest. Quòd verò ea peccatorum enumeratio, quam in Confessione jure diuino requisitam dicimus, non sit impossibilis, probatur: Quia non omnium simpliciter peccatorum enumerationem necessariam esse dicimus; sed eorum tantùm, quæ post diligens & serium, non tamen nimis anxium, & scrupulosum examen, conscientiæ occurrunt. Et ita intelligendum est Decretum Concilij Lateran. c. 21. quod ita sonat: *Omnis vtriusque sexus omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, vel alieno, priùs tamen à proprio Sacerdote impetratâ veniâ.* Omnia peccata, inquit, non simpliciter, etiam ea quorum quis meminisse non potest, vel quæ ab ignorãtibus cõmissa sunt, de quibus est illud: *Delicta quis intelligit*; sed quorum quis conscientiam habet: quia aduerbium, *fideliter,* insinuat, ita candidè omnia enumeranda, vt nullum scienter & fraudulenter omittatur, aut celetur.

II. Ex nostra doctrina non sequitur, ea peccata per absolutionem non remitti, quæ per ignorantiam inculpabilem in confessione omittuntur. Quia enim per gratiam justificantem omnia peccata remittuntur, & gratia justificans per absolutionem confertur; absolutio omnia peccata remittit, quam-

nis Sacerdos ſpeciatim ab illis non abſoluat, quæ in confeſſione patefacta non ſunt.

DICES: Vtcumq; ſpecioſè ad Confeſſionis Aug. argumẽta reſpondeatur, hoc tamen Pontificiis non ſufficit, vt confeſſionem juris diuini eſſe oſtendant; ſed ex Scriptura ſacra probare debent, enumerationem peccatorum ad eorum remiſſionem conſequendam eſſe neceſſariam.

RESPONDEO I. Saltem ex noſtra reſponſione patet, Confeſſioniſtas nullo efficaci argumento probare, quòd confeſſio in Eccleſia Romana vſitata juri diuino repugnet.

RESPONDEO II. Non eſſe neceſſarium, nos manifeſtis Scripturæ teſtimonijs confeſſionem noſtram probare: quia multos fidei Articulos ex Eccleſiæ definitione & traditione credimus, & ipſi Aduerſarij nobiſcum, quæ ſolis Scripturæ teſtimonijs manifeſtè probari nunquam poſſent. Vt multa de myſterio Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ, de Baptiſmo paruulorum, de ipſa Scriptura ſacra. &c. Nihilominùs pro confeſſione, in Pœnitentiæ Sacramento apud nos vſitatâ, ſatis firmum teſtimonium habemus, pro quo ſit

CONCLVSIO II. Ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctũ; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*, ſatis clarè colligitur, confeſſionem peccatorum coram Sacerdotibus eſſe faciendam, vt quis eorum remiſſionem obtineat. Quia remiſſionem peccatorum nemo obtinet, niſi à Chriſto, vel eius vices gerente eam conſequatur, vt manifeſtum eſt: Sed Chriſtus ad cœlum aſcenſurus vices ſuas Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus commiſit: *Sicut miſit me viuens Pater*, inquit loc. cit. *& ego mitto vos.* Et Apoſtolus 2. Cor. 5. ait: *Poſuit in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Ergo nemo ordinariè Deo reconciliatur, niſi per hos Chriſti Legatos. Dixi, ordinariè, quia ſi confeſſionem impedimentum aliquod excludat, per ſolam animi contritionem ſaluari quis poteſt, ſuppoſitâ videlicet fide. Sicut tametſi Baptiſmus ordinariè ad ſalutem neceſſarius ſit; tamen abſque reali eius ſuſceptione multi ſaluantur, quando ante

morte

morte præueniuntur, quàm eum suscipere possint. Iam verò Legati hi ita à Christo constituti sunt, vt soluendi, vel ligandi peccata potestatem habeant. Ergo ea cognoscere debent, vt judicare possint quæ soluenda sint, quæ liganda.

Excipit Apologia: *Quod obijciunt, Iudicem prius debere cognoscere causam, priusquam pronuntiet, hoc nihil ad rem pertinet: quia absolutio est executio alieni beneficij, non est judicium.* Quibus verbis insinuatur, Ministros Ecclesiæ non habere potestatem auctoritatiuè alios à peccatis absoluendi, sed tantùm instar præconum remissionem peccatorum annuntiandi.

Sed contra est, quòd Christus loc. cit. Ioan. non dicit, Quorum peccata remissa declaraueritis, sed, Quorum remiseritis peccata: qui autem peccata tantùm remissa declarat, non remittit: Ergo Christus Apostolis auctoritatem, ministerialem tamen, remittendi vel retinendi peccata tribuit; non tantùm remissa, vel retenta declarandi. Quod & confirmatur illo Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Qui enim aliquem tantùm à vinculis solutum, vel illis ligatum declarat, non ligat, neque soluit. Item illo Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram. &c.* Si enim Petro datæ sunt claues regni cœlorum, per illas cœlum aperire, vel claudere tanquam Dei Minister potuit, non tantùm cœlum apertum declarare. Et consequenter alij, ad quos à Petro & alijs Apostolis similis potestas deriuata est, verè aperiunt, vel claudunt cœlum, dum hominum peccata vel soluunt, vel ligant.

DICES: Etiamsi ex Christi verbis colligeretur, confessionem peccatorum coram Sacerdotibus esse faciendam, vt quis absoluatur; non tamen sequereturconfessionem necessariò esse faciendam, vt quis remissionem peccatorum obtineat. Quia vt Caietanus in cit. loc. Ioan. docet, Dominus non præcipit, vt quæramus remissionem peccatorum à Ministris; sed tantùm dat illis facultatem retinendi, vel remittendi peccata confitentibus illa. Ergo ex Christi verbis non rectè concludi-

tur, confessionem peccatorum ex præcepto Dei necessariò esse faciendam.

RESPONDEO: Præceptum, quo Sacerdotibus peccata confiteri obligamur, verbis quidem Christi non exprimi, ex illis tamen efficaciter deduci: quod Caietanus non negat, sed potiùs tacitè concedit. Nam si ordinariè peccata Sacerdotibus confitenda non essent, posset quis, voluntariè omissâ Sacerdotum absolutione, à peccatis absolui: Sed hoc ordinariè fieri non posse ex illis verbis sequitur: *Quæcumque ligaueritis, erunt ligata.* Si enim quæcumque ligant Ecclesiæ Ministri, ligata manent in cœlo; ergo quæcumque non soluunt, ordinariè non remittuntur. Quia ligare non est hic positiuè peccatorum vinculis innodare; sed vincula jam contracta retinere, siue non soluere. Item qui alicui domus suæ claues demandat, satis indicat neminem absque illius permissione in domum ingressurum. Si enim absque clauibus ingredi quis posset, officium clauium frustaneum foret. Sed Christus regni cœlestis claues Ministris Ecclesiæ demandauit: Ergo absque eorum apertione, quæ per absolutionem fit, peccator ordinariè cœlum ingredi non potest. Vnde S. Augustinus Homil. 49. rectè ait: *Nemo sibi dicat: Occultè ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium, frustramus verba Christi.*

Addamus & confirmationes ex ipsa doctrina Confessionis August. Si Confessio priuata propter absolutionem retinenda est, sequitur illam esse juris diuini: Sed prius asserit Confessio August. Art. XXV. dicens: *Verùm Confessio, cùm propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum vtilitates apud nos retinetur.* Ergo & prius verum est: quia eiusdem iuris sunt finis, & medium ad finem.

Dicent Confessionistæ, hîc non agi de Confessione, quæ sit enumeratio omnium peccatorum, etiam quorum conscientia habetur; sed quorumuis pro libitu pœnitentium. Sed quonam Scripturæ loco talis Confessio probatur? An non effi-

Digitized by Google

efficaciter ex hac doctrina colligimus: Si absolutio priuata requirit confessioné priuatam, ergo omnium priuatorum peccatorum absolutio, omnium & singulorum, quæ sciuntur, confessionem requirit? Vel ostendant ipsi aliquorum tantùm peccatorum confessionem diuinitùs esse institutam.

Dicent prætereà, hanc ipsam confessionem priuatam, qua vtuntur, esse liberam: sic enim loquitur Apologia: *Quamquam confessionem probamus, & quandam examinationem prodesse judicamus, vt institui homines meliùs possint; tamen ita moderanda res est, ne conscientijs injiciantur laquei: quæ nunquam erunt tranquillæ, si existimabunt, se non posse consequi remissionem peccatorum, nisi factâ illâ scrupulosâ enumeratione.* Sed si aliquorum peccatorum specialium confessio necessaria est, cur non omnium, quorum quis conscientiam habet? Quo Scripturæ testimonio probant, aliqua peccata ante absolutioné, & non omnia quæ confiteri quis potest, esse recensenda? Quod autem aliqua necessariò recensenda sint probatur 1. Quia malè facerent Confessionistæ, non admittendo ad communioné, nisi ante confessos, si confessio libera foret: Sed Augustana Confessio Art. XXV. dicit: *Non solet porrigi Corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis*, & consequenter confessis: ibidem enim addit, propter absolutionem retinendam esse Confessionem. Et Art. de Missa: *Nulli admittuntur*, inquit (ad Cœnam) *nisi antea explorati, & auditi.* 2. Si Confessio priuata libera est, tunc & absolutio priuata libera est (quia vbi nulla est priuata confessio, ibi nec priuata absolutio) Sed priuatam absolutionem non esse liberam docet Apologia, dicens: *Nam & nos confessionem retinemus, præcipuè propter absolutionem, quæ est Verbum Dei, quod de singulis auctoritate diuina pronuntiat potestas clauium. Quare impium esset ex Ecclesia priuatam absolutionem tollere. Neque quid sit remissio peccatorum, aut potestas clauium intelligunt, si qui priuatam absolutionem aspernantur.*

Pluribus sententiæ nostræ probationibus breuitatis causâ abstineo, expectans vt Aduersarij manifestis Scripturis probent, suam confessionem, & priuatam absolutionem, quam

citra impietatem tolli non posse sentiunt, potiùs esse juris diuini, quàm Confessionem in Ecclesia Romana vsitatam.

Ad S. Chrysostomum in August. Confess. propositum

RESPONDEO I. Ipsum multis locis ita loqui, quasi contra confessionem apud nos vsitatam ageret; sed aut nobiscontrarius non est, aut non minùs Confessionistis, quàm nobis. Cùm enim dicat, delicta pronuntianda, non linguâ, sed conscientiæ memoriâ, si verba ista vt sonant intelligenda sunt, ipsi Confessionistæ, dum linguâ quædam peccata pronuntiant, contra hanc Chrysostomi doctrinam agunt. Dicere quidem possent, Chrysostomum nihil aliud velle, quàm confessionem non necessariò lingua faciendam; sed esse cuique liberam. Verùm præterquàm quòd S. Chrysostomus plus indicat, Homil. 4. de Lazaro dicens: *Caue homini dixeris, ne tibi exprobret*; quamuis illud verum esset, cum doctrina tamen Confessionistarũ non cohæreret. Quia si liberum est homini linguâ confiteri, confessio talis omnino omitti potest. Sed confessionem priuatim faciendam, vt & priuatam absolutionem citra impietatem omnino omitti non posse docet Apologia: Ergo, &c.

RESPONDEO II. Cum Theologis Catholicis, qui in Comitiis Augustanis ad Confessionem responderunt, S. Chrysostomum de publica confessione loqui. Id enim indicant ista ipsius verba: *Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, &c.* Quod & pluribus locis, quæ nobis Aduersarij obiicere solent, insinuat: Vt Homil. 2. in Psal. 50. *Non dico, vt confitearis conseruo tuo, qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea.* Nam post confessioné priuatã exprobratio nõ habet locum. Et Homil. 5. de Incomp. nat. Dei: *Non te*, inquit, *in theatrum conseruorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete coram Deo conscientiam tuam, & explica.* Item Homil. 4. de Lazaro: *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi soli dic peccatum priuatim.*

IN-

Digitized by Google

INSTABIS: Chrysostomus satis indicat, nullam cõfessionem coram hominibus esse necessariam, dum confessionem soli Deo factam sufficere docet.

RESPONDEO, S. Chrysostomum non de confessione sacramentali, sed de quotidiano hominum exercitio loqui; ad quod non opus esse dicit, se coram hominibus confundere; sed coram Deo peccata sua confiteri. Ideò enim Homil. 2. in Psal. 50. dicit: *Si confunderis alicui dicere quia peccasti; dicito ea quotidiè in anima tua.* Et Homil. 41. ad populum: *Nil ita corrigit peccatum, sicut perennis memoria, nihil tam segnem facit hominem ad malum. Scio quòd resilit conscientia, nec à malorum memoria vellet flagellari; sed animam comprime. &c. Reuela Domino viam tuam, ea coram Deo confitere, coram Iudice confitere peccata tua deprecans. Et si non linguâ, saltem memoriâ.* Eodem pertinet illud Homil. de Pœnit. & Confess. *Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus confiteri, cogitatione fiat delictorum exquisitio, absque teste sit hoc judicium. Solus te Deus confitentem videat.* Huius ergo confessionis quotidianæ vtilitatem & facilitatem commendat, & ideò dicta Homil. 2. in Psal. 50. inquit: *Quid graue, aut quid molestum, positum in lecto quotidianè deflere peccata?*

De confessionis autem Sacerdoti faciendæ omissione agens Homil. 33. in Ioan. dicit: *Commisisti aliquod scelus, aut animo agitasti: homines celas, non Deum: & nihil curas: oculos hominum formidas.* Et paulò pòst: *Vos autem hortor dilectissimi, vt etsi nemo opera nostra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, & judicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant; nisi velint in die illa horrenda vniuerso orbi manifestè patere. Sanentur jam vulnera, sumatur Pœnitentiæ medicina.* Et quamuis hæc verba ad confessionem Deo faciendam trahi possint, non est tamen dubium, quin S. Chrysostomus de confessione Sacerdotibus priuatim facienda alijs orthodoxis, & antiquioribus se Patribus consenserit, qui communiter hanc confessionem Exomologesin appellarunt: vt Irenæus lib. 1. c. 9. de muliere quadam à Mago corrupta agens:

Cùm

Cùm magno, inquit, *labore eam fratres conuertissent, omne tempus in Exomologesi consummauit, plangens, & lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc Mago, corruptelam.* Et S. Cyprianus Serm. 5. de Lapsis: *Quicumque ederit,* inquit, *panem, aut biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Spretis his omnibus, atque contemptu, vis infertur Corpori eius, & Sanguini eius. Plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt. Ante expiata delicta, ante Exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini, & minantis pacem putant esse.* Et infra: *Quantò, & fide maiore, & timore meliore sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, Exomologesin conscientiæ suæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet, & modicis vulneribus exquirunt; scientes scriptum esse: Deus non irridetur.* Ergo Exomologesin, siue confessionem Sacerdoti faciendam necessariam esse docet, etiam in istis delictis, quæ adeò publica non sunt, vt sola cogitatione sint commissa. Et ibidem narrat, per miraculum aliquando sub communione occulta crimina, in confessione celata, patefacta fuisse: *Tanta,* inquit, *est potestas Domini, tanta maiestas, secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At verò ea quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus latenter obrepsit; non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia intra fauces & pectus admittens, angi & animâ exæstuante concludi postmodum cœpit: & pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quæ fefellerat hominem; Deum sensit vltorem. Et cùm quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et quidam alius, & ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote celebrato partem cum*

rum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Dei edere; & contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus inuenit.

Itaque falsum est, quod Philippus in locis, titulo de Confessione dicit: *Græca Ecclesia jam olim aboleuit hunc morem* (peccata sigillatim confitendi) *propter stupratam à Diacono mulierculam, vt recitat historia trip.* Sozomenus enim lib. 9. hist. trip. c. 35. manifestè de publica confessione loquitur: ait enim: *Visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur.* Porrò confessionis alicuius necessitatem jure diuino obligantem ibidem agnoscit dicens: *Quoniam omnino non peccare diuinum, & vltra naturam humanam esse cognoscitur; peccantibus autem & pœnitentiam agentibus veniam Deus dari præcepit: qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt, &c.*

Neque verò peccatum mulieris, nisi publicè confessa fuisset, populo innotescere potuisset: Et Socrates, qui eo tempore se vixisse testatur, quo Nectarius Presbyteros, qui pœnitentijs præerant, ob hanc causam remouit, lib. 5. hist. Eccl. c. 19. factum istud hoc modo recenset. *Mulier quædã nobilis ad Presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata quæ post Baptismum admiserat particulatim confitetur* (per confessionem priuatam videlicet: eidem enim quædam peccata priuatim, quædam publicè confiteri solebant: & ideò Sozomenus ad hoc officium *bonæ conuersationis, seruantemque secretum, ac sapientem virum* selectum fuisse refert) *Presbyter mulieri mandatum dat, vt ieiunijs, & continuis precibus se dederet; quò vnà cum peccatorum confessione opus dignum pœnitentiâ ostenderet. Mulier longiùs in confitendo progressa* (publicè videlicet, cùm non teneretur) *alterius culpæ seipsa insimulat: docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormiuisse. Ob quod facinus hoc modo patefactum Diaconus ab Ecclesia eiectus est: tumultus inde in populi multitudine excitatus. Nam indignabantur non solùm de admisso flagitio; verùm etiam quòd inde grauis infamia & contumeliæ nota Ecclesiæ inusta esset. Itaque cùm Sacerdotibus ob hanc causam esset vehementer obtrectatum, Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter Episcopo Nectario dedit consilium, vt Presbyterum*

 pœniten-

pœnitentiarium tolleret, & liberam daret potestatem, vti pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet. (citra publicam videlicet confessionem, vt sequens ratio probat) *Nam eo pacto solùm futurũ esse, vt Ecclesia omni maculâ careret infamiæ.* Hæc autem non ex priuata sed ex publica confessione oritur. Quod & confirmatur ex censura, quam ipse Socrates Eudæmoni super factum eius dedisse se testatur, his verbis: *Consilium tuum, O Presbyter, Ecclesiane profuerit, an secus; Deus viderit. Illud tamen planè animaduerto, te ansam dedisse, vt alter alterius peccata minimè coarguat, nec obseruet illud præceptum Apostoli: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magis autem redarguite.* Ergo satis indicat, populo subtractam hac ratione occasionem peccata publicè patefacta redarguendi, & diligentiùs ea cauendi. Denique ibidem hoc, quod per Nectarium abrogatum est, appendicem vocat, quam antiquo Canoni Episcopi adiunxerunt. Itaque cùm à nemine factum Nectarij retractatum esse legamus, & constet priuatam confessionem apud Græcos posteà semper vsitatam fuisse; rectè concludimus, ipsum publicam tantùm confessionem sustulisse.

Fatemur nihilominùs non solam Glossam in Confessione citatam, sed quosdam alios auctores existimasse, Confessionem peccatorum non esse Iuris diuini. Sed eorum apud nos tanta non debet esse auctoritas, vt longè plurium, & in re ista magis versatorum auctoritatem, atque insuper Ecclesiæ Catholicæ per generalia Concilia decisionem conuellere debeat. Vt ergo verum sit, quod in Apologia Articuli XI. ait Philippus: *Nos sentimus enumerationem peccatorum non esse necessariam jure diuino, idque placet Panormitano, & plerisque aliis eruditis Iurisconsultis;* hoc tamen nos nulla ratione premere potest: quia tales res, per se obscuræ & dubiæ, non per Iurisconsultorum opiniones, sed per Ecclesiæ & Cõciliorum decisiones nobis certò & infallibiliter proponuntur.

QVAESTIO IV.

De Satisfactione.

Obseruan-

Digitized by Google

OBseruandum est, nos de Satisfactione non sentire, quòd homo suis operibus, ante gratiæ iustificantis infusionem factis, pro peccatis suis satisfacere possit. Quamuis autem aliqui Scholastici sentiant, per opera ex gratia gratum faciente facta hominem pro culpa simul & pœna æterna satisfacere; eò quòd talia opera peccatorum remissionem naturâ præcedere possint. Quia tamen tales subtilitates ab Aduersariis in alienos sensus trahi solent, maluimus apertè dicere, culpam simul & pœnam æternam illi debitam ex gratuita Dei misericordia, & perfecta Christi satisfactione homini credenti, & pœnitentiam agenti condonari. Ipsum verò hominem pro sola pœna temporali, quæ remissâ culpâ reliqua esse solet, satisfacere: idque satisfactione non perfectâ, & æquali; sed quæ in acceptatione Dei, & meritis Christi fundetur. Quæ doctrina in Ecclesia nostra adeò manifestè proponitur, vt Philippus in Apologia hoc modo loquatur: *Sed tamen fatentur Aduersarij, quòd satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ: verùm fingunt satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas seu purgatorij, seu alias. Sic enim docent, in remissione peccati Deum remittere culpam, & tamen, quia conuenit iustitiæ diuinæ punire peccata, mutare pœnam æternam in pœnam temporalem.* Viderint autem Confessionistæ, qua ratione cum his verbis cohæreat, quod posteà dicit: *Mors Christi non est solùm satisfactio pro culpa, sed etiam pro æterna morte; juxta illud: Ero mors tua, ô mors! Quid est igitur monstri dicere, quòd Christi satisfactio redimat culpam, nostræ pœnæ redimant mortem æternam? Vt iam illa vox: Ero mors tua, intelligi debeat non de Christo, sed de nostris operibus.* Ostendendum autem est hoc loco I. Remissâ culpâ mortali pœnæ temporalis reatum aliquem remanere solere. II. Hominem à reatu culpæ justificatum pro pœna illa per opera sua, modo jam dicto, satisfacere posse.

CONCLVSIO I. Remissâ culpâ mortali communiter pœnæ temporales luendæ supersunt. Dixi, communiter, quia aliquando cum culpa omnis simul pœna remittitur, vt per Baptismum, martyrium ex charitate Dei susceptum,

Aut perfectam valdè contritionem: de qua re in Apolog. Philippus: *Fatentur Aduersarij, contritionem posse tantam esse, vt non requiratur satisfactio.* Probatur autem I. exemplo Adami, cui, postquam peccatum remissum est, adhuc pœna pro peccato inflicta fuit, illa videlicet Genes. 3. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane.* Et, *Puluis es, & in puluerem reuerteris, &c.* Quæ pœna laboris, afflictionum, morborum, & mortis adhuc in posteris Adæ perdurat, quamuis culpa ex ipso tracta remissa sit. Porrò mortem esse pœnam peccati Adæ nemo negare potest; quia Apostolus Rom. 5. 12. dicit: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.*

II. Exemplo Dauidis, qui ob duplex peccatum post remissionem culpæ punitus fuit. 2. Reg. 12. propter adulterium, & cap. 24 propter numerationem populi. Priore enim loco cùm iam dixisset ei Nathan: *Transtulit Dominus peccatum tuum,* morte filij punitus est: posteriore receptus à Deo in gratiam optionem facere debuit, quodnam ex tribus malis, bello, fame, & peste, eligeret. Atque hæc in pœnam peccatorum præcedentium, non tantùm in emendationem à Deo inflicta esse constat ex verbis Prophetæ, priore loco dicentis: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbũ hoc filius qui natus est tibi morte morietur.* Quando ergo S. Chrysostomus Homil. de Pœnit. & Confess. inquit: *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium; sed ad futura nos corrigens*: sensus comparatiuus est, hoc modo: Non tam de peccatis sumens supplicium, quàm ad futura nos corrigens. Sicut in illo Matth. 10. 20. *Non vos estis qui loquimini; sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

III. Vt alia Scripturæ exempla omittam, locus manifestus est 1. Cor. 11. 30. vbi de ijs, qui indignè ad mensam Domini ante accesserant, dicit Apostolus: *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quos tamen ante mortem Deo reconciliatos fuisse colligimus ex his v. 32. verbis: *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo dam-*

Digitized by Google

do damnemur. Si enim tales à Domino per mortem correpti ante reconciliati non fuissent, cum hoc mundo dānati essent.

DICES: Cui remissa sunt peccata, ille Deo reconciliatus est: Sed à quo adhuc exigitur pœna, ille non est perfectè reconciliatus; manet enim offensa aliqua, quæ pœnam exigit: Ergo cùm homini remissa sunt peccata, nulla illi pœna luenda superest. Ita Kesletus in Papismo pag. 230.

RESPONDEO: Reconciliationem fieri respectu inimicitiæ, quæ inter Deum & hominem per peccatum nascitur; & hanc inimicitiam per reconciliationem tolli: vt colligitur ex illo Rom. 5. 10. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Nihil tamen obstat, quò minùs Deus ei, quem in gratiam recepit, pœnam adhuc aliquam reseruet; sed potiùs summæ misericordiæ adscribendum est, quòd, cùm æternam pœnam iure suo peccatori infligere posset, hanc illi condonet: eâ tamen ordinariè conditione, vt pœnam aliquam leuem respectu æternæ, qua aliqualiter iustitiæ diuinæ, virtute tamen meriti Christi, satisfiat, & frœnum hominibus injiciatur, ne, si tam facilem peccatorum, & omnium pœnarū illis debitarum remissionem obtineant, peccata tanquam leuia contemnant, & in ea sæpiùs prolabantur. Reatus autem iste pœnæ, qui remissâ culpâ in homine manet, non est propriè offensa Dei; sed offensæ iam remissæ effectus, ex iusta ordinatione in homine reconciliato relictus.

CONCLVSIO II. Non tantùm afflictionibus cœlitùs immissis, & patienter toleratis, sed etiam operibus laboriosis voluntariè susceptis, vel à Sacerdote in pœnitentiæ Sacramento impositis, redimi possunt pœnæ temporales, in hac vel futura vita luendæ. Non quòd omnis pœna temporalis, propter peccata à Deo constituta, semper redimi possit; sed quòd pleræque per opera bona redimantur, & quòd sine talibus operibus grauiùs hîc, vel in futuro luere deberemus. Vt enim de pœna Dauidis, quam ipse humi cubatione, ieiunio, lacrymis frustra auertere conatus est, nihil dicam; mors pœna temporalis est, propter peccatum Adæ iam remissum

omnibus hominibus constituta: & illa nullis hominum operibus auerti potest.

Probatur autem Conclusio I. Quia Niniuitæ, cùm ob peccata subuersionem vrbi suæ post quadraginta dies imminere intellexissent, ad pœnitentiam conuersi, ieiuniis, saccis, & precibus pœnam illam auerterunt. Ionæ 3. De quo exemplo ait ipsa Apologia: *Huc pertinet exemplum Niniuitarum, qui suâ pœnitentiâ reconciliati sunt Deo, & impetrauerunt ne deleretur ciuitas.*

II. Daniel c. 4. cùm ex somnio Nabuchodonosoris prædixisset, graui ipsum pœnâ temporali propter peccata plectendum, hoc modo illum allocutus est: *Rex, consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime.* De quo loco in Apolog. de Iustif. dicitur: *Quidam interpretantur Danielem de remissione pœnæ, cum ait: Redime peccata eleemosynis. Ita nihil contra nos faceret Daniel.* Atqui nos dicimus, non ipsam culpam, sed solam pœnam eleemosynis & alijs bonis operibus redimi posse; vt testatur eadem Apologia de Confess. & satisfact. *Fatentur Aduersarij, quòd satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ, sed ad redimendas pœnas.* (quamuis more suo etiam contrarium de nobis afferat) Ergo si Apologiæ verba ante recitata vera sunt, nostra de satisfactione doctrina nihil contra Confessionistas facere debet.

III. Probatur ex illo 1. Cor. 11. 31. *Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* De quo similiter Apologia tit. de Iustif. statim post verba jam adducta ait: *Quòd si illi concedent, remissionem culpæ gratis contingere per fidem; nos postea facilè largiemur, pœnas quibus castigamur mitigari bonis operibus, & totâ pœnitentia: juxta illud: Si nos judicaremus, non judicaremur à Domino.* Sed nos concedimus gratis, non propter opera contingere hominibus pœnitentibus & credentibus remissionem peccatorum: Ergo & Confessionistæ concedere debent, pœnas temporales, quas ob peccata etiam remissa infligere solet Deus, per opera satisfactoria mitigari.

Et confirmatur ex Luthero, qui in Assertione Art. V. dicit:

ait: Hoc libens concesserim, quòd Ecclesia Mater, pio affectu præuentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam; ne incurrant flagella Dei. Sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis præuenerunt iudicium Dei.

DICES I. Cum Apologia, non sequitur à ministris Ecclesiæ imponendas pœnitentibus satisfactiones; quia Christus dicens: *Quæcumque alligaueritis, &c.* tantùm de peccatis eorum retinendis loquitur, qui non conuertuntur. Itaque præter mortificationem, quæ per crucem fit, voluntarium exercitij genus cuiuslibet conscientiæ relinquendum est.

II. Superstitiosè fingitur, satisfactiones esse opera indebita, siue supererogationis: *Quia vera orationes, vera eleemosynæ, vera ieiunia habent præcepta Dei: & vbi habent præceptum Dei, non possunt sine peccato omitti. Verùm illa opera, quatenus non sunt præcepta legis Dei, sed habent certam formam ex humano præscripto, sunt opera traditionum humanarum, de quibus Christus dicit: Frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.*

RESPONDEO I. Quemque pro suæ conscientiæ dictamine opera satisfactoria, vt fructus pœnitentiæ, assumere posse: nihilominùs ipsis Sacerdotibus, quia ligandi & soluendi hominis à peccatis potestatem acceperũt, propriè competere, vt pœnitentibus opera quædam satisfactoria imponant. Neque enim tantùm soluendi, sed & ligandi potestas illis concessa est: qua non solùm culpas ipsas ligare, siue non remittere possunt; sed etiam dum remittunt ad opera quædam laboriosa, pœnas temporales expiatura vel mitigatura, alligare. Talia enim opera in pœnitentia requirit Ioannes, dum Matth. 3. ait: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: quod ipsa Apologia fatetur tit. de Confess. & satisfact. inquiens: *Nulla est interior pœnitentia, nisi foris pariat etiam castigationes carnis.* Et hanc dicimus esse sententiam Ioannis cùm ait: *Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et Christi cùm inquit: Agite pœnitentiam.* Cùm ergo fructus lacrymarum, & aliorum operum laboriosorum peccatis proportionati esse debeant (hoc enim significat dignos pœnitentiæ fructus facere) quibus potiore

jure

jure tribuendum est, vt pœnitentes in talibus fructibus producendis dirigant, quàm quibus ipse Christus peccata soluendi & ligandi potestatem dedit? Vnde præter alios Patres S. Gregorius lib. 3. in 1. Reg. explicans c. 7. ait: *Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cùm Sacerdotis fuerit judicio imperata, cùm ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.*

RESPONDEO II. Quamuis jejunia, orationes, eleemosynæ, & alia bona opera à Deo præcepta sint; ad ea tamen exequenda non semper obligati sumus, sicut nec ad alia præcepta affirmatiua, sed quando occasio ad ea implenda vrget. Itaque si quis eo tempore oret, quo alteri rei licitè vacare posset; aut eleemosynam det, quam licitè posset non dare; aut ieiunet, cùm licitè posset comedere, &c. facit opus indebitum: quod ideò supererogatorium dicitur, quia plus facit, quàm ex præcepto facere tenetur. De qua re ipse Philippus in locis tit. de Satisfact. ita scribit: *Fieri & hoc potest, vt aliquis pius faciat opera non debita, hoc est, vt largiatur, vbi sine conscientiæ offensione poterat non largiri: sicut Paulus gratis prædicabat Euangelium, cùm ei liceret poscere victum. Hæc sunt egregia opera libertatis spiritus, & sunt magna merita. Nec prohibeo quò minùs vocentur opera supererogationis.*

QVAESTIO V.

De calumnijs Augustanæ Confessionis in hoc Articulo.

I. CAlumnia in Confess. orig. est Art. XI. in quo insinuatur, quòd impossibilem peccatorum enumerationem in Confessione exigamus: cùm tantùm requiramus, vt quis confiteatur ea peccata, quæ post diligentem conscientiæ discussionem occurrunt.

II. Calumnia est Art. XII. Quòd doceamus remissionem peccatorum non per fidem contingere, sed jubeamus homines mereri gratiam per satisfactiones suas. Neque enim dicimus,

Digitized by Google

cimus, homines per satisfactiones suas mereri gratiam; sed gratiâ diuinâ instructos pro pœnis temporalibus satisfacere, propter acceptationem ac promissionem Dei. Quando autem SS. Patres ita loquuntur, quasi lacrymis, & alijs operibus bonis ex inimicis amici Dei reddamur, & culpas expiemus; de merito congruo, non condigno interpretandi sunt. Deus enim hominem de peccato suo dolentem, & ad se recurrentem ex miseratione in gratiam recipit; & ipse iste dolor ac recursus gratiæ Dei ascribendus est.

III. Calumniatur Apologia Art. XI. Ipsum Imperatorem & Catholicos Principes: *Hac sententia* (quòd solâ fide reconciliemur Deo) *multas pias mentes erexit, & initio commendationem maximam apud omnes bonos viros attulit Luthero.* Ergo Carolus V. & Principes Catholici, qui Lutherum ob hanc doctrinam non commendârunt, sed vt hæreticum habuerunt, bonorum virorum numero excludit Apologia.

IV. Omnes Scriptores Catholicos ante Lutherum falsò accusat: *Anteà tota vis absolutionis erat oppressa doctrinis operum, cùm de fide & gratuita remissione nihil docerent Sophistæ & Monachi.* Quasi verò vllus Catholicorum ante Lutherum docuerit, sine fide & gratia hominem Deo reconciliari.

V. Art. XII. *Omnes,* inquit, *boni viri omnium Ordinum, ac Theologici ordinis etiam haud dubiè fatentur, ante Lutheri scripta confusissimam fuisse doctrinam pœnitentiæ. Extant libri Sententiariorum, vbi sunt infinitæ quæstiones, quas Theologi nunquam satis explicare potuerunt. Populus neque rei summam complecti potuit, nec videre quæ præcipuè requirerentur in Pœnitentia.* Scilicet ante Lutherum nemo pœnitentiam egit: ipse primus docere cœpit, quis sit pœnitentiæ etiam inter pocula agendæ modus. Fatemur multas apud Scholasticos de pœnitentia, vt & de alijs articulis fidei, esse quæstiones; sed istæ doctrinam fidei confusam non faciunt, nec populum impediunt, quo minùs rei summam capere possit. Sicut enim plurimæ quæstiones Theologicæ de mysterio Trinitatis non impediunt, quò minùs populus simpliciter credat, tres esse personas in Trinitate

 distin-

distinctas, vnam essentiam Dei; ita quæ de pœnitentia inter doctos disputantur non impediunt, quò minùs populus credat ad pœnitentiam hæc esse necessaria, vt ex corde de peccatis doleant, & per gratiã Dei emendare se proponant, cum fide & fiducia ad misericordiam Dei confugiant, peccata sua confiteantur, & dignos pœnitentiæ fructus, opera videlicet laboriosa, tum à Sacerdotibus imposita expleant, tum etiam sponte sua suscipiant. Quid hîc intricatum est, quod Oedipo diuinatore indigeat?

Non ignoramus tamen, quosdam Scholasticos circa hanc materiam non vbique rectè sensisse: vt ij, qui non culpæ, sed pœnæ tantùm laxandæ, vel imponendæ potestatem juridicam Sacerdotibus tribuerunt. Sed nec Confessionistæ potestati clauium tantum concedunt, quantum isti; dum solâ fide peccata remitti asserunt: per absolutionem autem tantùm denuntiari quòd remissio facta sit. Sic enim loquitur Reihing. Aran pag. 111. *Eam tantùm potestatem acceperunt Apostoli, vt supremi Iudicis sententiam hominibus denuntient, & verè pœnitentes ac fideles diuino judicio absolutos, impœnitentes damnatos declarent.*

VI. Dicit Apologia, nos docere, *quòd per bona opera extra gratiam facta mereamur ex pacto diuino gratiam.* De qua re videri possunt, quæ Art. VI. q. 1. dicta sunt.

VII. *Quòd per attritionem mereamur gratiam.* Falsum est nos hoc docere: quia sentimus, quod Concil. Trid. Sess. 14. c. 4. docet: *Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.* Neque tamen sententia Scoti in

4. Dist.

4. Dist. 14. q. 2. qua docet, attritionem, in fide videlicet & fiducia fundatam, de congruo mereri remissionem peccatorum, improbabilis est.

Ex his sequitur, & VIII. hanc sententiam per calumniam nobis affingi: *Quòd ad deletionem peccati sola detestatio criminis sufficiat.*

IX. Similis ratio est huius pronuntiati: *Quòd per contritionem, non fide in Christum, consequamur remissionem peccatorum.* vt ex cit. loc. de Iustif. patet. Neque enim vera contritio absque vera fide esse potest, neque quidquam à Deo nisi merito passionis Christi impetrare.

X. Hæc propositio: *Quòd potestas clauium valeat ad remissionem peccatorum, non coram Deo, sed coram Ecclesia,* non est vniuersalis Ecclesiæ sententia, sed personalis opinio Gabrielis in 4. dist. 18. a. 2. concl. 3. Nec tamen talem sensum habet, qualem prima facie indicare videtur, & in quali illam Apologia allegat. Quia sententia Gabrielis est, ad pœnitentiam perfectam contritionem requiri, & proinde remissionem peccatorum ordinariè supponi, antequam homo absoluatur: per absolutionem autem declarari, quòd coram Deo absolutus sit, si veram contritionem habuerit, vel in eodem instanti, quo absoluitur habeat. Quo casu primam gratiam simul vigore contritionis & absolutionis conferri asserit concl. 2. Interim in conclusione prima docet, ad perfectam contritioné requiri confessionem & absolutionem in voto: Prætereà concl. 2. & 6. absolutionem non esse inanem, quia nouum gradum gratiæ confert, qui sine ipsa non conferretur.

XI. Falsum est nos docere: *Quòd Canonicæ satisfactiones prosint tanquam compensatio ad tollendam culpam.* Vt ex dictis manifestum est.

XII. Similiter: *Quòd susceptio Sacramenti ex opere operato, sine bono motu vtentis, hoc est, sine fide in Christum conferat gratiam.* Vt ex ijs, quæ de Sacramentis in communi dicta sunt, constat. Et quamuis doceremus, homines per attritionem iustificari, non tamen sequeretur iustificari sine fide, & fiducia

Sss 2 in

in Christum: quia vera attritio sine illis esse non potest.

XIII. Per calumniam dicit Apologia, Catholicos DD. in Confutatione Confessionis sic argumentari: *Christus inquit: Agite pœnitentiam; Apostoli prædicant pœnitentiam: Igitur pœnæ æternæ compensantur satisfactionibus nostris: Igitur claues habent mandatum remittendi partem pœnarum purgatorij: Igitur satisfactiones redimunt pœnas purgatorij. Quis docuit istos asinos hanc Dialecticam?* Sed quis docuit Philippum hanc impudentiam, hanc mentiendi libidinem? Nihil enim aliud ex dictis locis colligunt isti DD. quàm opera satisfactoria à pœnitentibus requiri: quia videlicet qui pœnitentiam agit, opera quædam laboriosa suscipere debet, vt ipse Christus insinuat, dum modum pœnitendi describens Matt. 11. ait: *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Et ipsa Apologia fatetur hac sententia, *Agite pœnitentiam*, totam pœnitentiam cum fructibus bonorum operum, & mortificatione carnis significari. Vt ex quæst. superiore constat. Porrò nec de compensatione pœnæ æternæ, nec de pœnis quæ in purgatorio luuntur vllam mentionem faciunt Catholici DD. sed tantùm de bonis operibus in hac vita explendis, vt pro pœnis temporalibus satisfaciamus: & ita concludunt: *Sic igitur Christus pro nobis satisfecit, vt & nos simus bonorum operum sectatores.*

Sed quia longũ foret singula persequi, ad alia transeamus.

ARTICVLVS XIV.
DE ORDINE ECCLESIASTICO.

CONfessionis August. Articulus XIV. pauca ista verba de hac materia habet: *De ordine Ecclesiastico docent, quòd nemo debeat in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.* Quibus hanc appendicem in Confessione variata adiecit Philippus: *Sicut & Paulus præcipit Tito, vt in ciuitatibus Presbyteros constituat.*

Ad

Ad quem Articulum reſponderunt Catholici: *In hac ſententia Confeſſio acceptatur. Admonendi tamen ſunt, vt in ea perſeuerent; vt neminem neque Paſtorem, neque Concionatorem niſi ritè vocatum in ditionibus ſuis admittant.* Legitimam autem vocationem fieri ibidem addiderunt, *qua ſecundùm formam iuris, iuxta Eccleſiaſticas ſanctiones, atque decreta fit; non per plebis tumultum, aut quamlibet inordinatam intruſionem.* Ad quod reſpondet Apologia: *Articulum X I V. ita recipiunt, ſi tamen vtamur ordinatione Canonicâ. Hac de re in hoc Conuentu ſæpè teſtati ſumus, nos ſummâ voluntate cupere conſeruare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos, etiam humana authoritate. Scimus enim bono & vtili conſilio à Patribus Eccleſiaſticam diſciplinam, hoc modo vt veteres Canones deſcribunt, conſtitutam eſſe. &c. Sed ſæuitia Epiſcoporum in cauſa eſt, quare alicubi diſſoluitur illa Canonica politia; quam nos magnoperè cupiebamus conſeruare. &c.*

Hìc breuiter diſcutiendum eſt, Vtrùm Lutherus ipſe, & Philippus, & conſeqnenter omnes qui ipſis in Cathedra ſucceſſerunt, fuerint legitimè ad id docendum, quod docuerunt, & quod adhuc docent, à Deo vocati?

QVAESTIO VNICA.

Vtrùm Lutherus, Philippus, & eorum Diſcipuli fuerint legitimè ad id docendum, quod ante centum annos docere cœperunt, vocati?

Dixi, ad id docendum, quod docere cœperunt; quia non ſufficit aliquem in Eccleſia legitimè vocatum, & ordinatum eſſe, vt doctrinam ſuam mundo perſuadeat; ſed oſtendere debet, ſe vocatum ad id docendum, quod docet. Aliàs enim omnes ferè Hæreſiarchæ, qui à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque extiterunt, legitimè ſe vocatos dicere poſſent. Nam vel Epiſcopi, vel Presbyteri ante in Eccleſia ritè ordinati plerumque fuerunt.

Eſt autem duplex vocatio Dei: ordinaria videlicet, & extraordinaria. Ordinaria fit per homines, poteſtatem ad id à Deo habentes: de qua eſt illud Pauli, cuius Philippus in

Confessione Variata mentionem facit: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* ad Tit. 1. 5. Extraordinaria fit immediatè à Deo, per quam vocati & missi sunt Apostoli, Matt. 10. Ostendam ergo I. Lutherum, Philippum, &c. ordinariâ potestate vocatos non esse. II. Ordinariam Vocationem illis non sufficere; sed extraordinariam, qua, vt Aduersarij fatentur, destituti fuerunt, illis necessariam fuisse.

CONCLVSIO I. Lutherus, Philippus, &c. non sunt per ordinariam potestatem ad id docendum, quod docuerũt, vocati. Probatur I. Quia ordinaria potestas ad aliud docendũ non vocat, quàm quod ordinariè, & continuè ante in Ecclesia doctum fuit: Sed Lutherus id non docuit, quod ante ipsum ordinariè doctum fuit; quia ante se inauditam in orbe doctrinam inuehere cœpit: Ergo per ordinariam potestatem non est ad illam vocatus. Minor ex dictis de Ecclesia manifesta est. Probatur Maior: Quia vocandi verbum nihil aliud significat, quàm aliquem secundùm vocantis intentionem accersere: sicut & mittere est ad aliquod certum negotium, vel locum ablegare. Vt ergo si quispiam Romam vocatus, citatus, vel missus abiret Constantinopolim; non posset dicere, se ad eum locum vocatum, vel missum esse: ita Lutherus ad Sacerdotium Catholicum vocatus, quia non secundùm illius Sacerdotij sensum prædicare cœpit, sed nouos sibi discipulos Laicos, vel Apostatas adiunxit, & contra totius orbis Christiani consensum docuit; non potest dici ipsum per ordinariam Ecclesiæ Romanæ potestatem ad Euangelii sui prædicationem vocatum esse. Aliàs enim omnes ferè hæretici similiter ad suorũ errorum prædicationẽ se vocatos dicere possent.

Iam verò tota antiquitas tanquam infallibilem hæreticorum notam semper obseruauit, si quis aliquid à se ipso, non acceptum à proximis maioribus, doceret, & se absque legitima Ecclesiæ ordinatione & missione nouiter intruderet, & à reliquis fidelibus diuideret (quod Lutherum fecisse non est dubium) Nam S. Cyprianus lib. de Vnit. Eccl. ait: *Per Apostolum*

Digitized by Google

postolum præmonet Spiritus sanctus & dicit: Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti sint in vobis. Sic probantur fideles sic perfidi deteguntur. &c. Hi sunt, qui se vltrò apud temerarios Conuenas (vt Lutherus apud Philippum, Carolstadium, &c.) *sine diuina dispositione præficiunt, qui se Præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante Episcopi* (Imò & Prophetæ, & Euangelistæ) *sibi nomen assumunt.* Et paulò pòst: *Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & eius Euangelio separari? Non enim nos ab illis; sed illi à nobis recesserunt. Et cùm hæreses & schismata postmodùm nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.* Et infra: *Auersandus talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. &c. An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersùs Sacerdotes Christi facit* (sicut fatetur hîc in Apolog. Philippus, doctrinam suam ordinarijs Ecclesiæ Episcopis contrariam esse) *qui se à Cleri eius, vel plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis altaris, aduersùs sacrificium Christi rebellis; pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus: contemptis Episcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis constituere audet aliud altare* (antiqua euertere) *precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare, nec scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuinâ animaduersione punitur. Sic Core, & Dathan, & Abiron, qui contra Moysen & Aaron Sacerdotem sacrificantes licentiam sibi vendicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus penderunt.*

Item lib. 1. Epist. 6. ait: *Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui, Euangelicâ & Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens à seipso ordinatus est. Habere namq; aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.* Et paucis interiectis: *Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? Aut Pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedaneâ præsidente, nemini succedens, & à seipso incipiens alienus fit & profanus?* Itaque

Itaque de Luthero initio docente rectè dicimus, quod Optatus Mileuitanus lib. 2. cont. Parmen. de Victore ait: *Erat ibi Filius sine Patre, Tyro sine Principe, Discipulus sine Magistro, sequens sine Antecedente, Inquilinus sine domo, Hospes sine hospitio, Pastor sine Grege, Episcopus sine Populo. &c.*

II. Probatur Conclusio: Quia Aduersarij Lutherum tripliciter vocatum asserunt: I. Cùm in Ecclesia Romana per Episcopum in Presbyterum anno 1507. ordinatus est. II. Cùm Anno 1512. publica doctoratus priuilegia accepit. III. Cùm ad Professuram Theologicã deinde vocatus est. Ita Frœreisenius de Ecclesia pag. 35. & Keslerus in Lutheranismo parte 1. q. 3. vbi sic argumentatur: *Quicumque ad Sacerdotium, Doctoratum, & S. Script. Professuram ab Ecclesia vocatus est, ille prædicationis suæ legitimam & ordinariam vocationem habet: Lutherus hoc modo ab Ecclesia vocatus est: Ergo &c.* Sed inprimis Minor in sententia Confessionistarum falsa est: quia Lutherus à Romano-Catholicis ad Sacerdotium & Doctoratum vocatus est, quos in Ecclesia non esse dicit Apologia huius Art. inquiens: *Ecclesiam esse scimus apud hos, qui Verbum Dei rectè docent, & rectè administrant Sacramenta; non apud illos, qui verbum Dei non solùm edictu delere conantur; sed etiam recta & vera docentes trucidant.* Quia ergo, vt ipsi existimant, tales quoque fuerunt, qui Lutherum ad Sacerdotium & Doctoratum vocârunt, sequitur ex ipsorum mente Lutherum non esse vocatum ab Ecclesia. Verùm ad Maiorem dico: Si illa vera est, omnes quicumque Presbyteri, vel Doctores in Ecclesia ante ordinati sunt, & posteà contra Ecclesiam docuerunt, legitimè se ad id vocatos dicere potuerunt. Nam & ab Ecclesia vocati sunt, & suâ opinione Euangelium purè prædicarunt. Certè Caluinum non minùs quàm Lutherum legitimè vocatum satis insinuat Frœreisenius, dum pag. 34. nihil solidi à me contra illum in Disp. de Eccl. adductum dicit. Hinc enim sic argumentor: Quæcumque contra vocationem Caluini adduci possunt, ea etiam contra vocationem Lutheri valent: & quibus argumentis Caluiniani Caluinum, ijsdem Lutherani Lutherum

therum defendunt. Sed quæcunque contra vocationem Caluini adducuntur, nihil soliditatis ex mente Frœreisenii habet: Ergo Caluinus, non minùs quàm Lutherus, ad ita prædicandum Euangelium, vt prædicauit, vocatus est. Vt enim Lutherani dicunt, Euangelium à Luthero purè prædicatum (si tamen ita eos depuduit, vt hoc dicere audeant) ita, & multò magis Caluinistæ de Caluino asserunt. Horum enim multi dicuntur Puritani, id est, Caluini doctrinam quoad omnia sequentes. Neminem autem Lutheranorum esse existimo, qui omnia Lutheri paradoxa, etiam nobis contraria, defendat.

Dico prætereà, per Sacerdotium & Doctoratum non conferri potestatem indeterminatam quiduis pro suo arbitratu docendi, &, si quidem Euangelio conforme esse quis existimet, tanquam doctrinam Euangelicam, etiam ijs qui docendi potestatem contulerunt reclamantibus, proponendi; sed potestas illa ad certum doctrinæ genus determinata est. Quis enim non videt, plerosque horum temporum, Lutheranorum quoque judicio manifestè hæreticos tali colore vocationem suam legitimam esse probaturos, si ad hanc vocationem sufficiat, quempiam ante in Ecclesia Romana ad Sacerdotium, vel Doctoratum esse vocatum? Vix enim quidquam tam absurdũ infelici hoc æuo doctum fuit (quid verò absurditatis vnquam doctum fuit, cui non simile, vel deterius ex Lutheri Euangelio pullulauerit?) quòd tali specie ex Scriptura defendi non possit, quali pleraque dogmata Lutheri nobis aduersa.

Item Ordinationem Sacerdotalem in Ecclesia Romana vsitatam passim contemnit Lutherus, & nihil potestatis conferre dicit: Vt de inst. Minist. Eccl. ad Pragenses ait: *Episcopos nostros esse laruarum Ordinatores. &c. Et neminem facere Sacerdotem, sed eò ipso dum Sacerdotem faciunt, à Sacerdotio remouere. Et ideò ordinationem illorum coram Deo esse verißimè ludicram, & tantùm verißimam & seriam degradationem.* Ergo Lutherani dicere non possunt, Lutherum per talem Ordinationem legitimè vocatum esse, & docendi potestatem consecutum. Præsertim cùm in Epist. de Prædicatoribus Angularibus, vt re-

fert ipse Keslerus loc. cit. q. 4. scripserit: *Sæpè dixi, quod & denuò dico, nolle me totius orbis opes Doctoratu meo commutare: Nam profectò prorsus denique desperare cogerer, si hoc tanti momenti negotium, quod mihi incumbit, tanquam subreptitius sine vocatione & mandato incepissem.* Cui consonat quod in Colloq. Symp. Islebiæ editis tit. de Minist. Eccl. ait: *Etiam mihi Diabolus de mea vocatione molestus fuit; & quidem hoc argumento me occidisset: Tu non es vocatus; nisi Doctor fuissem.* Ex quibus sic argumentor: Si absque susceptione Doctoratûs Lutherus ipse de sua vocatione desperare debuisset, non possunt Lutherani dicere, ipsum per ordinationem Sacerdotalē ante Doctoratum legitimè vocatum fuisse: quia qui legitimè vocatus est, non debet de vocatione sua desperare. Sed Lutherus asserit, se de vocatione sua desperaturum fuisse, nisi Doctor creatus esset (cùm tamen quinque annis ante Sacerdos fuisset) Ergo Lutherani dicere non possunt, ipsum per ordinationem Sacerdotalem legitimè vocatum esse.

Neque tamen de ipso Doctoratu Lutheri & Professura Theologica magis gloriari possunt, quàm de Sacerdotio. Quia tametsi vocatio ad ministerium Ecclesiæ fiat per homines; non tamen fit humanâ, sed diuinâ auctoritate. Nam potestatem & ritum quo Ministri Ecclesiæ ordinandi sunt Apostoli à Christo, Ecclesia ab Apostolis per continuam successionem accepit. De quo ritu Paulus in Confessione Variata citatus ad Titum scribit: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Et ordinatio Presbyterorum, quæ per impositionem manuum fit, gratiam Dei confert, juxta illud. 1. Timoth. 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Et 2. Timoth. 1. 6. *Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Sed nihil horum Doctoratui conuenit: Neque enim promotio Doctorum ab Apostolis ad nos descendit; sed non ita multis abhinc seculis in publicum eruditionis testimonium à Viris doctis excogitata est.

Digitized by Google

est. Neque vlla gratia Dei per Doctoratum confertur; neque potestas Ecclesiam aliquam, ne Pagi quidem integri, ex officio verbo & Sacramentis pascendi: multò minùs totam Ecclesiam, & eius doctrinam abusuum titulo reformandi, vel potiùs deformandi, nouos asseclas sibi adiungendi, & Ecclesiæ vnitatem scindendi. Itaque Scripturæ, quæ de legitima vocatione ad Ecclesiæ ministerium loquuntur, ad Doctoratum, quà talem, trahi non possunt.

Adde quòd si Lutherus per Sacerdotium & Doctoratum ad doctrinæ suæ prædicationem legitimè vocatus esset, non potuisset contra vocationem Carolstadij disputare, qui & Sacerdos, & Doctor non minùs quàm ipse, imò, vt ferunt, Promotor ipsius fuit. Sed nihilominùs Carolstadium legitimè vocatum negat, & proinde alium vocationis suæ modum comminiscitur, in Concione Dominicæ Inuocauit An. 1522. *Si Diabolus* inquit, *Carolstadio nouæ huius turbulentæ doctrinæ Auctori* (scilicet Lutheri doctrina nec noua, nec turbulenta fuit) *in agone hæc vel similia dicta obiecerit: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur: Currebant, & non mittebam eos; quo tandem modo stare poterit? Præcipitabitur in infernum. Ego autem habeo, quo Sathanam à me repellam. Scio enim certò me à Senatu ad prædicandum esse vocatum.* Sed cùm nullus ante Lutherum fuerit eius doctrinæ assecla, quam ipse nouiter prædicare cœpit, vt in Præfat. Tomorum Lat. fatetur dicens: *Solus primò eram*; à nemine vocari aut mitti potuit ad id docendum, quòd docuit. Sed ipse alios ad se ante vocare cœpit, quàm illi de ipso vocando quidquam cogitare possent. Ergo prædicationem suam omnino illegitimè inchoauit, juxta illud Rom. 10. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et consequenter tota Ministrorum Lutheranorum congeries vocatione legitimâ destituta est: quia ex his initijs illegitimis originem suam ducit.

DICES I. cum Keslero loc. cit. q. 3. *Quicumque Sacerdos, Professor, & S. Script. Doctor officium suum ita exequitur, vt Scripturam fundamentaliter exponat, & abusus qui in Ecclesiam irrepserunt*

repserunt corrigat, is legitimâ vocatione suâ in tali officio gloriari potest: Sed ita fecit Lutherus; nam ipsi Papistæ fateri debent, plurimos abusus in Ecclesiam Romanam irrepsisse: Ergo &c.

RESPONDEO I. Omnem Sacerdotem, Doctorem, & Professorem pro viribus conari debere, vt abusus, qui per incuriam Pastorum in Ecclesiam irrepserunt, corrigat; si tamen absque tumultu, & Ecclesiæ schismate hoc facere possit. Multa enim, quæ corrigi non possunt, tolerari debent, ne maiora mala sequantur. Nam ideò Christus Matth. 13. voluit, vt Zizania, quæ sine periculo tritici euelli non possunt, crescere sinamus vsque ad messem. Nunquam tam benè cum rebus humanis agetur, quin semper inuenturi simus, quæ in nobis & alijs corrigamus. Interim non diffitemur, superesse multos abusus personales, quos accurata & concors Pastorum Ecclesiæ vigilantia è medio tollere posset. Sed horum abusuum titulo ipsam Ecclesiæ doctrinam conuellere ausus est Lutherus: Vt non malè dixerit Erasmus, aliàs multorum catholicorum dogmatum, & obseruationum non satis æquus judex, in libello contra Pseudoeuangelicos: *Vos strenuè clamatis in luxum Sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in garrulitatem Sophistarum, preces, ieiunia, & Missas. Nec ista purgari vultis; sed tolli: nec omnino quidquam in receptis placet; sed Zizaniam euellitis cum tritico: aut, vt meliùs dicam, triticum euellitis pro Zizania.*

RESPONDEO II. Non posse dici, quòd Lutherus Scripturam sacram purè & fundamentaliter exposuerit, cùm Lutherani negare nequeant, eum in plurimis grauissimè errasse. Quod autem eam saltem doctrinam, quæ ex scriptis Lutheri in Confessionem August. relata est, Euangelio conformem esse aiunt; ex toto hoc Opere manifestum est id tam verum esse, quàm quod nihil falsi in hac Confessione contineatur. Et posito totam Confessionem originalem nihil falsi quoad doctrinam Euangelicam continere; tamen non sequeretur totam doctrinam Lutheranam esse purè Euangelicam. Quamplurima enim contra nos docent, quæ ne per jota quidem

dem in tota Confessione August. insinuantur. Porrò non potest ipsa doctrinæ veritas esse signum legitimæ vocationis, quamdiu de ipsa non liquidò constat. Atqui non tantùm liquidò non constat, doctrinam Lutheranam esse quoad omnia veram; sed etiam firmis argumentis concludimus, eam non posse esse veram quoad illa, quæ antiquæ & generaliter ante in Ecclesia receptæ doctrinæ contraria proponit. Imò tametsi quoad omnia vera esset, nondum tamẽ sequeretur, Lutherũ ad eam prædicandam legitimè vocatum. Non enim omnis, qui vera profitetur, ad ea prædicanda quæ profitetur vocatus est: nisi omnes sutores, sartores, imò & carnifices Lutheranos ad prædicandum vocatos esse volunt. De qua re ipse Lutherus in Psal. 82. ait: *Multi è vulgo, aut Laici docti sunt; nec ideò sunt Doctores, id est, non ideò vocati sunt ad docendum publicè in cœtu Ecclesiastico.* Alio ergo indicio legitima Lutheri potiùs, quàm Caluini, Zvvinglij aut alterius vocatio, ad eius reformationis officium, qua Ecclesiam Christi deformauit, demonstranda est, quàm ex veritate doctrinæ: quæ, vt multa largiamur (etiam posito doctrinam nostram falsam esse) dubia tamẽ adhuc & cõtrouersa erit, & manebit. Ergo per ipsam vocationẽ diuinam, siue testimonia Dei, talis esse probanda est, qualis esse asseritur. Neque enim per solam Scripturam probari potest: quia illa ipsa est de qua, & de cuius vero sensu controuersiæ hoc tempore agitantur, nunquam, nisi alio infallibili judicio, dirimendæ.

Adde quòd ipse Lutherus loc. cit. fatetur, ne illos quidem audiendos, qui purum Euangelium prædicare volunt, nisi vocationis suæ certum testimonium adduxerint. Ergo pura Euangelij prædicatio non sufficeret ad ostendendam legitimam vocationem Lutheri, nisi aliunde probaretur: *Omnes,* inquit, *Parochi, & Magistratus diligenter attendere debent, & de hoc suos diligenter monebunt, vt Concionatores, qui seipsos intrudunt, tanquam nebulones, & certos Diaboli nuntios deuitent, nisi fide dignum testimonium suæ à Deo vocationis attulerint. Alioqui eos non audient, nec admittent, etiamsi purum putum Euangelium prædicare*

dicare velint, nec si Angeli, aut meri Gabrieles è cælis fuerint (qualis videlicet Lutherus fuit) *Nihil enim recipit Deus, quod fit ex propria electione* (Quomodo ergo doctrinam Lutheri initio Apostasiæ recipere potuit?) *Omnia ex mandato & vocatione fieri vult. Propterea etiam Christus Diabolos noluit prædicare, etiamsi ipsum Filium Dei faterentur. Noluit enim permittere, vt quisquam sine vocatione prædicaret. Ergo sic quisque faciat, qui prædicare & docere voluerit, demonstret se vocatum, ostendat mandatum quo cogatur. Si noluerit, tradat Magistratus huiusmodi nebulones lictori.*

DICES II. Multi quoque Pontifices, Episcopi, Prælati, Canonici, Pastores in Ecclesia Romana malis artibus ad officia ista perueniunt: ac deinde nihil minùs faciunt, quàm quæ status ipsorum requirit: plerumque multò magis temporalibus negotijs, vt grauiora taceantur, quàm Ouibus Christi spirituali cibo pascendis intenti.

RESPONDEO: Negare non possumus, quin in Ordine Ecclesiastico sæpè per malas artes, & consequenter pro suis personis illegitimè ad dignitates quidam, & non rarò indigni promoueantur. Atque vtinam nihil, vel minùs hac in parte à Clero peccatum esset: multò se meliùs res Ecclesiæ haberent; multò pauciores ab ea defecissent. Solent enim homines, vitio quodam innato, magis exempla mala spectare, quàm bona dogmata. Interim tametsi pro suis personis tales illegitimè ad officia sua peruenerint, à reliquis tamen fidelibus audiendi sunt, quamdiu id docent & profitentur, quod Ecclesia semper docuit & professa est. Sicut è contrario audiendus non est, qui quamuis longè doctior & dignior, & legitimè ad docendum ante vocatus, ab vsitata & recepta Ecclesiæ doctrina recedens, noua dogmata proponere incipit. Si enim de ipsis Scribis & Pharisæis, quorum plurimi per malas artes ad dignitates in Synagoga peruenerunt, dixit Christus Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite*; quantò magis audiendi sunt quilibet Ecclesiæ veræ Pastores, quamdiu è Cathedra illius, quam perpetuò mansu-

Digitized by Google

mansuram esse supra ostendimus, alios docent; tametsi ipsi exemplo suo doctrinæ non respondeant? Sed hoc Lutheranorum ingenium est, quod omnium semper hæreticorum fuit, quodque olim Cham filij Noë: turpitudinem, siue vitia quorundam Ecclesiæ Præpositorum denudant, & deridenda proponunt, vt ipsam doctrinam, quæ mala exempla non probat, apud suos traducant, & vitæ similem esse persuadeant.

CONCLVSIO II. Ordinaria vocatio sufficere non potuit, ad certam fidem faciendam Luthero, post apostasiam suam nouiter prædicanti; sed insuper extraordinaria ei necessaria fuit. Probatur I. ex dictis: Quia qualiter vocatum volunt Lutherum, taliter multi Lutheranorum iudicio hæretici vocati sunt: Sed illi ad ea docenda quæ docuerunt non sunt legitimè vocati; aliàs enim audiendi essent, quia Christus de legitimè vocatis Luc. 10. 18. ait: *Qui vos audit, me audit*: Ergo, &c.

II. Ordinaria vocatio non potest dare potestatem, nisi ordinariam doctrinam prædicandi: ad extraordinariam enim se non extendit, sed ad illam Deus semper immediatè vocat: vt cùm Ordinariam Iudæorum doctrinam mutare vellet, ipsum Filium suum, & hic Apostolos immediatè vocauit & misit, & testimoniis diuinis, siue miraculis, quibus vocationem suam comprobarent, instruxit. Cùm ergo Lutherus ordinariam Ecclesiæ doctrinam mutauerit, vt ex auctoritate diuina se hoc fecisse ostendat; non sufficit, quòd ordinariâ vocatione vocatus sit; sed extraordinaria siue immediatè diuina illi necessaria fuit. Qualis fuit Moysis, qui cum Exod. 4. 1. diceret: *Non credent mihi, neque audient vocem meam; sed dicent: Non apparuit tibi Dominus*; potestatem per virgam ingentia miracula, in testimonium missionis diuinæ, faciendi accepit. Imò ipse Christus aliter se à Patre missum credi noluit, quàm editis miraculis: Ioan. 10. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et c. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit; peccatum non haberent.* Nisi ergo extraordinarijs

Dei

Dei testimonijs ostendant, Lutherum potiùs, quàm Caluinum, aut alios Sectarios, qui omnes idem sibi arrogarunt, quod Lutherus, à Deo vocatum & missum ad extraordinariam illam prædicationem, quam instituit; non tenemur illi credere. Nisi fortè faciliùs illi credendū est, quàm Moysi, aut ipsi Christo.

III. Accedit Confessio Aduersariorum: Philippus in cap. 3. Matth. inquit: *Sic posteà sæpè quando mundus ferè fuit oblitus promissionem & doctrinam Euangelij* (vt factum fuisse ante Luherum in August. Confess. contendit) *tunc vocauit nouos Doctores: vt post Noë & Sem vocauit Abraham, deinde Ioseph, posteà Moysen, posteà Samuelem, Eliam, & Alios. Sic quando jam magnæ tenebræ erant, Deus vocauit Ioannem. Et semper addit Deus miracula, vt certò sciamus esse à Deo missos. Ideò Ioannes magno miraculo nascitur ex matre sterili & anu.* Item Lutherus lib. de Seruo arb. *Nobis*, inquit, *mandatum est, prorsus nullum dogma admittere, signis diuinis ante non probatum.* Cùm ergo ipse dogmata sua nullo signo diuino probârit (nam vt Erasmus de libero arb. rectè dicit, nec ipse, nec eius asseclæ claudum equum in doctrinæ suæ confirmationem sanare potuerunt) indignari nobis Lutherani non debent, quòd dogmata illa non admittamus.

DICES: Luthero miraculis non fuit opus: quia ipse non nouam doctrinam, sed à Prophetis, & Apostolis olim conscriptam, ac multis miraculis confirmatam purè docuit.

RESPONDEO I. Tametsi hoc verum esset, adhuc tamen extraordinariis testimoniis vocationem suam probare debuisset. Nam & Christum nihil aliud docuisse volunt Lutherani, quàm quod Prophetæ ante scripserant: vt in Art. de Eccl. ostensum est. Cùm ergo nihilominùs ipse absque miraculis sibi credi noluerit; nimis nos credulos esse volunt, vt videlicet Luthero, ne quid grauius dicam, nullâ singulari sanctimoniâ, nullis miraculis instructo, contra totius orbis consensum docenti credamus.

RESPONDEO II. Posito Lutheri doctrinam in rebus fidei Scripturæ sacræ per omnia conformem

fuisse,

fuisse; quia tamen extraordinario modo eam prædicare cœpit, extraordinariis Dei testimoniis instructus esse debuisset. Iam verò quamuis Romana Ecclesia in errore versaretur, non tamen sequeretur Lutheri doctrinam potiùs amplectendam, quàm Caluini, Zvvinglij, aut Aliorum, qui similia cum Luthero iactant, & eodem modo dogmata sua Scripturæ conformia esse asserunt, ac speciosè ex illa probant. Cæcus ergo sit necesse est, qui non videt Luthero, vt suam ad id docendum quod docuit vocationem præ alijs omnibus, ipsi contrarijs, probaret, immediatâ Dei vocatione, & extraordinarijs, ac infallibilibus eius testimoniis indiguisse. Sed his se destitutum fatetur Tom. 2. germ. Wittemb. pag. 66. inquiens: *Vbi Deus ordinariam ad ministerium vocandi rationem vult mutare, ibi semper miracula operatur. Ego adhuc nunquam prædicaui, nec prædicare volui, nisi ab hominibus vocatus: nec enim gloriari possum, me à Deo immediatè de cælo missum.* Itaque cùm Lutherus neque à Deo immediatè, neque legitimo & ordinario modo per homines ad id docendum vocatus sit, quod docuit; sequitur ipsum, vt legitimum Ecclesiæ Pastorem, & Dei Ministrum audiendum non fuisse; sed cauendum vt furem, & latronem, qui non per legitimæ vocationis ostium, sed aliunde intrauit, & Ecclesiam dissipauit. Nam vt ipsemet Tom. 2. Epist. Islebiæ editarum, Epist. ad Philippum ait; *Neque enim Deus vnquam aliquem misit, nisi vel per hominem vocatum, vel per signa declaratum: ne ipsum quidem Filium.*

ARTICVLVS XV.
DE CONIVGIO SACERDOTVM.

ARticulus iste in Confessione August. ordine XXIII. est, & ita habet: *Publica querela fuit de exemplis Sacerdotum,*

qui non continebant. Quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas, cur Sacerdotibus ademptum sit coniugium; sed multò maiores esse causas, cur reddi debeat. Sic enim scribit Platina (sed non scribit, reddi debere; sed *Sacerdotibus magnâ ratione sublatas nuptias, maiori restituendas videri.* Quod non decretum eius fuit, sed dictum subitò prolatum, vt ex discursu Platinæ patet. Nam plures tales sententias quasi prouerbiales, ab eo extempore prolatas ibidem refert) *Cùm igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt vxores, ac docuerunt, quòd liceat ipsis contrahere matrimonium. Primùm quia Paulus dicit: Vnusquisque habeat vxorem suam propter fornicationem. Item, Melius est nubere quàm vri. Secundò Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc: vbi docet, non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse: quia Deus creauit hominem ad procreationem, Genes. 1. nec est humanæ potestatis, sine singulari dono & opere Dei, creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cœlibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei, & ordinationem Dei nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes, sibi licere vxores ducere.*

Constat etiam in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primùm ante 400. annos Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum: qui quidem adeò aduersati sunt, vt Archiepiscopus Moguntinus, publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re, penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciuiliter, vt non solùm imposterum coniugia prohiberentur, sed etiam præsentia contra omnia iura, diuina & humana, contra ipsos etiam Canones factos, non solùm à Pontificibus, sed à laudatissimis Synodis distraherentur.

Et cùm senescente mundo paulatim natura humana fiat imbecillior, conuenit prospicere, ne plura vitia serpant in Germaniam. Porrò Deus instituit coniugium, vt esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus, propter imbecillitatem hominum, laxandum esse dicunt. Quod optandum est, vt fiat & in hoc negotio. Ac videntur Ecclesiis aliquando defuturi Pastores, si diutiùs prohibeatur coniugium. Cùm

Digitized by Google

Cùm autem extet mandatum Dei, cùm mos Ecclesiæ notus sit, cùm impurus cœlibatus plurima pariat scandala, adulteria, & alia scelera digna animaduersione boni Magistratus; tamen mirum est, nulla in re maiorem exerceri sæuitiam, quàm aduersùs coniugium Sacerdotum. Deus præcipit honore afficere coniugium, leges in omnibus Rebuspub. benè constitutis, etiam apud Ethnicos, maximis honoribus ornauerunt. At nunc capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes, contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet coniugium, 1. Timoth. 4. Id facilè nunc intelligi potest, cùm talibus supplicijs prohibitio coniugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei: proinde etiam Cyprianus suadet, vt mulieres nubant, quæ non seruant promissam castitatem. Verba eius sunt hæc Lib. 1. Epist. 11. Si autem perseuerare nolunt, aut non possunt, meliùs est vt nubant, quàm vt in ignem delitijs suis cadant. Certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam vtuntur ipsi Canones erga hos, qui ante iustam ætatem vouerunt? Quomodo ferè hactenus fieri consueuit.

Circa hunc Articulum ponemus has quæstiones: I. An matrimonium omnibus hominibus à Deo præceptum sit? II. An Sacerdotibus licitum, vt pro arbitrio suo vxores ducant? III. An lex de Cœlibatu Clericorum ita noua sit, vt Confessio insinuat? IV. An propter rationes, quas Confessio adducit, lex ista iam tollenda sit?

QVAESTIO I.

Vtrùm matrimonium omnibus hominibus à Deo præceptum sit?

ETsi quædam verba Confessionis ita sonant, quasi non simpliciter omnibus hominibus necessariò ineundum sit matrimonium, sed tantùm illis, qui ad cœlibatum idonei non sunt; tamen aliis verbis satis indicat, omnibus simpliciter hominibus matrimonium à Deo præceptum esse. Si enim ipsi Episcopi eligendi sunt, qui sint mariti, vt Confessio Paulum

docere ait; quanto magis alij ad ineundum matrimonium obligati erunt? Item *Deus*, inquit, *Creauit hominem ad procreationem*. Cùm ergo procreatio extra matrimonium licita non sit; sequitur omnes homines ad matrimonium à Deo ordinatos, & consequẽter ad illud ineundũ obligatos esse. *Nec est humanæ potestatis*, inquit, *sine singulari dono & opere Dei creationẽ mutare*. Itaq; cùm nemo de hoc singulari dono & opere certus sit; sequitur omnes homines, qui ad cõiugiũ apti sunt, ad illud obligatos esse, ne extra coniugiũ incõtinẽtiæ periculo se exponãt.

CONCLVSIO: Quamuis aliqui ad ineundum matrimonium obligati sint, qui tamen per Dei gratiam castè viuere volunt, à matrimonio abstinere possũt. Obligatos ad matrimoniũ dico, qui, cùm nullo voto astricti sint, extra matrimoniũ incõtinẽter viuũt, & cõcupiscẽtię fræna ita relaxãt, atq; vitã suã ita instituũt, vt in istis circũstãtiis castè viuere nec possint, nec velint. De his enim est illud Pauli, 1. Cor. 7. *Propter fornicationẽ vnusquisq; suã vxorẽ habeat, & vnaquæque suum virum*.

Probatur Conclusio I. Quia Christus Matth. 19. docet, aliquos per Dei gratiam laudabiliter ab omni coniugio abstinere. Cùm enim v. 10. dicerent Discipuli: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*; Respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Et, *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat*. Quibus verbis satis insinuat, in Ecclesia sua fore multos, qui sibi propter regnum cœlorum omnem coniugij vsum interdicant. At vbinam quæso tales apud Aduersarios reperiuntur, qui, nõ dico se spiritualiter castrẽt, omnẽ sibi potestatẽ ad coniugium per votum præcidentes (Hoc enim castrandi vocabulo significatur) sed à coniugio vel per annũ tali fine abstineant?

II. Apostolus 1. Cor. 7. multis suadet abstinentiam à coniugio: v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant*. Et v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis*. Et v. 27. *Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem*. Et v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, meliùs facit*. Et v. 39. & 40. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*.

Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium. Tres autem potissimas huius consilij sui rationes ibidem reddit: I. v. 28. *Si nupserit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* II. v. 32. *Volo vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* III. v. 35. *Hoc autem ad Vtilitatem vestram dico &c. quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Eandem ob causam V. 5. suadet, vt ipsi coniugati ex mutuo consensu ad tempus abstineant, quò orationibus vacare possint. Et totum Caput ita concludit: *Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam.*

Quàm verò diuersus sit iste Spiritus à Spiritu Lutheranorum, vel ex his Lutheri sententiis manifestum est: In Epist. ad Wolffgangum Reissenbusch, quæ habetur Tom. 7. lat. Witt. pag. 505. *Qui* ἄγαμος, inquit (siue cœlebs) *manere vult, ille nomen hominis à se deponat: planum faciens se Angelum esse, aut Spiritum. Homini enim à Deo nullo modo conceditur. Quare* ἄγαμος *viuere volens, planè* ἀδύνατα θηρεῖ, καὶ ὅλως θεομαχεῖ. Et in Lib. de Vita coniugali, qui habetur Tom. 6. Wit. Germ. pag. 171. *Quàm parùm,* inquit, *in mea potestate est, vt vir non sim; tam parùm etiam in mea potestate situm est, vt absque muliere sim. Ac rursum, quàm parùm in tua potestate est, vt mulier non sis; tam parùm etiam in tua potestate est, vt absque viro sis. Quia hæc res non est arbitraria, seu consilij; sed res necessaria, & naturalis, vt omnis vir mulierem habeat, & omnis mulier virum. &c. Estque hoc plusquàm præceptum, magisq́ necessarium, quàm comedere & bibere, purgare & exspuere, dormire & vigilare &c.*

Idem insinuat hîc Philippus in exemplari germanico inquiens: *Nam Deus hominem masculum & fœminam fecit, Genes. 1. An verò in potestate & viribus humanis sit, sine singulari dono & gratia Dei* (hoc autē nemo asserit) *per propriū propositū* (quale supra suadet Apostolus) *vel votū diuinæ Maiestatis creaturā meliorē facere, vel mutare* (accidentaliter) *experientia nimis clarè docuit.*

III. Probatur Conclusio exemplo Pauli, quem à matrimo-

trimonio abſtinuiſſe conſtat ex cit. cap. 7. 1. ad Cor. vbi à v. 7. ita loquitur: *Volo omnes vos eſſe, ſicut meipſum. Sed vnusquuque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic; alius verò ſic. Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Ergo exemplo ſuo ſuadet, vt à matrimonio abſtineant: & conſequenter ipſe quoque abſtinuit, vt clarum eſt.

Neque verò huic loco repugnat, quod in eadem Epiſt. c. 9. 5. dicit: *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & frater Domini, & Cephas?* Neque enim mulier ſoror hoc loco vxorem ſignificat, ſed fidelem matronam, quæ Paulo neceſſaria ſubminiſtraret. Sicut & mulieres Chriſtum ſecutas legimus, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, Luc. 8. à v. 2. &c. Nam antiqui Patres communiter docent, Paulum virginem manſiſſe, vt Auguſtinus de Opere Monach. c. 4. Hieronymus lib. 1. contra Iouanian. Chryſoſt. Amb. Theodoret. Theophyl. &c. Et S. Hieronymus tradit, ſolum Petrum inter Apoſtolos, idque ante conuerſionem, fuiſſe coniugatum. Clemens quidem Alex. lib. 3. Strom. hîc per γυναῖκα vxorem Pauli intelligit; ſed Aduerſarijs non fauet: quia docet eam à Paulo poſt Apoſtolatum inſtar ſororis habitam. Vocat autem Paulus mulierem iſtam Sororem, ſicut viros fideles Fratres.

Neque ad Philipp. 4. 3. vbi idem Apoſtolus ait: *Etiam rogo & te germane compar*, vbi in græco habetur, σύζυγε γνήσιε, coniugem ſuam intelligit, vt Stapulenſis, Eraſmus, & Zvvinglius volunt: quia quamuis σύζυγος eiusdem jugi conſortem ſignificat, hoc tamen loco de jugo matrimoniali, ſiue coniugio intelligi non debet. Paulus enim fœminino genere vſus eſſet, ſi coniugem ſuam intelligere voluiſſet. Et non tantùm Chryſoſtomus, Theodoret. Theophyl. Oecumen. &c. eorum ſententiam refutant, qui vxorem Pauli hoc loco intelligunt; ſed etiam Caluinus, & Beza. Verba Caluini ſunt iſta: *Cùm priorem ad Corinthios ſcriberet Paulus, tunc ſe fuiſſe cœlibem commemorat: Inconiugatis, inquit, & viduis dico, bonum eſt ſi permaneant, ſicut*

Digitized by Google

sicut ego. *Scripsit eam Epistolam Ephesi, cùm discessum pararet; non multò pòst Hierosolymam profectus est, vbi coniectus fuit in vincula, & Romam perductus. Act. 21. 32. & 28. 16. Quàm alienum ducendæ vxoris fuerit tempus, quod partim in itinere, partim in vinculis consumpsit, nemo non videt. Adde quòd ad subeunda vincula & persecutiones jam tunc accinctus erat, quemadmodum testatur apud Lucam, Act. 20. 23. & 21. 11. Solet tamen contra obijci, Paulum coniugatum abstinuisse à consuetudine vxoris. Sed verba aliter sonant: cœlibibus enim optat manere in sua ipsius conditione, 1. Cor. 7. Quæ porrò illa conditio, nisi cœlibatus? Quod illud adducunt: An non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, quemadmodum & cæteri Apostoli, 1. Cor. 9. 5. vt illi vxorem fuisse probent, nimis friuolum est, vt nulla solutione indigeat. Iam verò vt demus, Paulum fuisse maritum, vnde illi vxor Philippis? Quam vrbem non sæpiùs quàm bis ingressus fuisse legitur, Act. 16. 12. & c. 20. 6. vbi nunquam menses duos integros illum substitisse credibile est. Denique nihil minùs consentaneum, quàm de Vxore hîc loqui: potiùs Virum aliquem pium intelligit.* Itaque falsum est, quod in Augustana Confess. dicitur: *Nam & Paulus ait, Episcopum eligendum, qui sit maritus.* Ipse enim Paulus Episcopus vtique; nec tamen maritus fuit. Verba Pauli sunt ista 1. Timoth. 3. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum &c.* quibus non significat, eum de facto maritum esse debere; sed non plures habuisse vxores quàm vnicam, siue non debere esse bigamum. Vt idem sit sensus, qui est in eadem Epist. c. 5. 9. *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor.*

IV. Probatur Conclusio ratione: Quia potissimus conjugij finis est procreatio prolis, & generis humani propagatio: qui finis aliquando obligare potest, vt initio mundi obligauit: nunc verò singulos homines nullo modo obligat; nisi Confessionistæ dicere velint, defuturos esse homines, si Sacerdotes & Monachi coniugia non contrahant. Prout Confessio dicit: *Ac videntur Ecclesiis aliquando defuturi Pastores, si diutiùs prohibeatur coniugium.* Rectè hac de re S. Hieronymus: *Necesse fuit priùs plantare siluam, & crescere: vt esset posteà quod posset*

possit excidi. Præceptum tunc erat de procreatione prolis, vt repleretur terra: quâ modo repletâ, & adeò quidem, vt sit pressura gentium, non est præceptum volentibus continere. Itaque meritò contemnimus illud Philippi in Apolog. dictum: *Ridiculum est, quòd Aduersarij nugantur, initio fuisse mandatum coniugium; nunc non esse. Hoc perinde est, ac si dicerent: Olim nascentes homines secum attulerunt sexum; nunc non afferunt.* Secundarius quidem matrimonij finis est remedium concupiscentiæ: ille verò simpliciter neminem obligat; sed tantùm sub conditione si quis liber & solutus continere nolit. Et ad infirmitatis remedium valet coniugium, non quòd concupiscentiam tollat, vel minuat; sed quòd ei licito modo satisfaciat.

DICES: Saltem matrimonium inire tenetur, qui non sentit se donum cœlibatus habere: *Non enim omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Et hoc mandatum, *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat*, nullo voto tolli potest. Itaque frustra *jubent sibi ostendi præceptum, quod præcipiat Sacerdotibus vxores ducere: quasi Sacerdotes non sint homines.* Ita loquitur Apologia.

RESPONDEO: Si nullus à matrimonio abstinere posset, nisi qui donum continentiæ habere se sentit, omnes homines matrimonia inire tenerentur: quia nemo de dono continentiæ perpetuò duraturo certus est. Sufficit autem ad cœlibatum amplectendum, si quis experientiâ probauerit, se per Dei gratiam continere posse. Non quòd cœlibes tentationibus carituri sint (nam nec coniugati illis carent) sed quòd eas per Dei gratiam, & media quæ SS. Patres continentibus præscribunt, superare possint: vt à consortijs, & nimia familiaritate mulierum abstinendo, cogitationes turpes expellendo, orando, jeiunando, otium fugiendo, mortem & sæuerum Dei judicium præ oculis habendo, &c. Non enim mirum est multos ad cœlibatum astrictos parùm continenter viuere, quando ita viuunt, vt singulari Dei prouidentiæ ascribendum sit, quòd non plura & grauiora quandoque scandala fiant.

Porro

Porro non ideò desperare debent, qui ad continentiam obligati sunt, quòd continentia donum Dei sit: quia ipse Matth. 7. promisit, se spiritum bonum petentibus se esse daturum. Si coniugati, qui longo tempore ab vxoribus absunt, vel propter vxorum perpetuas infirmitates vsu coniugij semper abstinere coguntur, donum continentiæ à Deo impetrare possunt (cùm tamen omnino continere nunquam statuerint) quid ni & illi possint, qui propter Christum etiam licita coniugia in perpetuum repudiarunt, vt ei promptiùs seruire valeant. Hic enim debet esse primarius cœlibatûs finis, sine quo res omnino indifferẽs esse potest in ordine ad vitam æternam.

QVAESTIO II.

Vtrùm Sacerdotibus matrimonium inire liceat?

CVm igitur Sacerdotes apud nos, inquit, Aug. Confessio, *publica illa scandala vitare vellent; duxerunt vxores, & docuerunt, quòd liceat ipsis contrahere matrimonium: quia Paulus dicit: Habeat vnusquisque vxorem suam propter fornicationem. Item, Meliùs est nubere quàm vri. Secundò Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc &c.*

CONCLVSIO: Sacerdotibus, & alijs voto castitatis obstrictis, matrimonium pro suo arbitrio, etiam hoc fine vt incontinentiam vitent, contrahere non licet. Probatur I. Quia alia sunt media incontinentiæ vitandæ longè præstantiora, de quibus ex parte dictum est. Proinde ad illud Pauli, *Meliùs est nubere quam vri*, dicendum est, dari tertium adhuc melius, videlicet concupiscentiæ per Dei gratiam resistere, & *mulierem non tangere*.

II. Si ista sententia, *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat*, generaliter hoc modo intelligenda esset: Qui incontinentiam vitare vult, debet ducere vxorem; sequeretur etiam coniugatos, qui ob aliquem vxorum suarum morbum vsu matrimonij perpetuò carere debent, alias nuptias contrahere posse. Nam perinde illis est, omnino non ha-

 bere

bere vxores, & tales habere, quales habent. Vt ergò aliud matrimonium his licitum non est, quia viuentibus vxoribus suis alligati sunt; ita qui vinculo voti Deo se obstrinxerunt, matrimonium contrahere nullâ ratione possunt. Nisi fortè magis seruanda est fides homini, quàm Deo data. Porrò æquè continere per Dei gratiam potest cœlebs, atque tali casu (quales non rarò contingunt) coniugatus. Imò longè faciliùs; si tamen ex animo cœlebs est.

III. Apostolus manifestè docet, non tantùm matrimonium inire, sed etiam inire velle damnabile esse in iis, qui fidê suâ per votum Deo dederunt: 1. Timoth. 5. à v. 11. dicens: *Adolescentiores viduas deuita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* In quem locum præter alios Patres ait S. Augustinus in Psal. 75. *Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt.* Et lib. 1. de Adult. coniug. c. 24. *Quod enim cuiquam antequam vouisset licebat, cùm id se nunquam facturum vouerit, non licebit. Si tamen id vouerit, quod vouendum fuit: sicut est perpetua virginitas, vel continentia post experta connubia, solutus à vinculo coniugali. &c. Quia & hoc Dominum præcepisse intelligendum est, vbi legitur: Vouete & reddite Domino Deo vestro. Vnde Apostolus de quibusdam, qui continentiam vouent, & posteà nubere volunt, quod eis antequam vouissent vtique licebat, Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritã fecerũt.*

DICES I. Ex hoc ipso loco colligimus, juniores non esse ad cœlibatum astringendas: quia videlicet periculo incontinentiæ expositæ sunt. Nam in eodem cap. v. 9. dicit Apostolus: *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum.* Et v. 14. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratiâ.* Vnde Cyprianus in Aug. Confessione citatus permittit, vt nubant, quæ post promissam castitatem continere nolunt, aut non possunt. Et, vt in fine loquitur Confessio, *Æquitate quadam vtuntur ipsi Canones erga hos, qui ante justam ætatem vouerunt.*

RESPONDEO: Iuniores non facilè ad cœlibatum astrin-

Digitized by Google

astringendas, nisi de quibus dici potest, quod S. Ambros. lib. de veland. Virg. de Thecla dicit: *Theclam non senectus, sed virtus probauit.* Ad Apostolum quod attinet, non improbat ipse viduas ante sexagesimum ætatis annum in cœlibatus proposito manentes (quia contrarium ex alijs eius locis constat) sed vult viduas, siue Diaconissas, quæ inter viros versabantur, & periculis expositæ esse poterant, ante sexagesimum annum non eligi: ne, si juniores eligantur, fidem Deo datam fortè irritam faciant, & ad suam damnationē nubere velint, atque Ecclesiæ magnam infamiæ notam inurant. Itaque ex hoc loco efficaciter colligimus, etiam iunioribus, & ad matrimonium idoneis post votum castitatis nubere non licere. Et consequenter neque Sacerdotibus, qui ante maturam ætatem non ordinantur. Ex hac tamen Pauli doctrina etiam sequitur, non temerè vouendum esse puellis, quæ in domibus paternis, & inter pericula manent. Quæ verò in monasterijs extra hominum sæculo deditorum contubernium viuunt, non sunt in periculo: si tamen firmo proposito hoc vitæ genus amplectantur. Nam neque nimis juuenes admittuntur, neque ante probationis annum ad perpetuam continentiam astringuntur: idque non nisi ante diligenter examinatæ, & libertati suæ relictæ. Vt Concilium Trid. Sess. 25. in aliquot Capitibus disponit.

Quando autem Paulus dicit, *Volo iuniores nubere*, non loquitur de absoluta sua voluntate, sed de conditionata; posito videlicet, quòd post fidem Deo datam luxuriaturæ sint, & primam fidem nupturiendo irritam facturæ. Vt colligitur ex particula illatiua, *Ergo.* Loquitur autem non de virginibus, sed de viduis junioribus; quibus, vt S. Chrysostomus rectè notat, difficilior longè est continentia, quàm virginibus. Item non loquitur de ijs, quæ voto obstrictæ sunt: de his enim ait, quòd habeant damnationem, si nubere velint.

Quòd autem etiam juniores viduas in virginitate manere optauerit, si quidem ipse seriò continere velint, testatur 1. Cor. 7. 8. inquiens: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est*

illis si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant. Ergo quando dicit, *Volo iuniores nubere,* hanc conditionem inuoluit: *Quòd si non se continent.* Item dum ipsis coniugatis ad tempus tantùm abstinere suadet, v. 6. subiungit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Volo enim vos omnes esse sicut meipsum.* Ergo satis indicat, optare se, vt ipsi coniugati perpetuò abstineant; sed ob imbecillitatem eorum indulgere, vt coniugio denuò vti possint. Itaque falsum est, quod in Apologia dicitur: *Sciunt quòd interdum secedendum sit, vt vacent orationi. Sed Paulus hoc ipsum non vult esse perpetuum.*

Ad S. Cypriani locum dico, ipsum quidem de ijs agere, quæ votum jam emiserant; sed non de illo ipsarum statu, in quo post votum constitutæ erant (ne non tantùm alijs Patribus, atque adeò Apostolo, sed sibi ipsi manifestè contradicat) Nam de illis loquens, quæ post emissum votum incontinenter viuebant, hac occasione sermonem suum ad illum earum statum dirigit, in quo de voto faciendo deliberabant, & de perseuerantia sua in continentia fortè non cogitabant. Meliùs enim fuisset tales nubere, quàm votum emittere, & posteà violare. Nam in eadem illa Epist. 11. lib. 1. dicit 1. Virgines Deo dicatas ab omni virorum contubernio remouendas. 2. Eas etiam quæ peccârunt non nubere, sed separari, & pœnitentiam agere jubet. 3. Christum magis indignari dicit, dum virginem sibi dicatam cum aliquo dormire conspicit, quàm virum, qui sponsam suam cum altero jacentem videt. 4. Coniunctiones virginum talium cum viris incestas vocat: & eas non maritorum, sed Christi adulteras esse asserit. 5. Si separari noluerint, non nubere, sed de Ecclesia eijci jubet. 6. Adducit illam legem Deut. 17. 12. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio &c. morietur homo ille.* Quam tamen in Ecclesia de morte spirituali per excommunicationem intelligit. Itaque nullâ ratione dici potest, quòd cùm in eadem Epist. ait: *Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt; meliùs est vt nubant, quàm in ignem delitijs suis cadant,* de virginibus Deo per votum de facto obstrictis loquatur. Quomodo

modo autem intelligendum sit illud, *aut non possunt*, ex respons. ad seq. obiect. patebit.

Porrò vt Canones antiqui quadam moderatione vsi sunt erga illos, qui ante justam ætatem vel per imprudentiam vouerunt; ita nunc sufficienter vouentibus prospectum est, vt si vel ex errore ante justam ætatem, vel per impulsum aliorum sine propria libertate, aut consensu vouerint, à votis suis facilè liberari possint.

DICES. II. Omnis lex, quæ homines ad rem impossibilem astringit, non obligat: Lex cœlibatûs Sacerdotes ad rem communiter impossibilem astringit; quia promiscuè omnes astringit, cùm non omnes donum continentiæ habeant: prout Christus Matth. 19. docet: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*. Itaque cùm hanc vocem: *Meliùs est nubere, quàm Vri*, nulla humana auctoritas, nulla lex, nulla vota tollere possint, vxores ducendi jus retinent omnes, qui vruntur. Cuius rei judicium ad cuiusque conscientiam pertinet. Ita Apologia.

RESPONDEO Negando Minorem: Quia continentia nulli impossibilis est, cui necessaria est. Vt ergo non est impossibilis marito, qui vxore suâ per absentiam, vel aliud impedimentum perpetuò abstinere cogitur; ita non est impossibili sei, qui per votum castitatis se Deo obstrinxit. Vtrique enim æquè necessaria est: & si aliquod hîc discrimen ponendum est, magis necessaria dici potest ei, qui voto alligatus est, quàm tali casu marito. Vt enim S. Cyprianus de voto obligatis docet, non coniugibus, sed Christo fidem fallunt.

Neque obstat, quòd continentia sit donum Dei: quia etiam fides, spes, charitas, & aliæ virtutes, ad quas omnes fideles obligati sunt, dona Dei sunt. Vt enim Sap. 8. dicitur: *Nemo potest esse continens, nisi Deus det*; ita Christus Ioan. 6. dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Itaque continentia donū Dei est, & simul in electione hominis posita est: vt constat ex illo Christi Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt*. Et, *Qui potest capere capiat*. Item ex adhortationibus

Pauli ſupra citatis, quibus ad continentiam amplectendam impellit: fruſtraneæ quippe forent omnes, ſi continentia nullo modo in hominis arbitrio poſita eſſet.

Ad illud: *Meliùs eſt nubere, quàm vri*, dico: Si ex hoc loco ſequatur, omnes qui vruntur, ſiue non continent, jus ad matrimonium habere, etiam illis, qui matrimonio juncti ſunt, & eo vti non poſſunt, nec tamen continent, licita erunt alia matrimonia. Vt ergo his non eſt meliùs nubere quàm vri, ſed tertium adhuc excellentius eligendum eſt, nimirum continere; ita de ijs quoque dicendum eſt, qui per votum ſe Deo alligârunt. Nam vtriſque ſeriò continere volentibus non deerit Deus.

Locus autem iſte, quem Apologia ibid. ex Ambroſ. citat: *Sola virginitas eſt, quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt: res magis voti, quàm præcepti eſt*, nihil contra nos, ſed contra Aduerſarios facit: quia fatemur, neminem ad virginitatem, vel cœlibatum ex præcepto Dei obligatum, niſi ipſe, Apoſtolicâ doctrinâ perſuaſus, ſponte ſua vouerit. Ex Apologiæ autem doctrina ſequitur, continentiam nemini ordinariè ſuaderi, & multò minùs à quoquam voueri poſſe. Sic enim ibidem ait Apologia: *Reliquos* (qui peculiare donum non habent) *vult Deus vti communi lege naturæ, quam inſtituit &c. Ita vult illos caſtos eſſe, vt remedio diuinitùs propoſito vtantur: ſicut ita vult vitam noſtram alere, ſi cibo, ſi potu vtamur.* Vt ergo nemini ſuadere poſſumus abſtinentiam ab omni cibo, quia Deus homines abſque eo per miraculum ſuſtentare non ſolet; ita nemini ſuadendum erit, vt à coniugio abſtineat: ne incontinentiæ periculo ſe exponat, ſi fortè ſingulari continentiæ dono (de quo nemo abſolutè certus eſt) deſtitutus ſit. Expungantur ergo omnes illæ adhortationes Pauli, quas 1. Cor. 7. tam longo ſermone conſcripſit.

QVAESTIO III.

An lex de cœlibatu Clericorum ita noua ſit, vt Confeſſio contendit?

Con-

Digitized by Google

C*Onstat etiam* (ait Aug. Confessio) *in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos &c. Et in Germania primùm ante annos 400 Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum.* Apologia præterea addit: *Veteres Canones non prohibent coniugium, nec contracta coniugia dissoluunt: etsi hos, qui in ministerio contraxerunt, remouent ab administratione. Hec missio istis temporibus beneficij loco erat. Sed noui Canones, qui non sunt in Synodis conditi, sed priuato consilio Pontificum facti, & prohibent contrahere matrimonia, & contracta dissoluunt. Idque palàm est fieri contra mandatum Christi: Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Et infra: *Iouiniani tempore nondum nôrat mundus legem de perpetuo cœlibatu. Impudens igitur mendacium est, coniugium Sacerdotum heresin esse, aut ab Ecclesia tunc id coniugium damnatum esse.*

CONCLVSIO: Lex ista, quæ Sacerdotibus matrimonia contrahere prohibet, non est noua; sed ex Apostolica traditione ad nos vsque manauit. Probatur I. ex Concilio Carthag. II. quod ante annos 1200 celebratum est, & Cap. 2. immediatè post doctrinam de SS. Trinitate, quam Cap. 1. habet, Aurelij Episcopi sententiam refert, qui in Concilio dicebat: *Ita placuit, vt condecet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus: quò possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare. Vt, quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Ecce Concilium tam Antiquum ad antiquitatem prouocat; & homines nuper nati hanc legem nouam esse contendunt. *Ab vniuersis* enim *Episcopis dictum est: Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant.*

In antiqua quidem Ecclesia vxoratos fuisse Sacerdotes non diffitemur. Et initio aliter fieri non poterat, quando homines adulti & iam coniugati, ad fidem conuertebantur, & ex illis communiter seniores Ecclesiæ ministerio præficiebãtur: vnde & Presbyteri dicti sunt. Sed omnes isti vxores, si quas habebant, ante sacerdotium duxerant: à quibus post sacerdotium communiter abstinebant. Quamuis hoc aliquamdiu

diu manserit liberum, vt adhuc in Græca Ecclesia vsitatum est. In Latina autem Ecclesia jam olim statutum est, vt Sacerdotes etiam à coniugibus ante ductis abstineant. Hinc enim Zacharias Papa in Epist. ad Bonifacium scribit: *Sacerdotes à die suscepti sacerdotij etiam ab ipso proprio coniugio prohibēdi sunt.*

II. Antiquius adhuc testimonium est in Canonibus Apostolorum, quos Clemens, qui Apostolis coæuus fuit, in vnum compegisse dicitur: nam Can. 25. ita habetur: *Ex his, qui cœlibes ad Clerum peruenerūt, jubemus vt Lectores tantùm, & Cantores, si velint, nuptias contrahant.*

III. Idem Clemens lib. 6. Const. Apost. cap. 17. ait: *Episcopum, Presbyterum, & Diaconum ordinari præcipimus, qui sint monogami,* id est, vnius vxoris viri, *siue vxores eorum superstites fuerint, siue non. Post Ordinationem tamen, si vxores non habent, præcipimus, vt non liceat ampliùs ducere: aut si anteà duxerant, non alias in matrimonium accipere: sed potiùs, quòd cùm haberent, ad ordinationem venerunt, contentos esse.*

IV. S. Hieronymus lib. 1. cont. Iouin. cap. 19. *Certè confiteris,* inquit, *non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.*

V. Quia non solis Sacerdotibus, sed & Monachis & Monialibus licita matrimonia dicunt, audiant S. August. in Psal. 75. dicentem: *Nemo ergo positus in monasterio dicat: Recede de monasterio; neque enim soli, qui sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum cœlorum; & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non vouerunt; tu vouisti, & retrò respexisti.* Et S. Ambrosium in libello, quem ad virginem quandam post votum corruptam scripsit, in cuius cap. 5. inquit: *Dicit aliquis: Meliùs est nubere, quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad non velatam. Cæterùm quæ se spopondit Christo, & sacrum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Denique, vt alios innumeros omittam S. Chrysostomum, qui ad Theodorum Monachum lapsum

psum ait: *Sed te* (qui Monachus es) *iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum: Angelorum enim societati semel iunctum illam relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere est. Quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces* (sicut & Confessio suorum Apostatarum coniunctiones) *ego tamen & adulterio illud tantò peius affirmo, quantò mortalibus maior ac melior Angelus &c.*

VI. Ipsis Imperatorum Legibus sancitum est, vt Sacerdotibus, & qui vota castitatis in monasterijs emiserunt matrimonia inire non liceat: Iustinianus enim L. Sacris. 45. C. De Episcopis & Clericis statuit, vt qui in Maioribus Ordinibus constituti matrimonia contrahunt, ab officiis suis suspendantur, & liberi ex illis geniti tales habeantur, quales qui ex incestis, & nefarijs nuptijs nati sunt. Et Iouin. L. 5. C. eodem ita decernit: *Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodò iungendi causâ matrimonij sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur.*

Et quia Aduersarij legem, quæ Sacerdotibus coniugia prohibet, nouam esse aiunt; ostendant vel vnicum antiquitatis exemplum, quo probent aliquando Sacerdotem absque infamiæ nota nuptias contraxisse; aut aliquem orthodoxum id licitum esse docuisse. Itaque si verum est, quod Apologia dicit: *Aduersarij vociferantur; cœlibatum præceptum esse in Concilijs: Nos non accusamus decreta Conciliorum*; suorum à fide nostra apostatarum exempla, qui post sacerdotium nuptias contrahunt, damnare debent. Falsum enim est quod ibidem additur: *Concilia certâ conditione permittunt coniugium*: quia ne vnicum quidem ostendere poterunt, quod in Sacerdotio constitutis coniugium pro arbitrio permittat.

Falsissimum est & hoc, quod Confessio originalis ait: *In Germania primùm ante 400 annos Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum.* Contrarium enim constat ex Concilio Moguntino, quod plus 700 annis ante Confessioné Aug. celebratum est: in cuius c. 10. de Clericis statuitur, vt contubernia fœminarum nullatenus appetant; sed castimoniam inviolati corporis

perpetuò conseruare studeant. Item ex Wormatiensi, quod 55. circiter annis post Moguntinum celebratum fuit, in cuius c. 9. decernitur: *Placuit vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi abstineant se ab vxoribus, & non generent liberos. Quòd si decretum hoc violauerint, ab honore Clericatûs pellantur.* Quod autem Confessio tempore schismatis inter Imperatorem & Pontificem Moguntiæ factum refert, non juris, sed facti fuit. Ex eo ergo tantundem concludi potest, atque si Confessionistæ dicerent: Monachi Apostatæ apud nos non patiuntur sibi auferri vxores: Ergo licuit illis contrahere nuptias. Tam infelix autem illo tempore, quo Sacerdotes vxores habebant, rerum status in Germania fuit, vt Nauclerus, qui historiam illam, quam Confessio adducit narrat, ita concludat: *Hanc disceptationem horrenda Ecclesiæ occidentalis pestis secuta est: adeò vt & Laici in hoc Sacerdotum dissidio sacra tractarent, baptizarent, inungerent, sordibus pro vera pietatis oleo. Tantisper donec diuinâ prouidentiâ rebus illis consultum est.*

Præterea falsum est, quod Apologia dicit, Sacerdotum ab officio sacerdotali remotionem beneficij loco olim fuisse. Qui enim hoc sibi persuadet, eum nullos antiquorum Conciliorum Canones legisse oportet.

Denique falsum est, Iouiniani tempore legem de Clericorum cœlibatu nondum fuisse notam. Et quia Apologia à Iouiniano se dissentire ait, videamus quàm & hoc verum sit: *Non æquamus*, inquit, *coniugio virginitatem: Sicut enim donum dono præstat, Prophetia præstat eloquentiæ &c. ita virginitas donum est præstantius coniugio.* Iouinianus docebat, *Virgines, viduas, & maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, eiusdem esse meriti*, vt loquitur S. Hieronymus, lib. 1. cont. Iouin. Idem clarissimè passim docent Confessionistæ, dum etiam hæreseos accusant illos, qui maioris meriti causâ virginitatem sectantur. Ita enim loquitur hoc loco Apologia: *Cœlibatum verò efferebant tanquam Angelicum vitæ genus* (meritò: quia ipse Christus innuptos Angelis comparat, Matth. 22.) *hunc prædicabant gratissimum Deo sacrificium esse, mereri remissionem*

Digitized by Google

nem peccatorum (hoc falsum est) *mereri aureolas; ferre centesimum fructum, &c. Has religiones Angelorum Paulus valdè improbat, ad Coloss.*

Iouiniani suasu multæ virgines Deo dicatæ ad matrimonia conuolarunt; ipse tamen matrimonium non contraxit. Lutherus verbo & exemplo idem multò efficaciùs persuasit.

Iouinianus docebat, *inter abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam esse differentiam*, vt loc. cit. dicit S. Hieron. In hoc quoque Confessionistæ Iouinianum strenuè sequuntur, & ijsdem argumentis vtuntur, quibus Iouinianum S. Hieron. lib. 2. aduersus illum vsum fuisse refert: *Apostolus clamitat: Omnia munda mundis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et, Venturos in nouissimo, qui prohibeant nubere, & vesci cibis, quos Deus creauit ad vtendum &c.*

QVAESTIO IV.

Vtrùm rationes, quas Aug. Confessio adducit, conuincant legem cælibatus hoc tempore abolendam esse?

RAtiones, ob quas cœlibatus Sacerdotibus iniunctus est, multæ adferuntur. Ex Apostolo istæ potissimùm deduci possunt. I. Sacerdotum officium est continuò vacare orationibus: quod non ita possent, si conjugijs implicati essent. Nam Apostolus ipsos coniugatos ad tempus abstinere jubet, vt vacent orationibus: Ergo decet Sacerdotes coniugio prorsus abstinere. Hanc rationem lib. 1. cont. Iouin. ita ponit S. Hieron. *Si Laicus, & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum, ergo semper carendum matrimonio.*

II. Sacerdotem de rebus terrenis non decet esse sollicitum, nec terrenis negotijs implicatum: juxta illud 2. Timoth.

2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus*: Sed qui coniugati sunt negotijs & sollicitudinibus temporalibus communiter implicati sunt, juxta illa 1. Cor. 7. sup. citata: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi: Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, & diuisus est*: Ergo Sacerdotem non decet esse coniugatum.

III. Non tantùm voluptas, quæ in vsu coniugali percipitur, mentem distrahit, & impedit quò minùs liberè feratur in Deum, vt ex suasione Pauli, qua coniugatos ad abstinendum mouet, colligitur; sed & communiter in actu coniugali culpa inesse solet: quando videlicet solius voluptatis causâ exercetur: vt S. Augustinus Lib. de bono Coniug. c. 10. docet. Quia autem apud multos præcipuus iste coniugorum finis est (nec dubito, quin etiam apud Apostatas Monachos, & Sacerdotes) tametsi nihil aliud esset, hoc solum faceret coniugiorum contractus illicitos; quamuis non inualidos. Id quod insinuat Christus, quando de dissoluta hominum vita ante diluuium agens, Matth. 24. 38. dicit: *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, &c.* Itaque quia Sacerdotes totos rebus spiritualibus intentos esse conuenit; par est vt à coniugiis abstineant: non quòd ipsum statum coniugalem pro impuro habeamus, aut statui sacerdotali repugnante (nam Concilium Trid. Sess. 24. c. 10. docet, matrimonium esse rem sanctam & sanctè tractandam. Et quomodo matrimonium per se impurum dicere possumus, cùm illud inter Sacramenta referamus?) nam ipsum matrimonij vinculum Sacerdotio non repugnat, quod etiam hodie in Sacerdotibus licitè manere potest, si coniuges ex mutuo consensu quoad thorum separentur. Sed vsum coniugij, & reliquas curas, quas coniugium secum trahit, Sacerdotio consentaneas non esse asserimus. Id quod ex ipso discursu Apologiæ deduci potest: *Christus & Paulus*, inquit, *laudant virginitatem, quòd sit expeditior in orando, docendo, seruiendo. Ideò Paulus ait: Virgo curat ea quæ Domini sunt. Laudatur igitur virginitas propter meditationem, & studium.* Et paulò pòst: *Interim*

Interim tamen boni scient moderari vsum coniugalem, præsertim cùm sunt occupati publicis ministeriis. Cùm ergò Sacerdotibus orationi, meditationi, studio, publicis ministeriis perpetuò vacare incumbat; quid conuenientius, quàm vt perpetuò ab vsu coniugali abstineant?

Sed rationes Confessionis pro lege cœlibatus abolendæ videamus.

CONCLVSIO: Aug. Confessio nulla efficaci ratione probat, legem de cœlibatu Clericorum esse abolendam. Prima enim ratio est talis: *Paulus 1. ad Timoth. 4. vocat doctrinam dæmoniorum, quæ coniugium prohibet: Sed lex cœlibatus coniugia Sacerdotum grauißimè prohibet: Ergo ad doctrinam dæmoniorum pertinet.* Sed hæc argumentatio fallax est: quia procedit à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Paulus enim eos tantùm damnat, qui nuptias tanquam malas absolutè prohibent; Catholici autem non ipsas nuptias prohibent; sed certas personas ab illis abstinere iubent, quæ sponte sua ad eum se statum redegerunt, cui nuptiæ propter votum licitæ non sunt. Cùm ergo argumentatio illa non sit bona: *Catholici prohibent Sacerdotibus, & Monachis nuptias: Ergo prohibent nuptias* (sicut nec illa: Magistratus prohibet sutoribus, sartoribus, & carnificibus prædicationem Verbi Dei: Ergo prohibet prædicationem Verbi Dei) euidens est, syllogismo supra posito nihil concludi: quia quatuor terminis constat. Nam prohibitio nuptiarum in Minore secundùm quid sumitur, in Maiore simpliciter. Et si quid syllogismo isto concluderetur, concluderetur contra ipsum Paulum, qui in eadem Epist. docet, nuptias viduis Deo dicatis prohibitas & damnabiles esse, vt supra vidimus. Item hoc ipso loco clarè ostendit, quales nuptiarum prohibitiones damnet, quando ciborum & nuptiarum prohibitiones coniungit, & v. 4. rationem reddit, ob quam ciborum prohibitio illicita est: *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Itaque nuptias & cibos prohibere tanquam res malas, vt Saturninus, Ebion, Simoniani, Manichæi, Marcionitæ, Encratitæ,

titæ fecerunt, hæreticum est; fine bono prohibere cibos, & certis personis nuptias, vt Paulus viduis Deo dicatis, licitum est: quia ipsi Apostoli Act. 15. certos etiã cibos prohibuerunt.

II. Ratio est: *Cœlibatus non est omnibus & singulis hominibus possibilis: Ergo omnibus & singulis Sacerdotibus per legem imponendus non est.* Hoc est argumentum à dicto simpliciter, ad dictum secundùm quid: ac si dicerem: Omnes & singuli homines non possunt docere Theologiam: Ergo omnes Professores Theologi ad docendam Theologiam non sunt obligandi. Vt enim non omnium & singulorum est docere Theologiam; sed apti ad illud munus eliguntur; ita non omnes & singuli sunt, aut esse possunt Sacerdotes; sed qui sufficiente scientiâ instructi, maturo consilio, & ad gloriam Dei statum istum amplectuntur. Hos enim gratiâ suâ non destituet Deus, si cum magna fiducia ad illum confugiant, & remediis ad tuendam castitatem necessariis vti velint. Non ignoramus tamen, multos ad sacros Ordines temporalium commodorum gratiâ magis, quàm seruitij Dei, castitatis seruandæ, & vt rebus spiritualibus promptiùs vacare possint, conuolare; Sed hæc personalia vitia sunt, Episcoporum & Confessariorum vigilantiâ quantum fieri potest corrigenda: non ipsa res laudabilis, quæ, vt cum Apostolo loquar, *facultatem præbet Dominum sine impedimento obsecrandi*, abolenda est. Porrò nemini vnquam Sacerdoti aut Monacho, ne Luthero quidem cœlibatum ita impossibilem fuisse existimo, quin, si ad sanam mentem redire voluisset, per Dei gratiam extra matrimonium castè viuere potuisset. *Qui enim operatur in nobis velle, operabitur & perficere pro bona voluntate.* ad Philipp. 2. 13.

III. Ratio est: *Quia senescente mundo humana natura paulatim ad continendum fit imbecillior: Ergo lex cœlibatus hoc tempore tolli debet, quo homines ad continendum sunt imbecilliores quàm olim: Sicut & in alijs obseruationibus Canonum antiquorum rigor, propter hominum imbecillitatem, posterioribus temporibus laxatus fuit.* Sed cùm duplex sit infirmitas, naturalis videlicet, & voluntaria; naturalis non impedit, quò minùs homo per Dei

gratiam

Digitized by Google

gratiam continere possit: sicut naturales vires per se facere nõ possunt, vt homo contineat; sed gratiæ Dei hoc donum ascribendum est. Quamuis non sine voluntatis humanæ concursu, & applicatione eorum mediorum, quæ ad continentiam necessaria sunt, hominibus contingat. Iam verò gratia Dei in quauis infirmitate idem operari potest, quod in excellentissimis naturæ viribus. Adde quòd merum figmentum est, naturam humanam hoc tempore ad continendum imbecilliorem esse, quàm ante aliquot sæcula fuit. Omnis, quæ hac in parte infirmitas est, voluntaria est: quia nimia solet esse licentia morum, & vitæ Clericorum. Itaque abusus, per quos incontinentia in multis Clericis oritur, corrigendi sunt; non ipse cœlibatus, quem innumeri inuiolatum seruant, abolendus.

IV. Ratio: *Lex cœlibatûs plurima parit scandala, adulteria, & alia scelera, digna animaduersione boni Magistratus: Ergo abolenda est.* Nego Antecedens: Quia lex cœlibatus non parit ista scandala; sed mala vita hominum: Lex enim cœlibatus voluntariè & rectè suscepta, facit hominem *sanctum corpore & spiritu, sollicitum quæ Domini sunt, & sine intermissione Dominum obsecrare*: Si autem lex cœlibatus ideò in vniuersum abolenda foret, quòd illius occasione quidam ex malitia sua peccent; etiam lex Decalogi abolenda esset, de qua Apostolus Rom. 7. 8. ait: *Occasione acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et v. 11. *Peccatum occasione acceptâ per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Eodem enim modo malitia hominum, occasione acceptâ à lege cœlibatus, operatur in illis omnem illicitam concupiscentiam. Cùm tamen de ipsa hac lege dici possit, quod de lege Decalogi dicit ibidem Apostolus, v. 12. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum, &c.*

V. Ratio: *Videntur Ecclesiæ aliquando defuturi Pastores, si diutiùs prohibeatur coniugium.* Scilicet, nisi ex Prædicantibus procrearentur noui Prædicantes, Ministerium eorum breui personis destitueretur. Neque enim quisquam paulò honoratioris conditionis facilè Prædicantis munus in se recipit. Nos verò

Digitized by Google

verò non indigemus, vt Sacerdotes ex Sacerdotibus more Leuitico generentur, ne aliquando desint, qui Sacerdotes fieri velint: quando non tantùm ex plebe innumeri, sed ex Clarissimis quoque Nobilium, Baronum, Comitum, & Principum familiis plures hodieque sunt in Ecclesia Romana Sacerdotes, quàm sint Confessionistarum Prædicantes in vniuersum.

VI. Ratio: *Lex Cælibatus non solùm contra omnia iura, diuina & humana; sed etiam contra ipsos Conciliorum & Pontificum Canones Sacerdotum coniugia distrahit. Et cùm omnes Respublicæ benè constitutæ, etiam apud Ethnicos coniugium honorent; hac lege capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes: idque nullam aliam ob causam, quàm ob coniugium. Et hanc ipsam legem* (verba sunt Apologiæ) *nunc exacerbant multis modis: Canon iubet suspendere Sacerdotes; isti parùm commodi interpretes suspendunt, non ab officio, sed ab arboribus.*

Ad hanc postremam rationem R. I. varias olim pœnas in Sacerdotes constitutas fuisse, qui post susceptum Sacerdotij Ordinem vxores duxissent. Concil. Neocæsar. quod circa annum Dom. 311. sub Melchiade Papa Congregatum fuit, Canone 1. statuit, Presbyterum, si vxorem duxerit, ab Ordine suo deponi debere. Concilium Toletan. 2. quòd circa annum Dom. 528. celebratum est, sanciuit, vt Sacerdos, si vxorem duxerit, tanquam sacrilegij reus ab Ecclesia extraneus habeatur. Concil. Toletan. VIII. circa annum 652. Canone 6. decreuit, vt Presbyter, & Diaconi, qui se quibuslibet fœminis miscuerint, si coerceri nequiuerint, vsque ad exitum vitæ suæ monasteriis deputati disciplinis monasticis maneant omnino subiecti.

R. II. Sacerdotum & Monachorum coniugia semper in Ecclesia tanquam illicita & sacrilega habita fuisse; non tamen semper, postquam contracta erant, inualida. Nihilominus publica Ecclesiæ auctoritate rectè constitutum esse, vt Sacerdotum & Monachorum matrimonia sint irrita, & non censeantur matrimonia, sed sacrilegi concubinatus. Nam publica Ecclesiæ auctoritas potestatem habet illicitos matrimonij contractus

contractus declarandi nullos: non quòd aliquid circa ipsum matrimonij Sacramentum mutare possit; sed quòd contractui ciuili, qui à Sacramento supponitur, certas conditiones ad valorem suum præscribere. Idque Aduersarij improbare nō possunt: quia ipsi irrita volunt esse matrimonia, quæ inuitis parentibus contrahuntur. Sic enim hac de re argumentatur Kénitius, in 2. p. Exam. Concil. Trid. Matrimonium talis coniunctio esse debet, vt eius auctor & conciliator Deus ipse haberi possit. Sed tale non est matrimonium, quod inuitis parentibus contrahitur: quia contrahitur contra mandatū Dei, quo iubentur filij parentibus in omnibus obedire: Ergò, &c. Si verò hic discursus aliquid valet, suppositâ totius antiquitatis orthodoxæ sententiâ, quæ coniugia Sacerdotum illicitè, & contra fidem Deo datam contrahi asserit, matrimonia hæc absque vlteriore Ecclesiæ decreto sunt per se invalida. Nunc autem nihil aliud asserimus, quàm Ecclesiam rectè declarasse contractus Sacerdotum, & Monachorum, Monacharumque nupturientium invalidos; ne spe matrimonij primam fidem Deo datam faciliùs irritam faciant. Itaque si qui Apostatæ, postquam ad nuptias conuolârunt, puniti sunt; non sunt puniti ob matrimonium; sed ob sacrilegum concubinatum, per quem matrimonium simul & sacerdotium polluerunt. Neque propter hoc solum, sed quòd insuper concubinatum illum tanquam legitimum matrimonium defenderunt, & legē cœlibatus seruandam non esse contenderunt: asserentes cuilibet Sacerdoti, vel Monacho pro arbitrio suo nuptias contrahere licere. Quod nullus vnquam orthodoxus in Ecclesia asseruit.

ARTICVLVS XVI.
DE VOTIS MONACHORVM.

DE votis Monachorum est in Confessione Aug. Articulus XXVII.

XXVII. in quo docetur I. Monasteria Augustini tempore fuisse libera Collegia, & scholas sacrarum Litterarum, aliarumque Disciplinarum, quæ sunt vtiles Ecclesiæ: & ex Monasteriis sumi consueuisse Pastores, & Episcopos. Posteà, corruptâ disciplinâ, addita esse vota, vt tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur.

II. Multos ante iustam ætatem, aut, si non deessent anni, absque maturo de suis viribus iudicio in monasteriis manere coactos esse. Quod magis etiam acciderit in monasteriis Virginum, in quæ multæ puellæ victûs tantùm causâ intrusæ sint.

III. Ad hæc mala accessisse hanc persuasionem de votis, quòd paria sint Baptismo, quòd mereantur remissionem peccatorum, & iustificationem coram Deo, quòd Monachi seruent non solùm præcepta, sed etiam consilia. Vnde sibi multi persuaserint, monasticam professionem longè meliorẽ esse Baptismo, & plus mereri, quàm vitam Magistratuum, Pastorum, & similium, qui vocationi suæ seruiunt: eò quòd sit status perfectionis.

IV. Repetit ea, quæ de Coniugio Sacerdotum dicta sunt, videlicet omnes ad cœlibatum non idoneos matrimonium inire debere. Quòd si enim hoc illicitum esset, Pontifices nũquam dispensaturos fuisse: Vt cum Rege Arragonum factum est, qui ex Monasterio revocatus fuit.

V. Cùm quidam Canones rescindant vota ante XV. alij antè XVIII. annum facta, maximam partem habere legitimam causam monasteria deserendi, quia plerique ante hanc ætatem vouerunt.

VI. Tametsi violatio voti reprehendi posset, matrimonia tamen talium personarum non esse dissoluenda, vt S. Augustinus, cuius non leuis sit auctoritas, 27. q. 1. c. Nuptiarum, doceat.

VII. Non solo mandato de coniugio liberari homines à votis; sed etiam quòd vota sint excogitata ab hominibus sine mandato Dei: idque ad promerendam iustificationem, & gratiam:

Digitized by Google

gratiam: quod contra plurima Scripturæ loca faciat. Tribui enim propriis operibus, quod ad gloriam Christi propriè pertinet.

VIII. Monachatum ſcandaloſè vocari ſtatum perfectionis, quòd populus hoc audiens cum conſcientiæ offenſione maneat in coniugio, & poſſeſſione rerum ſuarum. Cùm vera perfectio ſit ſeriò timere Deum, confidere quòd propter Christum habeamus Deum placatum, & foris diligenter facere opera bona, ac ſeruire vocationi. Iam verò multos deſertis coniugiis, deſertâ Reipub. adminiſtratione abdere ſe in monaſteria: idque vocare mundum fugere, quærere vitæ genus Deo magis placens: non videntes Deo ſeruiendum in illis mandatis, quæ ipſe tradidit. Ac denique ita concludit: *Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quòd iuſtificent, quòd ſint perfectio Chriſtiana, quòd ſeruent conſilia & præcepta, quòd habeant opera ſupererogationis. Hæc omnia cùm ſint falſa & inania, faciunt vota irrita.* Ex his multa ſunt, quæ operoſâ diſcuſſione non indigent, quia partim ex dictis conſtat, quid de illis ſentiendum, partim facilia ſunt.

Primò enim dicit Confeſſio, qui ante juſtam ætatem, aut coactè, aut imprudenter vouerunt, eorum vota eſſe irrita. Sed hoc titulo omnium vota ſacrilegè irritare conatur. Et, vt ex Art. ſuperiore patet, Eccleſiæ prouidentiâ proſpectum eſt, ne quis ante juſtam ætatem, neque inuitè, aut imprudenter vouere poſſit; ſi quidem media propoſita adhibeat. Interim Pontifex, examinatis rerum circumſtantiis, infirmitati condeſcendere, & diſpenſare poteſt; ſi quando videat hoc eius ſaluti, qui vouit, magis congruere, & bono Eccleſiæ, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ non nociturum. Sed nemo ſuâ auctoritate his prætextibus à votis reſilire poteſt.

II. Mera calumnia eſt, quòd dicamus homines per vota remiſſionem peccatorum mereri, vt ex Art. de Iuſtif. manifeſtum eſt.

III. De præcepto diuino ad coniugium obligante ſatis dictum eſt Art. ſup.

IV. In eodem Art. falsi sumus, coniugia Sacerdotum, post sacerdotium contracta, non semper & vbique habita esse inualida. Interim semper habita sunt illicita, & sacrilega: Quod Confessionistæ Augustino credere debent, cuius hac in re auctoritatem Confessio commendat. Nam loco in Confess. citato (qui est in Libro de Bon. Coniug. per 4. Capita. videlicet 8.9.10.11.) c.9. vbi eorum matrimonia valida dicit, qui vouerunt (voto tamen simplici, non solenni, vt plerumque exponunt) etiam hæc habet: *In viduali & virginali continentia non solùm capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est. Nam vt hoc demonstraret Apostolus non ait: Cùm in delicijs egerint, nubunt; sed, nubere volunt, habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: etsi non nubendo, sed tamen volendo.* Et c. 11. *Quapropter non possum quidem dicere, à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non coniugia; sed planè non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vouetur Deo, adulterijs esse peiores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non seruat marito; quantò grauiùs offenditur, cùm illi ipsi non seruatur fides, in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum. Cùm enim quisq; non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vouit; tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minùs habuit vouendi necessitatem.* Itaque illius ipsius loci sententiâ, quem pro se Confessio allegat, Lutherus, & quotquot post votum nuptias celebrarunt, adulteris peiores fuerunt. Quid ergo insuper de omnibus Confessionistis dicendum erit, qui adulterinam hanc & sacrilegam luxuriam licitam esse docent? Et ideò S. Augustino aliisque Patribus locum 1. Tim. 5. exponentibus contradicunt cum Apologia sua, quæ ita habet: *Damnat Paulus viduas, non quia nubũt (iubet enim nubere iuniores) sed quia publico sumptu alitæ lasciuiebant: ideoq; fidem abijciebant. Hoc vocat primam fidem, scilicet non voti monastici, sed Christianismi.* Art. de Vot. Monast.

Porrò circa hunc Art. quæstiones istas quàm breuissimè explicabimus: I. Vtrùm monasteria tempore S. Augustini

stini fuerint libera collegia, & scholæ Litterarum absque votis? II. Vtrùm Catholici vota æquent, vel præferant Baptismo? III. Vtrùm rectè dici possit, eos qui vouent, facere res non præcepti, sed consilii? IV. Quomodo status Monachorum sit status perfectionis?

QVAESTIO I.

Vtrùm Monasteria tempore S. Augustini fuerint libera collegia studiosorum absq; votis?

Monasteria *Augustini tempore*, inquit Aug. Confessio, *erant libera Collegia. Posteà corruptâ disciplinâ vbiq; addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur*. Item, *Olim erant scholæ sacrarum Litterarum, & aliarum disciplinarum, quæ sunt vtiles Ecclesiæ, & sumebantur inde Pastores, & Episcopi.*

CONCLVSIO I. Falsum est, monasteria tempore S. Augustini fuisse tantùm libera Collegia sine votis, quibus posteà vota accesserint. Quia, vt Catholici ante 100 annos rectè in Comitijs replicuerunt, non monasterijs vota superaddita sunt, sed potiùs monasteria superuenerunt votis. Probatur Conclusio aliquot S. August. testimonijs (quamuis etiam antiquiora adduci possent) De lege siue voto paupertatis ait Lib. de Vita com. Cleric. *Volui habere in domo Episcopi mecum monasterium Clericorum. Ecce quo modo viuimus: Nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium; sed si fortè aliquid habent, nulli licet: & qui habuerint, faciunt quod non licet. Benè autem sentio de Fratribus meis, & semper benè credens ab hac inquisitione dissimulaui &c. Nouerant enim & noui omnes qui mecum viuerent nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ.* Et, *Nostis omnes, aut penè omnes, sic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, vt quantum possumus, imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur Liber Act. Apostolorum: Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.*

De voto castitatis, in monasteriis edi solito, tum alibi sæpè, tum in Psal. 75. ait: *Nescio quæ Castimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo qualibet. Quid voluit? Quod & mater ipsius.*

Aliquid

Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia jam vouerat Domino Deo suo. Quid enim dixit de talibus Apostolus Paulus, cùm dicit, viduas adolescentulas si nubere velint &c.

De resignatione & obedientia Monachorum agit Lib. 1. de Morib. Eccl. Cath. c. 31. dicens: *Operantur* (Monachi) *manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eò quòd sint denis præpositi: vt neminem illorum cura sui corporis tangat, neq; in cibo, neq; in vestimento, neq; si quid aliud opus est quotidianæ necessitati, vel mutatæ vt assolet valetudini. Illi autem Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, traditionem etiam ipsi reddunt vni, quem Patrem vocant. Hi verò Patres nulla superbia consulunt his, quos filios vocant: magnâ suâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate.* Ac terna vt minimùm Monachorum millia sub vno Patre fuisse dicit.

Et generaliter nemini monasterium suum deserere licuisse, multis locis docet: Vt in Psal. 83. *Sic quibus placet*, inquit, *relictâ omni spe sæculari, & omni actione terrenâ conferre se in societatem Sanctorum, in communem illam vitam, vbi non dicit aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, & est illis anima vna, & cor vnum in Deum; quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille, qui non intrauit. Ille enim nondum accessit, iste retrò respexit. Quapropter, Charissimi, quo modo quisq; potest, vouete & reddite Domino Deo vestro. Nemo respiciat retrò, nemo pristinis suis delectetur, nemo auertatur ab eo quod ante est, ad id quod retrò est.* Et Lib. de Bon. perseuer. c. 15. *Fuit*, inquit, *quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret? Respondebat: Qualiscumq; nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum: sed vsq; adeò profecit in malum, vt desertâ monasterij societate fieret canis reuersus ad suum vomitum. Et tamen adhuc qualis sit futurus incertum est.*

His, vt alia innumera testimonia tum S. Augustini, tum aliorum Patrum omittam, accedat Cōcilium Chalcedonense,

vnam ex quatuor celeberrimis, quod ipsi Aduersarii recipere se asserunt, in cuius c. 15. ita definitur: *Si qua Virgo se dedicauerit Deo, similiter Monachus, non licet eu nuptijs jungi. Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati.*

CONCLVSIO II. Non diffitemur in quibusdam monasteriis post pietatem etiam Litteras sacras, & alias disciplinas doctas fuisse, atque ex monasteriis sæpè Episcopos & Pastores ad Ecclesiæ regimen esse assumptos; sed ij tamen voto continentiæ etiam extra monasteria astricti manebant. Dixi, in quibusdam monasteriis, quia S. Basilius in Constit. Monast. Cassianus de Instit. Cœnob. Augustinus Lib. 1. de Morib. Eccl. c. 31. Hieron. Epist. ad Paulam instituta Monachorum describentes, orationis, psalmodiæ, ieiunij, continentiæ, obedientiæ, paupertatis & c. mentionem faciunt: de studiis Litterarum nihil addunt.

Probatur Conclusio: Quia præter Scriptores Ecclesiasticos testatur hoc ipse Iustinianus Imp. quod diximus, in Nouel. 5. c. 8. dicens: *Si quis monasticam profitentium conuersationem induit Clerici Ordinationem; maneat etiam sic puram seruans conuersationem. Quod si factus Clericus abutatur fiducia, & ad nuptias venire præsumat; &c. excindatur modis omnibus à Clero.*

Itaq; facilè quilibet videt, quo fundamento nitatur speciosus ille titulus Reformationis monasteriorum, apud Confessionistas vsitatus, videlicet hoc tam palpabili mendacio, quòd monasteria olim nihil aliud fuerint, quàm libera Collegia, & Scholæ Litterarum, atque virginum ad matrimonium venturarum contubernia. Id quod clariùs explicat Lutherus, in Articulis Smalcald. p. 2. art. 3. inquiens: *Collegia, & monasteria olim bonâ intentione fundata, ad doctorum virorum educationem, & modestarum ac pudicarum mulierum, debent rursus ad talem vsum conuerti, vt Parochi, Concionatores, & alij Ecclesiæ Ministri haberi possint, atq; insuper personæ ad regimen politicum necessariæ in ciuitatibus, & regionibus, & benè educatæ virgines ad œconomiam, & liberorum educationem. Si ad hos vsus non seruiant, præstat omnino deseri, aut euerti.*

Tali

Tali videlicet vsui tempore S. Augustini monasteria virginum fundata erant (de viris satis dictum est) quod ipse testabitur cit. Lib. 1. de Morib. Eccl. c. 31. vbi post mentionem virorum, de mulieribus ita loquitur: *Hac est etiam vita fœminarum Deo sollicitè castéq; seruientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ à viris quàm longissimè decet, piâ tantùm illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis. Ad quas iuuenum nullus accessus* (Sed secundùm Lutherum etiam procos admittere debebant) *neq; ipsorum quamuis probatissimorum senum, nisi vsq; ad vestibulum, necessaria præbendi quibus indigent gratiâ &c.* Sed quid opus est pluribus in re tam manifesta?

QVAESTIO II.

Vtrùm Catholici vota monastica Baptismo præferant, vel æquent?

AD *hæc mala*, inquit Aug. Confessio, *accedebat talis persuasio, quam constat etiam olim displicuisse ipsis Monachis, si qui paulò cordatiores fuerunt: Docebant vota paria esse Baptismo.* Et paulò pòst: *Ita persuadebant monasticam professionem longè meliorem esse Baptismo.*

CONCLVSIO: Neque S. Thomas, neque vllus Catholicorum docet, vota monastica secundùm se considerata, paria, vel meliora esse Baptismo. Loquor de S. Thoma, quia Philippus in Apologia eum speciatim nominat, inquiens: *Itaque & illa blasphemia nullo modo ferenda est, quæ apud Thomam legitur, Professionem monasticam parem esse Baptismo.* Probatur I. Quia vt S. Thomas, & omnes Scholastici docent, Baptismus omnibus hominibus ad salutem necessarius est; vota monastica non sunt: Baptismus peccata omnia in homine existentia abluit; vota monastica ne vnicum quidem peccatum mortale per se tollere possunt. Philippus enim per calumniam ibidem asserit nos sentire, quòd per vota monastica consequantur homines remissionem peccatorum: quia nihil aliud sentimus, quàm quod S. Thomas passim docet, remissionem peccatorum non propter opera nostra, sed gratis propter merita Christi,

sti, quamuis non sine voluntarijs cordis nostri motibus, nobis conferri.

II. Probatur ex verbis S. Thomæ 2. 2. q. 181. in qua ex professo de ingressu Religionis agit, art. 3. ad 3. *Rationabiliter*, inquit, *dici potest, quòd etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum* (quoad pœnam videlicet, vt ex sequentibus patebit) *Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundùm illud Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime; multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter diuinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum: quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in Decretis 33. q. 2. c. Admonere. Sicut etiam holocaustum excedit sacrificium, vt Gregorius dicit super Ezech. Vnde legitur in vitis Patrum, quòd eandem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Si tamen non absoluerentur per hoc ab omni reatu pœnæ; nihilominùs ingressus Religionis vtilior est, quàm peregrinatio terræ sanctæ, quantum ad promotionem in bonum, quæ præponderat absolutioni à pœna.* Itaque eandem gratiam consequi dicit eos, qui Religionem ingrediuntur, quam consequuntur baptizati, quoad remissionem pœnæ videlicet. Manifestum enim est ex aliis S. Thomæ locis, non posse dici, homines per talem ingressum solitariè sumptum peccatorum remissionem quoad reatum culpæ consequi. Atque ex hoc ipso loco idem colligitur, quia ingressum Religionis satisfactionibus in pœnitentia vsitatis comparat: Atqui vt S. Thomas 3. part. q. 14. art. 7. docet, nemo in peccatis existens pro peccatis satisfacere potest, sed remissione peccatorum per contritionem impetratâ, bonis operibus pro pœna temporaria satisfacere possumus. Adeò vt qui omnium peccatorum remissionem anteà impetrauit, & deinde in aliud peccatum mortale incidit, pro peccatorum ante remissorum pœna ex mente S. Thomæ in tali statu satisfacere non possit: *Quia*, inquit, *præcipuum opus in satisfactione est eleemosyna: Sed eleemosyna extra charitatem facta non valet vt patet 1. Cor. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes*

facultates meas, &c. Ergo de ingressu & professione Religionis ex sententia S. Thomæ similiter ratiocinandum est.

III. Catholici de votis monasticis & Baptismo agentes, non præferunt illa huic, sed tantùm comparationem quandã inter ista faciunt. Vt enim homo in Baptismo abrenuntiat Diabolo, & pompis eius, ita per vota monastica diuitiis, voluptatibus, & propriæ voluntati, quæ sunt instrumenta, quibus Diabolus infinitos homines in exitium præcipites agit, abrenuntiat. Et sicut in Baptismo omnis simul culpa & pœna tollitur; ita in ingressu Religionis, ablatâ videlicet per veram pœnitentiam culpâ, omnem pœnam tolli probabile est. Si quidem cum debita intentione ex vera charitate Dei vota emittantur. Probabile tamen hoc ipsum tantùm est, non articulus fidei: vnde & ipse S. Thomas supra citatus, dubitanter de hac re loquitur. Interim hoc non esse nouum commentũ, sed ab antiquissimis Patribus acceptum dogma constat ex illo S. Hieronymi Epist. 25. de obitu Blæsillæ: *Cùm propitio,* inquit, *Christo ante quatuor fermè menses secundo quodam modo se propositi Baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper monasterium cogitauerit, &c.* Item S. Athanasius in vita S. Antonij refert, ipsum in visione intellexisse, omnia sibi peccata remissa fuisse, quando monasticam vitam amplexus est. Abutuntur autem Aduersarij termino remissionis peccatorũ, quando illum Catholici in satisfactionibus vsurpant: quasi de culpis loquerentur, cùm tantùm de pœnis illis sermo sit, quæ, remissis per Dei misericordiam & propter Christi satisfactioné culpis, hominé temporaliter luendæ manere solent.

Porrò vt Philippus in Apolog. falsò tamen, dicit: *Furor est, humanam traditionem, quæ neq; mandatum Dei, neq; promissionem habet, æquare ordinationi Christi, quæ habet mandatum & promissionem Dei, quæ continet pactum gratiæ, & vitæ æternæ*; ita nos verè dicere possumus: Furor est, Confessionistas fidem suam specialem, quæ neque mandatum, neq; promissionem in Scriptura habet, non æquare, sed præferre Baptismo, quando non virtute Baptismi, sed huius tantùm fidei apprehensione pecca-

ta re-

ta remitti asserunt. Atque post homicidia, adulteria, & alia infinita flagitia omnem simul culpam & pœnam tolli dicunt, si quis per fidem specialem certò secum statuat, peccata sibi propter Christum esse remissa. Nobis autem indignandi rationem nullam habent, quando dicimus, hominem per veram fidem & contritionem, ex misericordia Dei, & propter Christi merita à peccatorum reatu absolutum, per Vota monastica, quibus ex charitate Dei mundo renuntiat, vt Deo totus seruire possit, pœnarum omnium temporalium, ex eadem tamen misericordia Dei, & Christi meritis, remissionem consequi.

QVAESTIO III.

Vtrùm vota monastica sint consilij Euangelici?

ADdebant, inquit Confessio, *vitam monasticam non tantùm iustitiam mereri coram Deo; sed amplius etiam; quia seruaret non modò præcepta, sed etiam consilia Euangelica.* Et Apologia ita hac de re loquitur: *Falsum & hoc est, quòd obseruationes monasticæ sint opera consiliorum Euangelij. Nam Euangelium non consulit discrimina vestitus, ciborum, abdicationem rerum propriarum &c.* Sed aliud est agere de votis monasticis, aliud de discrimine vestitus, ciborum, &c. Vota enim monastica, omnibus Religiosis communia, non versantur circa ista accidentalia discrimina; sed circa castitatem perpetuam, paupertatem, & obedientiam. Reliqua autem à pijs viris diuerso modo addita sunt, tanquam variorum Ordinum ornamenta, & ad vitam spiritualem adiumenta.

Obseruandum autem est, consilium Euangelicum dici rem aliquam arduam, & eâ quæ sub præcepto obligat meliorem, non ad omnes homines pertinentem, sed in cuiusque arbitrio positam: & proinde si omittatur, nihil mali adferentem, sed tantùm aliquo bono priuantem. De difficultate consilij loquitur S. Ambros. Lib. 1. de Virgin. *Quis humano eam* (virginitatem) *possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod supra v-*

sum natura sit? E cœlo accersiuit, quod imitaretur in terris.

De perfectione consilij præ rebus præceptis agit S. August. Serm. 18. de Verb. Apost. *Illa autem*, inquit, *amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desiderauerunt, vsque adeò acceptarunt præceptum, vt non recusarent consilium. Vt plus placerent, plus se ornauerunt.*

Quod consilium non ad omnes pertineat, vt præceptum, docet idem August. Serm. 61. de tempore inquiens: *De virginitate dicitur: Qui potest capere capiat; de iustitia non dicitur: Qui potest facere faciat; Sed, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Quòd consilium sit res arbitrij docet idem lib. de sancta virginit. c. 30. *Neque enim*, inquit, *sicut, Non mœchaberis, Non occides, dici potest, Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiunt ista, laudantur; nisi fiant ista, damnantur.*

Denique de fine consilii in eodem Lib. c. 14. agit, his verbis: *In vita æterna est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda: cui consequendæ parùm est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voueatur: quod non sit criminis non vouisse; sed vouisse, ac reddidisse sit laudis. Consilium, inquit Apostolus, do.*

Iam verò Confessionistæ voluntariam paupertatem, continentiam perpetuam, &c. non ista ratione consilia, sed res omnino adiaphoras esse volunt: ita enim loquitur Apologia hoc loco: *Obedientia, paupertas, & cœlibatus, si tamen non sit impurus, exercitia sunt adiaphora. Ideoque Sancti vti eis sine impietate possunt* (egregia nimirum laus, quòd citra impietatem eis vti liceat, vt licet arte sutoriâ, vel sartoriâ) *Sicut vsi sunt Bernardus, Franciscus, & alij sancti Viri. Et hi vsi sunt propter vtilitatem corporalem* Scilicet coniugia Monachorum, & Sacerdotum spiritualia sunt; continentia sanctorũ Virorũ corporalis fuit.

CONCLVSIO: Paupertas voluntaria, castitas perpetua, & obedientia monastica, ex amore Christi suscepta, nõ sunt adiaphora, vel exercitia tantùm corporalia; sed virtutes per consilium Euangelicum commendatæ, quibus, si rectè

seruatæ

Digitized by Google

seruatæ fuerint, singularia in cœlo præmia tribuentur. Dixi, ex amore Christi, quia concedimus paupertatem, castitatem, & obedientiam absque hoc amore esse res adiaphoras, nihil ad cœlestem gloriam conducentes. Nam & Philosophi gentilium diuitias abiecerunt, & Romanæ Vestales à coniugijs abstinuerunt; nec tamen hoc illis quidquam ad salutem profuit.

Probatur Conclusio: Quia quidquid homo facere potest quod illum expeditiorem in seruitio Dei reddit, & securiùs ad vitam æternam perducit, id consultum est eum facere, quamuis absolutè non teneatur: Sed per ista tria supra posita fit homo expeditior in seruitio Dei, & securiùs ad vitam æternam perducitur: Ergo &c. Maior in terminis manifesta est: Vt enim periculosè nauigaturo consultum est, talem potiùs eligere nauem, quæ tempestatum incursibus resistere possit, quàm nauem laceram, & procellis facilè cessurã, ac submergendam; ita homini maximè consultum est, ad eam se vitæ rationem conferre, in qua ab incursu tempestatum sæculi remotior sit, & ad resistendum fortior, atque, si quid naufragij quandoque patiatur, de euadendo securior.

Probatur Minor, ex illo Ioan. 2. à v. 15. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et mundus transit, & concupiscentia eius.* Hæc sunt tria genera armorum Diaboli, quibus humanum genus incessanter oppugnat, & primum parentem nostrum in ipso paradiso prostrauit: videlicet per concupiscentiam carnis, dum comedere suasit; per concupiscentiam oculorum, dum dixit: *Aperientur oculi vestri*: per superbiam vitæ, dum falsò promisit: *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* His armis ipsum Christum aggressus est: per concupiscentiam carnis: *Dic, vt lapides isti panes fiant*: per concupiscentiam oculorum, siue auaritiam: *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me*: per superbiam vitæ, dum suasit, vt ad aucupandam vanam gloriam de summo templi fastigio se præcipitaret. His omnes Christiani resistere tenentur, vt ad vitam æternã perueniant: & vt quem-

Digitized by Google

que in sua vocatione resistere posse asserimus, ita longè faciliùs concupiscentiæ carnis resistunt, qui etiam licita coniugia propter Christum à se remouerunt, quàm qui in igne per vsum coniugij positi, non possunt non ardere. Concupiscentiæ oculorum faciliùs resistunt, qui licitas opes reliquerunt, quàm quibus ad vxoris liberorumque sustentationem opes necessariæ sunt. Multa quippe illis sæpè necessaria videntur, quæ superflua sunt, & nihilominus appetuntur.

Denique faciliùs superbiam vitæ, siue ambitionem, & dominandi libidinem superant, qui, cùm sui iuris essent, alienæ se voluntati & directioni sponte sua propter Christum subiecerunt, quàm qui sui juris sunt, & manent. Hæc tamen omnia tunc locum habent, quando vota monastica eo fine emittuntur, quo emittenda sunt, & diligenter secundùm ea viuitur. Neque enim ignoramus, neque defendimus hoc loco quorundam mores indisciplinatos, & abusus.

Porrò ipse Paulus insinuat, faciliùs præcepto de voluptate carnis vitanda satisfacere virgines, & cœlibes, quàm coniugatos; & præcepto de auaritia fugienda faciliùs satisfacere eos, qui diuitias propter Christum reliquerunt, quàm qui diuitias possident. Postquàm enim 1. Cor. 7. 25. dixisset: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* à v. 29. efficax huius consilii sui motiuum tradidit his verbis: *Hoc itaque dico, Fratres, tempus breue est. Reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi.* Id est, omnes Christiani, etiam coniugati, affectu suo ita comparati esse debent, tanquam nec vxores, nec diuitias haberent: parati omnia pro Christo relinquere. Atqui per vota monastica vxores, & diuitiæ de facto relinquuntur: Ergo qui ea ediderunt, longè faciliùs toto affectu Deo seruire possunt, quàm coniugati. Communiter enim fit, quod ibidem v. 33. dicit Apostolus: *Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.*

Eodem

Eodem pertinet illud Christi Matth. 19. vbi cùm adolescenti, qui omnia se mandata seruasse affirmauerat, v. 21. dixisset: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, &c.* Atque ille audito hoc sermone abiisset tristis; v. 23. & 24. subiunxit: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Et iterùm dico vobis, faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Circa quem locum obseruandum est I. Adolescentem illum fuisse probum, non hypocritam, vt Aduersarij volunt. Cùm enim apud Marcum c. 10. dixisset: *Hæc omnia obseruaui à iuventute mea*; v. 21. subiungitur: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei, &c.* 2. Matthæus ait: *Quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum:* Marcus loc. cit. v. 23. *Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei introibunt*: & similiter Lucas cap. 18. 24. Marcus autem à v. 24. addit: *Filioli, quàm difficilè est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire: faciliùs est camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Indicans, ordinariè fieri, vt qui diuites sunt, & pecunias habent, etiam in pecunijs confidant, & plus satis erga eas afficiantur: sicut qui cum vxore sunt, ordinariè nimis erga illas affecti, & diuisi sunt. Interim vt istos consolari debet, quod Christus apud Matth. v. 26. subiungit: *Apud homines hoc impoßibile est; apud Deum autem omnia poßibilia sunt*; ita negari non potest, quin qui vxoribus, & diuitijs firmo proposito propter Christum abstinent, longè faciliùs in regnũ cœlorum ingrediantur.

Porrò nugatur Philippus in Apologia inquiens: *Iniuriam faciunt textui, qui truncatum allegant. Perfectio est in hoc, Sequere me. Aliàs etiam Mahometistarum Monachi gloriari possent, se habere perfectionem Euangelicam.* Quasi verò in nuda paupertate, & castitate perfectionem Christianam collocaremus, nisi eo fine suscipiantur, vt Christum tantò expeditiùs, faciliùs, & securiùs toto vitæ decursu sequi liceat. Audiant hac de re S. Hieronymum, Lib. cont. Vigilant. *Quòd autem asseris, eos meliùs facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus poßeßionum suarum*

ſuarum pauperibus diuidunt, quàm illos, qui poſſeſſionibus venundatis ſemel omnia largiuntur; non à me, ſed à Domino reſpondebitur: ſi vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis patrem, nauiculam, & rete dimittit. Iſte, quem tu laudas, ſecundus, & tertius gradus eſt; quem & nos recipimus: dummodo ſciamus prima ſecundis, & tertijs præferenda.

Plura de conſiliis Euangelicis inſtituti noſtri breuitas addere vetat. Et quid opus eſt pluribus, vbi verba Chriſti tam manifeſta ſunt? Matth. 19. 12. *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, qui poteſt capere capiat.* Et verba Apoſtoli iam citata: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Quòd autem conſilium iſtud ſine corporali non detur, ſed ad maius bonum ſpirituale, nemo negabit, niſi qui totum Caput 1. Cor. 7. ex quo conſilium iſtud deſumptum eſt, negabit. Quid enim ſpirituale eſt, ſi ſollicitum eſſe quæ Domini ſunt, ſanctum eſſe corpore & ſpiritu, facultatem habere ſine impedimento Dominum obſecrandi, ſpiritualia non ſunt?

Patrũ teſtimoniis, quia paſſim obuia ſunt, prudens abſtineo.

DICES I. Cum Apologia tit. de Tradit. human. *Hæ Conſiliorum laudes plurimùm habent periculi: præſertim cùm longè diſſentiant à Scripturis. Scriptura enim non præcipit vt res ſint communes; ſed lex Decalogi, cùm inquit, Non furtum facies, dominia diſtinguit, & ſuum quemque tenere iubet. Ergo politiæ, & œconomiæ ridiculam & vaniſſimam hypocriſin paupertatis, & humilitatis præferre non debemus: cùm politia & œconomia habeant mandata Dei; illa Platonica communio non habeat mandatum Dei.*

RESPONDEO: Periculum, quod in Conſiliorum commendatione hîc ponitur, fictitium eſſe. Nam Philippus cerebri ſui phantaſmata proponit, & timet; non aliquid ex doctrina noſtra Euangelio contrarium. Neque enim docemus, homines per vota monaſtica mereri remiſſionem peccatorum, neque quidquam de gloria Chriſti detrahimus; ſed quidquid boni & fructus in Conſilijs eſt, Chriſto aſcribimus, qui

qui dat velle, & perficere, & dona sua coronare dignatur. Communio quidem rerum in Scriptura non præcipitur (vt nec præcipitur in nostra Ecclesia) attamen per laudatum in Scriptura primitiuæ Ecclesiæ exemplum commendatur.

Ridiculum autem est, illo præcepto: *Non furtum facies*, præcipi, vt quisque proprium teneat. Anne enim contra hoc præceptum fecerunt Apostoli, quando huic Christi doctrinæ, quæ Matth. 10. præscribitur, se conformarunt: *Nolite possidere aurum, neq; argentum?* An ipse Christus hoc præceptum violauit, qui Matth. 8. 20. de se dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet?* Hæc sunt videlicet præclara illa Scripturæ fundamenta, quibus laudabiles Ecclesiæ obseruationes superstitionis conuincuntur. Quis non videt, nihil agere Aduersarios, nisi puerilem hanc argumentationem admittamus: Deus vetat tollere alienum, dum ait: *Non furtum facies*: Ergo præcipit habere proprium. Quasi non detur tertium, quod exemplo Apostolorum laudabiliter fieri possit: videlicet neque tenere proprium, neque tollere alienum; sed habere omnia communia, vel ex liberalitate Christianorum victitare. Ostendant autem vel vnicum præceptum Euangelicum, quo rerum proprietas cuiquam mandata sit, nisi aliunde alijs prospicere teneatur: Vt sunt, quorũ operâ liberi indigent &c. Similiter politia nusquã Christianis singulis præcepta est: quamuis propter magnum Reipub. bonum aliquando certas personas obligare possit. Qua ratione Rex Arragonum, de quo Confessio mentionem facit, obligatus fuisse potest, ne Regnum, legitimo hærede destitutum, in interitum rueret. Et narrant Historici ipsum, nato sibi Filio, in monasterium postliminiò reuersum esse.

DICES II. Cum eadem Apolog. hoc. Art. *Duplex est rerum suarum desertio: quædam fit sine vocatione, siue mandato Dei. Hanc non probat Christus. Nam opera à nobis electa sunt inutiles cultus. Clariùs autem hîc apparet, Christum non probare hanc fugam; quia loquitur de deserenda vxore, & liberis. Scimus autem quòd mandatum Dei prohibet deserere vxorem, & liberos. Alia desertio est,*

quæ fit mandato Dei: videlicet cùm cogit nos potestas, aut tyrannis cedere, aut negare Euangelium. Hic habemus mandatum. Nam & corpus nostrum deserere debemus propter Euangelium. Hic ridiculum fuerit sentire, quòd cultus Dei sit, seipsum occidere. Vocatio autem illa adolescentis: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c. non est omnium, sed propriè ad illam personam, cum qua ibi loquitur Christus, pertinet. Vocationes autem personales non sunt imitandæ.

RESPONDEO I. Desertionem aliam esse mandatam, aliam non mandatam; sed in cuiusque arbitrio positam. Mandatum omnibus est, vt animo parati sint bona, vxores, liberos, vitam ipsam relinquere potiùs, quàm Deum offendere, aut negare. In cuiusque arbitrio positum est, bona sua, ad quæ retinenda alio titulo non obligatur (v. g. quòd liberos habeat) relinquere propter Christum, & pauperibus erogare: Quando enim Apologia hoc modo argumentatur: Quidquid sine mandato Dei ex propria electione fit, inutile, & prohibitum est, &c. Quæro: Si quis homo diues dimidiam bonorum suorum partem daret pauperibus, an malè faceret, nec ne? Non affirmabunt credo malè facturum; quia aliàs inferri posset, omnem eleemosynam, quæ ita voluntariè fit, vt posset licitè omitti, esse illicitam. Si autem talis non malè faceret; sequitur falsum esse illud Apologiæ fundamentum. Nam diues ille ex propria electione faceret, quod facere non tenetur.

RESPONDEO II. Vxores, & liberos deseri non posse; quia omnis maritus, & pater obligatus est, vt vxori & liberis, operâ suâ indigentibus prospiciat. Contra quam obligationem nemini ordinariè facere licet, etiam sine bono: sicut contra justitiam alienum rapere non possum, vt dem eleemosynam: juxta generalem illam regulam: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Qui autem*, vt cum Apostolo 1. Cor. 7. loquar, *non habet necessitatem, potestatem autem habet suæ voluntatis: quod vult faciat*. Et prout ille dicit: *Non peccat si nubat*; ita de simili materia dico: Non peccat, si bona sua retineat. Et prout ille addit: *Beatior autem erit, si sic permanserit*; ita hoc loco ad-

eo addendum est: Beatior erit homo, si bona temporalia propter Christum reliquerit, vt tantùm spiritualibus intentus maiores sibi thesauros in cœlo congregare possit. Itaque rerum istarum desertio, quas Christus apud Matth. coniungit, pro materiæ diuersitate diuerso modo explicanda est. Qui enim aliunde obligatus est ad aliquid non deserendum, ille non potest pro arbitrio suo hoc, maioris boni gratiâ, deserere. Vt non licet deserere coniugem inuitam, vt quis Monachus fiat: nec seipsum occidere, vt ampliùs peccare non possit. Item in multis casibus vxorem & liberos à se remouere quis potest: vt si ad flagitium impellant, &c. In nullo autem casu aut persecutione, nisi ipsius Dei jussu, seipsum occidere licet. Itaque Apologia non rectè parem harum rerum omnium deserendarum rationem facit.

RESPONDEO III. Vocationem adolescentis fuisse personalem; sed illam ideò rectè in consequentiam trahi, quia Christus ibidem docuit, ad introeundum in regnum cœlorum mandatorum quidem Dei obseruationem sufficere; nihilominùs magnam difficultatem pati eos, qui diuitias habent. Quid ni ergo liceat, abiectis diuitiis diuino seruitio se totum mancipare? Et quæ ratio est in continentia, eadem est in abdicatione diuitiarum: Sed omnibus sine discrimine Christianis, qui potestatem suæ voluntatis habent, dicit Apostolus: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et ipse Christus: *Qui potest capere, capiat.* Ergo &c. vel ostendant, homines ad retinendas diuitias magis esse obligatos, quàm ad contrahendum matrimonium.

QVAESTIO IV.

An & quomodo status cœnobiticus sit status perfectionis?

OLim, inquit Confessio, *ad discendum conueniebant: nunc fingunt institutum esse vitæ genus, ad promerendam gratiam, & justitiam. Imò prædicant esse statum perfectionis, & longè præferunt*

runt omnibus alijs vitæ generibus à Deo ordinatis. Et infra: *Obscurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cùm audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis. Quia perfectio Christiana est seriò timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quòd habeamus Deum placatum, & certò expectare auxilium in omnibus rebus gerendis iuxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera. In his rebus est vera perfectio, & verus cultus Dei; non est in cœlibatu, aut mendicitate, aut veste sordida.*

CONCLVSIO: Status Religiosorum non dicitur status perfectionis, quòd ipsi soli, aut omnes perfecti sint; sed quòd in eo statu habeãtur media, ad perfectioné Christianam acquirendã maximè cõuenientia. Probatur I. Quia status perfectionis dicitur, sicut dicitur status Religionis: Vt ergo multi Christiani Scripturæ sensu verè Religiosi sunt, qui tamen non sunt Religiosi, in ea significatione, in qua vocabulum istud iam cõmuniter vsurpatur; ita multi Christiani perfecti sunt, & perfectiores multis Monachis, qui tamen non sunt in hoc statu perfectionis. De qua re ita loquitur S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 1. *Respondeo, dicendum, quòd id, quod communiter multis conuenit, antonomasticè attribuitur ei, cui per excellentiam conuenit: sicut nomen fortitudinis vendicat sibi illa virtus, quæ circa difficillima firmitatem animi seruat: & temperantiæ nomen vendicat sibi illa virtus, quæ temperat maximas delectationes. Religio autem, vt supra habitum est, est quædam virtus, per quam aliquis ad Dei seruitium & cultum aliquid exhibet: & ideò antonomasticè Religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant diuino seruitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Vnde Gregorius dicit super Ezech. Sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reseruant, sed sensum, vitam, linguam, atque substantiam quam ceperunt omnipotenti Deo immolant. In hoc autem perfectio hominis consistit, quòd totaliter Deo inhæreat. Et secundùm hoc Religio perfectionis statum nominat.* Itaque perfectionis status ideò est, quia qui secundùm Ordinem suum perfectè viuunt, toti in omnibus actionibus suis Deo inhærent. Interim vt multi in monasteriis constituti affectibus suis ad res terre-

terrenas affixi manent; ita non pauci extra monasteria Deo se & omnia sua mancipant. Quamuis longè difficiliùs & rariùs, quàm in monasteriis.

Ex quibus facilè colligi potest, falsum esse quod in Confessione dicitur: *Populus audit sine modo laudari cœlibatum; ideò cum offensione conscientiæ versatur in coniugio. Audit solos mendicos esse perfectos; ideò cum offensione conscientiæ retinet possessiones, negotiatur. Audit consilium Euangelicum esse de non vindicando; ideò alij in priuata vita non verentur vlcisci: audiunt enim consilium esse, non præceptum. Alij omnes Magistratus, & ciuilia officia iudicant indigna esse Christianis.*

Nam quando laudatur cœlibatus, non vituperatur coniugium; sed huic ille propter Christum susceptus, exemplo Apostoli, præfertur. Item non dicimus, solos mendicos esse perfectos; sed perfectiùs esse, propter Christum relinquere diuitias, quàm lucrandi gratiâ negotiari. Quamuis etiam hoc tutâ conscientiâ fieri possit. Præterea impudentissimum mendacium est, quòd consilium, non præceptum esse dicamus de non vindicando: quia nullus Catholicorum dubitat, priuatas iniurias ex præcepto Christi adeò non esse vindicandas, vt etiam inimici, qui illas intulerunt, diligendi sint. Denique officia ciuilia non censemus indigna Christianis; sed quia Christianorum regnum nō est de hoc mundo, præstare censemus, relictis huius mundi negotiis, curis, & solicitudinibus regno tantùm cœlesti intendere. Quia verò officia ciuilia cum vita spirituali incompatibilia non sunt; sine offensione conscientiæ in illis manent, qui Deum peccatis suis non offendunt. Et quia in domo Patris cœlestis mansiones multæ sunt, vnusquisque in qua vocatione vocatus fuerit, in ea securè permaneat; modò timeat Deum, & piè viuat. Nihilominùs si quis, potestatem habens suæ voluntatis, perfectius & securius vitæ genus amplecti velit, hoc ei vitio verti non debet.

II. Status Religiosorum dicitur status perfectionis, quia per specialia quædam media ad perfectionem Christianam, quæ in Fide, Spe, Charitate, & aliis virtutibus posita est, perducit:

ducit: de qua re S. Thomas loc. cit. ait: *Abbas Moyses de Religiosis loquens dicit: Ieiuniorum inediam, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cęterasq; virtutes debere nos suscipere nouerimus: vt ad perfectionem charitatis istis gradibus possimus ascendere. Sed ea,* inquit, *quę ad humanos actus pertinent, ab intentione finis speciem & nomen recipiunt: Ergo Religiosi pertinent ad statum perfectionis.* Item, *Ad III. dicendum, quòd sicut dictum est, Religio nominat statum perfectionis ex intentione finis. Vnde non sequitur, quòd quicumque est in Religione iam sit perfectus, sed quòd ad perfectionem tendat.* Prætereà, *Ad IV. dicendum, quòd Religionis status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam, per quędam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectę charitatis. Sublatis autem impedimentis perfectę charitatis, multò magis exciduntur occasiones peccati, per quòd totaliter tollitur charitas. Vnde cùm ad pœnitentem pertineat causas peccatorum excidere, ex consequenti status Religionis est conuenientissimus pœnitentię locus.* Ergo perfectio statui Religionis ideò tribuitur, quia in eo per singulares quasdam virtutes ad perfectionem Christianam faciliùs ascenditur, quàm extra ipsum: atq; ideò non omnes Religiosi perfecti appellandi sunt; sed ad perfectionem ex conditione sui status tendentes. Ex quo constat, quàm ineptè dicat Philippus in Apologia: *Negant monasticam vitam perfectionem esse, sed dicunt statum esse acquirendę perfectionis. Hoc si sequuntur, nihilo magis erit monastica status perfectionis, quàm vita agricolę, aut fabri.* Sed quid mirum huiusmodi homines statum Religiosorum statui agricolæ, vel fabri non præferre, qui ipsam Dei Matrem Catharinâ Lutheri in iustitia perfectiorem non fuisse asserunt?

Prætereà ex S. Thomæ doctrina sequitur, eundem Philippum per calumniam ibidem dicere: *Miserabile est, in Ecclesia tales voces legi, & audiri: perfectionem Euangelij in his stultis obseruationibus vestium, & similium nugarum collocari.* Item, *Pro Christo colunt suos cucullos, suas sordes.*

Nemo enim in istis externis perfectionem Euangelicam collocat; sed in spiritualibus cordium donis, cœlitùs infusis.

Quam-

Quamuis externam quoque disciplinam multùm ad interiores animi affectus bonos excitandos, & malos reprimendos juuare, nemo est qui negare possit.

III. Statui Religiosorum etiam ista perfectio conuenit, quòd multò sit securior statu sæculari. De qua re S. Augustinus in exposit. Psal. 99. ait: *Sic & in illa vita communi Fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei inde viuunt: cum lectione illis res est, laborant manibus suis, inde se transigunt. Non auarè aliquid petunt: quidquid eis infertur à pijs Fratribus, cum sufficientia & cum charitate vtuntur. Nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent. Laudat qui nescit, quid interiùs agatur: qui nescit, quomodo illo vento intrante naues in portu colliduntur.* Ergo S. Augustinus monasteria, in quibus monastica disciplina viget, portui comparat, aliorum statum pelago. Et ideò Philippus in Apologia dicens: *Locupletissima quæque monasteria tantùm alunt otiosam turbam* (quasi negotia non sint, quæ S Augustinus jam descripsit) *quæ ibi falso prætextu Religionis belluatur de publicis eleemosynis Ecclesiæ*; plerisq; monasterijs injuriā facit. Sicubi tamē monastica disciplina nō viget; jam iā quoties testatus sum, me cum Ecclesia non abusus, sed pias obseruationes à SS. Patribus ad nos perductas defendere.

IV. Etiam hoc nomine perfectio statui Religiosorum tribuenda est, quòd, cæteris paribus, pro castitatis, paupertatis, & obedientiæ votis plus à Deo mercedis accepturi sint, quàm qui non vouerunt. Docet id multis locis, præter alios, S. Augustinus: vt Lib. de Bon. Coniug. c. 25. *Continentes, vel mares*, inquit, *qui defunctis vxoribus, vel fœminæ, quæ defunctis viris, vel vtrique, qui pari consensu continentiam Deo vouerunt, sciant sibi quidem ampliùs mercedis deberi, quàm coniugalis castitas poscit.* Et Lib. de sancta Virginit. c. 12. *Virginalis*, inquit, *integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis. Illa non est in potestate; illa non est in æternitate: fœcunditatem carnalem*

nalem non habet liberum arbitrium; pudicitiam coniugalem non habet cœlum. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne. Et cap. 23. oppugnat hoc, quod in Confessione docetur: *Quid veracius*, inquit, *quid lucidius dici potest? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit, eos qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare se propter regnum cælorum. Et contrà humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodò necessitatem molestiarum coniugalium deuitare, in regno cælorum amplius quidquam cæteris non habere?*

Quod ergo hoc loco contra Theologos, qui Aug. Confessionem refutarunt, dicit Philippus, idem contra S. Augustinum pugnat: *In confutatione*, inquit, *sic aiunt: Sacris litteris expressum est, monasticam vitam, debitâ obseruatione custoditam, quam per gratiam Dei quilibet Monastici custodire possunt, mereri vitam æternam, & quidem multò auctiorem Christus eis promisit: Qui reliquerit domum, aut fratres &c. Sic citant Scripturas nihili homines; cùm nemo nesciat, monasticam recens excogitatam.*

Audiamus autem insuper, an non, præter alios Patres, S. Augustinus inter nihili homines à Philippo censeatur. Lib. 8. Confess. cap. 6. vbi de duobus agit, qui apud Treuiros, Imperatore Circensium spectaculo detento, exierunt, *& inciderunt in quandam casam, vbi habitabant*, inquit, *quidam serui tui* (Deum alloquitur) *spiritu pauperes, qualium est regnũ cælorum, & inuenisse ibi codicem, in quo scripta erat vita Antonij. Quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relictâ militiâ sæculari seruire tibi. Tunc subitò repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus ita sibi coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causâ militamus? Maiorne esse poterit spes nostra in Palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumq́; periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio, &c.*

Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui; & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam tunc ædificabant turrim sumptu idoneo, relinquẽdi omnia, & sequendi te. Ecce quid Augustino fuerit relinquere omnia, & sequi Christum. Anne fortè etiam hæc Confessionistis noua videbuntur?

ARTICVLVS XVII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

ARticulus iste in Confessione Aug. XXVIII. est, in quo conqueritur I. quòd multi potestatem Ecclesiasticam cum potestate gladii miscuerint, & ex hac commixtione maxima bella orta sint: dum Pontifices non solùm nouos cultus instituerunt; sed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium conati sunt.

II. Docet potestatem Clauium, siue potestatem Episcoporum ex institutione Christi, esse potestatem prædicandi Euangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Potestatem verò ciuilem defendere non mentes, sed corpora, & res corporales aduersus manifestas iniurias. Itaque potestatem Ecclesiasticam non debere se potestati ciuili immiscere: juxta illud Christi: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Item, *Quis constituit me Iudicem, aut diuisorem super vos?* Et illud Apostoli ad Philip. 3. *Nostra politia in cœlis est.* 2. Cor. 12. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia &c.* Si quam verò potestatem gladij habent Episcopi, eam non ex mandatò Christi, sed ex donatione Regum & Imperatorum habere.

III. Totam Iurisdictionem Episcoporum ex Iure diuino consistere in remissione peccatorum, in cognitione veræ doctrinæ, vt ab Euangelio dissentientem reijciant, & exclusione

ſione impiorum ab Eccleſia per excommunicationem, ſolo verbo, non vi humana. Et hìc neceſſariò, ac de iure diuino debere Eccleſiam eis præſtare obedientiam: iuxta illud: *Qui vos audit, me audit.* Si quid verò Epiſcopi contra verbum Dei doceant, ipſos ab Eccleſia non eſſe audiendos: iuxta illud Matth. 7. *Cauete à Pſeudoprophetis.* Prætereà addit quædam de Ritibus & obſeruationibus Eccleſiæ, de quibus in ſequente Articulo.

Explicabimus verò circa hunc Art. duas quæſtiones: I. Vtrùm Pontifex & Epiſcopi habeant poteſtatem fideles obligandi in conſcientia? II. Qualem poteſtatem in temporalibus Pontifici tribuamus?

QVAESTIO I.

Vtrùm Pontifex & Epiſcopi habeant poteſtatem ferendi leges obligantes in conſcientia?

INprimis extra controuerſiam eſt, Pontificem & Epiſcopos non poſſe fideles obligare ad leges iniquas, vel Euangelio repugnantes: & proinde fruſtra dicit hoc Art. Confeſſio: *De hac quæſtione noſtri ſic docent, quòd Epiſcopi non habent poteſtatem ſtatuendi aliquid contra Euangelium &c.* Itaq; de ſolis ſtatutis & legibus juſtis quæſtio eſt, an eas Pontifex & Epiſcopi ita ferre poſſint, vt etiam extra periculum ſcandali in conſcientia obligent. Hoc enim negat Confeſſio dicens: *Auctores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cùm collocant peccatum in cibis* (non in ipſis cibis, ſed in manducatione vetita) *in diebus, in ſimilibus rebus &c. Vnde habent jus Epiſcopi has traditiones imponendi Eccleſiis, ad illaqueandas conſcientias?* Item, *Ordinationes Eccleſiæ ita ſeruare conuenit, vt non judicent ſe peccare, qui violant eas ſine aliorum offenſione. Sicut nemo dixerit, peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, ſine offenſione hominum.* Hæc ſumpta ſunt ex doctrina Lutheri, Lib. de Capt. Bab. c. de Baptiſmo dicentis: *Obſecro, quo jure Papa ſuper vos conſtituit leges? Quis dedit ei poteſtatem captiuandæ noſtræ libertatis, per Baptiſmum*

nobis

nobis donatæ? &c. Dico itaque, neq; Papa, neq; Episcopus, neq; vllus hominum habet jus vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu.

Agnoscit Philippus in Apologia politiam Ecclesiasticam: sed quòd ea apud suos dissoluatur, sæuitiam Episcoporum in causa esse dicit: vt Articulo XIV. citauimus. Et hoc Art. ait: *Caterùm sæpè testati sumus, nos politicas ordinationes, & donationes Principum, & priuilegia Episcoporum non reprehendere.* Interim, vt posteà explicat, potestatem Canonicam ordinandi ritus Ecclesiæ jure humano, non diuino competere vult: ait enim: *Quam potestatem tribuat Euangelium Episcopis, diximus in Confessione. Qui nunc sunt Episcopi, non faciunt Episcoporum officia juxta Euangelium. Sed sint sanè Episcopi juxta politiam Canonicam, quam non reprehendimus &c.* Et statim addit: *Placet nobis vetus partitio potestatis, in potestatem Ordinis, & potestatem Iurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem Ordinis, hoc est, ministerium verbi, & Sacramentorum. Habet & potestatem Iurisdictionis, hoc est, auctoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus; & rursus absoluendi eos, si conuersi petant absolutionem.* His positis sit

CONCLVSIO: Pontifex & Episcopi Iure diuino potestatem consecuti sunt, pro bono Ecclesiæ leges, quæ fideles in conscientia obligent, ferendi. Probatur I. Quicumq; Iure diuino potestatem Ecclesiam regendi habent, ijdem habent potestatem ita præcipiendi, vt in conscientia parere teneantur, respectu quorum potestatem illam habent; & consequenter sub eadem obligatione leges ferendi (lex enim nihil aliud est, quàm præceptum stabile Superioris) Sed Pontifex & Episcopi Iure diuino potestatem regendi Ecclesiam habent, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Ioan. 20. *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Act. 20. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Ergo vt oues ductum pastoris sui sequi debent, ita fideles Pontifici & Episcopis in conscientia obedire tenentur.

Probatur Maior ex illo Rom. 13. *Omnis anima potestati-*

absolutè, etiam extra scandalum, obligauit. Quia per generale præceptum vitandi scandali sufficienter fuissent obligati ad abstinendum ab illis, quæ Apostoli prohibuerunt: nec opus fuisset tam laboriosè, & post magnam disceptationem Decretum illud Apostolicum fieri. Scandalum enim in omni actione esse vitandum extra controuersiam erat, iuxta illud 1. Cor. 8. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Itaque hoc magnæ indaginis erat, vtrùm primi Christiani, & quibus obseruationibus onerandi essent, quò faciliùs in vnum coire possent, qui ex Iudæis & Gentibus conuersi erant. Itaque Decretum hoc Apostolorum & Seniorum obligauit primos fideles in conscientia: nam Lucas hoc ipso Cap. in fine de Decreto isto loquēs ait: *Pertransiens* (Paulus) *ciuitates, præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Vocat præcepta in plurali, quia plures res vno Decreto præscriptæ erant. Vnde & cap. 16. ait: *Tradebant eis custodire dogmata, quæ decreta erant ab Apostolis & Senioribus in Ierusalem.* Adde quòd, cùm fideles Spiritui sancto in conscientia obedire teneantur, & Apostoli eundem Spiritum sanctum Decreti, quod in Concilio Hierosolomytano tulerunt, auctorem dixerint; nulla ratione fieri possit, quin Decretum istud in conscientia obligauerit.

III. Quamuis Pontifex & Episcopi sint ministri Dei; sunt tamen Magistri, Rectores, & Præpositi nostri. Nam vt Apostolus 1. Cor. 4. dicit: *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi*; ita de Principibus ait idem Rom. 13. *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* Sed nihilominùs Principes leges politicas, in conscientia obligantes ferre possunt: Ergo etiam Pontifex, & Episcopi leges Ecclesiasticas ad bonum Ecclesiæ conducentes. Ideò enim ait idem Apostolus Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Vbi per Præpositos absq; dubio non politicos, sed Ecclesiasticos intelligit: nam in eodem capite de iisdem Præpositis ait: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum Dei &c.*

quæ communiter ſimplicem fornicationem licitam eſſe putabant. Duas autem rationes reddit Petrus, ob quas iugum obſeruationum omnium Iudaicarum ceruicibus Chriſtianorum imponi non debeat: 1. Quia iugum illud *neque Patres noſtri*, inquit, *neque nos portare potuimus*. 2. Quòd iugum iſtud nihil conduceret ad iuſtificationem, cùm tantùm fuerit vmbra rerum, per Chriſtum completarum. Iam verò obſeruationes Eccleſiæ neque graues valdè ſunt, neq; ſunt vmbræ Chriſti venturi, neque dicimus, homines per illas iuſtificari, ſiue remiſſionem peccatorũ acquirere: tametſi per quaſdam, vt per ieiunia, preces, &c. homo iuſtus augmentum iuſtificationis mereri poſſit. Quia non ſunt nudæ ceremoniæ; ſed inſuper opera bona, & Deo grata. Vt colligitur ex ijs, quæ Art. VII. dicta ſunt.

RESPONDEO II. Poteſtatem, quam Pontifex & Epiſcopi habent, eſſe in Eccleſiæ ædificationem, non in deſtructionem: & proinde ipſos nullas leges condere poſſe, quæ non tendant in bonum, vel ornamentum Eccleſiæ. Non poteſt autem dici, quòd ad deſtructionem Eccleſiæ ideò tendant, quòd fideles ſub peccato obligent: quia abſque diſciplina Eccleſiaſtica bonus Eccleſiæ ſtatus conſeruari non poteſt: & proinde quidquid diſciplinam hanc conſeruat, quod maximè facit obligatio legum Eccleſiaſticarum, tendit ad ædificationem Eccleſiæ. Itaque quod S. Auguſtinus Epiſt. 45. de obligatione voti dicit, idem de hac obligatione dici poteſt: *Felix eſt neceſſitas, quæ ad meliora compellit.*

QVAESTIO II.

Quid de Pontificis poteſtate in temporalibus ſentiendum?

Confeſſioniſtæ hac de re communiter ita loquuntur, & ſcribunt, quaſi Summum Pontificem faceremus ex Iure diuino Dominum totius orbis terrarum, in temporalibus, & ſpiritualibus. Philippus enim in Apologia tit. de Eccl. ſecundùm mentem noſtram dici poſſe ait: Quòd Pontifex talem

poteſtatem

potestatem habeat, *Vt ab illo Imperatores & Reges omnes accipiant potestatem, & ius tenendi regna de mandato Christi. Cui cum Pater omnia subiecerit, intelligi oporteat hoc ius in Papam translatum esse. Quare necesse sit, Papam esse Dominum totius orbis terrarum, omnium Regnorum mundi, omnium rerum priuatarum, & publicarum.*

CONCLVSIO I. Nostra sententia est, Papam non tantùm dominium temporale totius orbis terrarum à Christo consecutum non esse; sed nullius etiam rei priuatæ, multò minùs publicæ directam iurisdictionem. Probatur I. Quia Papa plus à Christo consecutus non est, quàm quod ipse Christus, dum in mundo fuit, vsurpauit: Sed Christus nullius rei temporalis directam iurisdictionem in hoc mundo vsurpauit: Ergo nec talem Papa à Christo consecutus est. Probatur Maior: Quia Papa, quà talis, vices Christi agit, & eum nobis talem repræsentat, qualis in terra fuit: Ergo plus ab eo consecutus non est, quàm quod ipsemet in terra habere voluit. Probatur Minor: Quia Christus Luc. 12. in re priuata rogatus: *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*; Respondit: *Quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Itaque concedimus, omne dominium & iurisdictionem directam, quam Pontifex & Episcopi in res temporales habent, non esse illorum, quà tales sunt; sed ipsos ex beneficentia Imperatorum, Regum, Principum, vel aliis titulis consecutos, quæcumque in temporalibus possident. Hac ergo in parte nō reluctamur his Confessionis verbis: *Si quam habent Episcopi potestatem gladij, hanc non habent vt Episcopi* (vbi *Pupilla* particulā reduplicatiuam omittit) *ex mandato Euangelij; sed iure humano, donatam à Regibus & Imperatoribus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est, quàm ministerium Euangelij.*

CONCLVSIO II. Potestas, quam Pontifex in Principes sæculares, quà tales, habet, est indirecta, competens videlicet ratione boni spiritualis. Probatur I. Quia cùm sæculares & Ecclesiastici conueniant in vnum Reipub. Christianæ

Corpus,

Corpus, ne ſchiſma in hoc Corpore oriatur, ſubordinatio aliqua in illo eſſe debet. Et quia ſpiritualia corporalibus potiora ſunt, ipſiq; Principes Chriſtiani, ratione profeſſionis ſuæ, Principatus ſuos ad gloriam Dei dirigere tenentur; atque in directione ſpirituali Pontifici ſubeſſe debent, juxta illud Ioan. 21. *Paſce oues meas*; ratione huius ſubiectionis omnes Principes Chriſtiani Pontifici in ſpirituali regimine ſubordinantur. Et proinde, ſi quid gloriæ Dei, aut fidelium ſaluti contrarium in Principatuum ſuorum adminiſtratione faciant, poteſt illos ſummus Pontifex cohibere.

II. Vt ſe habet alicuius poteſtatis finis ad alterius poteſtatis finem, ita ſe habet ipſa poteſtas ad poteſtatem: Ergo cùm ſæcularium poteſtatum finis fini ſpiritualium ſubordinatus ſit (nam omnia temporalia Chriſtianorum ad finem ſpiritualem referri debent) etiam poteſtas ſæcularis ſpirituali ſubordinata eſt in ordine ad finem ſpiritualem. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. ad 3. docet, bella Principum Chriſtianorum directioni Eccleſiaſticæ ſæpè ſubeſſe. Quia cùm poteſtas Eccleſiaſtica reſpiciat finem ſuperiorem, habet ſibi ſubiectas facultates inferiores in ordine ad eundem finem. Et q. 60. art. 6. ad 3. ſic loquitur: *Poteſtas ſæcularis ſubditur ſpirituali, ſicut corpus animæ. Et ideò non eſt vſurpatum judicium, ſi ſpiritualis Prælatus ſe intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus ſubditur ei ſæcularis poteſtas.* Hoc eſt, quantum ad ſpiritualia.

Ex hac poteſtatum ſubordinatione fit, vt Leges Ciuiles, Pontificis & Epiſcoporum judicio bonis moribus repugnantes, non tantùm non obligent, ſed etiam licitè ſeruari non poſſint. Nam Lex Ciuilis, quæ C. de Præſcript. XXX vel XL annorum ſtatuit, præſcriptionem longiſſimi temporis cum mala fide currere, Lege Pontificiâ correcta eſt, Cap. final. de Præſcript. Et nemini ſecundùm Legem Ciuilem in hac re procedere licet. Quia rem alienam vt ſuam contra propriam conſcientiam detinere grauiſſimum peccatum eſt.

Quando autem materia Legis Ciuilis politica eſt, animarum ſalutem non concernens; tum Pontifex in talem legem

nullum ius prætendere potest. Quia temporalia aliorum non nisi ratione spiritualium dirigendi ius habet. Itaque si quid diuersum circa eandem materiam à Pontifice & Imperatore hac in parte statuatur; Lex Pontificis non derogat Imperatoriæ; sed sicut illa in foro Ecclesiastico seruatur; ita hæc in foro Ciuili seruanda est. Et talis Legũ diuersitas non rarò occurrit.

Itaque potestas Ecclesiastica & Ciuilis à nobis non commiscentur: quia omnino diuersas esse dicimus; quamuis ratione eiusdem vltimi finis, in quem dirigi debent, inter se subordinatas. Quamdiu enim potestas Ciuilis ab vltimo isto fine non deflectit, & in suis terminis manet; tamdiu Ecclesiastica in illam, quà talem, nihil iuris habet: Et proinde absolutè illi parendum est in rebus, quæ conscientiam non lædunt, & quæ merè Ciuiles sunt. In rebus autem conscientiæ parendum nõ est, si quid contra Ecclesiasticæ potestatis iudicium disponat: De qua re S. Thomas in 2. Dist. 44. in Exposit. text. ad 4. ait: *Secularem potestatem esse sub spirituali in his quæ ad salutem animæ pertinent, & ideò in ijsdem magis obediendum spirituali potestati, quàm temporali. Licet in his quæ ad bonum Ciuile pertinent, magis sit obediendum potestati sæculari.* Sed quia accuratam huius rei tractationem instituti breuitas non capit, plura hoc loco non addo.

ARTICVLVS XVIII.

DE RITIBVS ECCLESIÆ.

DE hac materia habet Confessio August. duos Art. XV. & XXVI. Art. XV. ita loquitur: *De Ritibus Ecclesiasticis docent, quòd Ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia. Sicut certæ feriæ, festa, & similia. De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessari-*

necessarius sit. Admonentur etiam, quòd traditiones humanæ instituta ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis aduersentur Euangelio, & doctrinæ fidei. Quare vota, & traditiones de cibis, & diebus, &c. instituta ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, inutiles sunt, & contra Euangelium.

Quòd autem tali intentione discrimina ciborum, & similes traditiones Ecclesiasticæ apud nos institutæ sint, docet eadem Confessio Art. XXVI. Item quòd has traditiones præceptis Dei longè anteferamus; adeò vt totus Christianismus putetur esse obseruatio certarum feriarum, Rituum, ieiuniorum, vestitus, &c. Ac deinde quædam addit ad Art. de Votis monasticis spectantia. Item de multitudine traditionum in Ecclesia, quibus Augustinus ad Ianuarium vetat onerare conscientias. Et ideò Christianum corporali disciplinâ hoc tantùm fine vti debere, ne saturitas, aut desidia exstimulet ad peccandum. Iuxta illa loca: *Cauete ne grauentur corpora vestra crapulâ: Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in ieiunio, & oratione: Castigo corpus meum, &c.* Omnes verò ordinationes institutas tanquam necessarias, aut cum opinione promerendæ gratiæ, pugnare cum Euangelio, & libertate Christiana.

QVAESTIO VNICA.

Quid de Ritibus, & obseruationibus Ecclesiæ sentiamus, quid non sentiamus?

CONCLVSIO I. Sentimus I. Ecclesiæ Præpositos potestatem habere, pro vtilitate fidelium Ritus & Obseruationes instituendi, ita vt fideles in conscientia ad eas obligentur. Vt superiore Art. probatum est.

II. In hoc Confessioni Aug. consentimus, quod dicit: *Ritus illos seruandos esse, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem, & bonum ordinem in Ecclesia.* Neque enim vllus Ritus, cuius obseruatio absque peccato esse non potest, admittendus est.

III. Verum est, quod in Confessione Variata dicitur,

peccare eos, qui ordinationes humanas cum scandalo violant, & Ecclesiasticam tranquillitatem temerè perturbant. Sed cùm hoc verum sit, quâ ratione ipsi Confessionistæ excusari poterunt, qui ordinationes Ecclesiasticas cum tanto fidelium scandalo, & perturbatione, non tantùm violarunt, sed etiam violandas esse docuerunt, hodieque docent? Et quomodo cum hac ipsorum praxi & doctrina conuenit, quod Apologia Art. de Eccles. dicit: *Placet nobis, vt vniuersales Ritus propter tranquillitatem seruentur.* Et, *Gratissimo animo amplectimur vtiles, & veteres ordinationes: præsertim cùm continent pædagogiam.* An non enim obseruatio quadragesimæ, cœlibatus Clericorum, qui cœlibes ad sacerdotiũ venerunt, votorum monasticorum &c. vniuersalis & vetus in Ecclesia ante Lutherum obseruatio fuit? Vel ostendant, quo loco per mille ducentos, trecentos, quadringentos ante Lutherum annos doctum fuerit, ista licitè violari.

IV. Docemus Ritus quosdam ad disciplinæ Ecclesiasticæ conseruationem necessarios esse. De qua re ipse Philippus in Locis Anno 1536. editis, tit. de Tradit. hum. inquit: *Tali pædagogiâ in mundo opus est, vt populus discat in Ritibus pictas historias, & assuescat, vt reuerenter tractet sacra. Vt enim cæteris legibus in hac vita corporali opus est; ita & ceremonijs opus est. Nam ceremoniæ naturaliter etiam pars quædam sunt disciplinæ, seu legis. Quare qui omnes traditiones Ecclesiasticas aboleri volunt, cum ipsa natura hominum belligerantur, quæ non potest regi sine ceremonijs.*

V. Varia esse Rituum genera: quidam enim ad ornatum, & maiorem rei sacræ reuerentiam conducunt, vt ornamenta templorum, altarium, vestes in missa vsitatæ, &c. Quidam ad rei sacræ significationem, vt eædem vestes, statuæ, picturæ, &c. Quidam ad coërcendam carnem, vt jeiunia, & abstinentia à fortioribus cibis, &c. Quidam ad coërcendos dæmones, vt aqua lustralis, signum crucis, exorcismi, &c. Quidam ad cultum Dei, vt templa, altaria, calices, hymni, preces. &c. Non autem video, quid sibi velit Apologia, quando ad Art. XV. ait: *Apud Aduersarios canunt Psalmos, non vt discant,*

aut

aut orent, sed cultus causâ: quasi illud opus sit cultus. Quid enim est cultus Dei, si oratio, & psalmodia in honorem Dei relata non est cultus? Certè Christus ipse Matth. 15. Orationem cultum esse docet, quamuis propter abusum non benè Deum per eam coli asserat: *Populus hic*, inquit, *labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Videlicet mandatis Dei contraria, vt ex antecedentibus manifestum est. Ergo satis indicat, Deum per veram seruorum suorum orationem coli.

DICES: Augustinus vetat onerare conscientias huiusmodi obseruationibus, & Epist. 119. prudenter admonet Ianuarium, vt sciat eas indifferẽter seruãdas esse. Sic enim loquitur: *Quamuis enim neq; hoc inueniri possit, quomodo cõtra fidem sint; ipsam tamen Religionem, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt. Vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerint; legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subijciuntur.*

RESPONDEO: S. Augustinum de ijs obseruationibus non loqui, quæ publicâ Pontificum & Episcoporum auctoritate præscriptæ sunt, vel traditæ; sed de ijs, quas singuli sibi homines priuatim coaceruabant, & pluris, quàm mandata Dei faciebant: Ita enim immediatè ante verba citata loquitur: *Quod autem instituitur præter consuetudinem* (Ecclesiæ videlicet) *vt quasi obseruatio sacramenti sit; approbare non possum: etiamsi multa huiusmodi, propter nonnullarum, vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala vitanda, liberiùs improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in diuinis Libris saluberrima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauiùs corripiatur, qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit. Omnia itaq; talia, quæ neq; sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt; sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur; ita vt*

vix, aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo.

Porro eiusdem Epist. c. 18. resecanda negat, quæ, quocumque loco instituta sint, rationabiliter instituta videntur: *Vna*, inquit, *in his saluberrima regula retinenda est: vt quæ non sunt contra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris; vbicumq; institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.*

Itaque Aduersarii in multis hîc contra S. Augustini doctrinam peccant: I. enim S. Augustinus obseruationes, publicâ Ecclesiæ auctoritate receptas, retinendas esse vult: & Epist. immediatè antecedente tradit, insolentissimæ insaniæ esse disputare, an sit faciendum, quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quamuis in Scriptura non reperiatur. Aduersarii autem totius Ecclesiæ constitutiones, per plurima sæcula, etiam tempore S. Augustini laudabiliter obseruatas, hoc potissimùm titulo abrogârunt, quòd Ecclesiæ Pastores potestatem fideles obligandi non habeant. Nam quæ in approbatis obseruationibus Ecclesiasticis fidei repugnare dicunt; dicunt, & dixerunt semper hactenus, nunquam probarunt: nisi supposito hoc suo commento, quòd per Ecclesiæ obseruationes quæramus remissionem peccatorum, excluso Christo cum suis meritis.

Præterea S. Augustinus etiam priuatorum locorum consuetudines, quæ ad vtilem finem institutæ sunt, non contemnendas, sed imitandas docet. Aduersarii totius Ecclesiæ consuetudines vtilissimas, vt obseruationem quadragesimæ (de cuius commendatione, præter alios antiquiores, multa scripsit idem Augustinus) cœlibatum Clericorum, vota Monachorum, &c. non tantùm inter suos sustulerunt; sed etiam in nostris tanquam superstitiosa damnant.

S. Augustinus ne scandalizaret infirmos, quasdam obseruationes priuatas, friuolas, & inutiles palàm improbare non

non est ausus. Aduersarii, cum totius orbis Christiani scandalo, obseruationum inutilium & abusuum prætextu, à reliquo fidelium cœtu se præsciderunt, & ipsam Ecclesiæ doctrinam conuellere conati sunt. Quod si Augustinum sequi volebant, vt maximè in quibusdam Ecclesiæ consuetudinibus peccatum fuisset, facere debuissent, quod suo tempore Ecclesiam fecisse loco cit. scribit: *Sed Ecclesia Dei, inter paleam multaq́; zizania constituta, multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem, vel contra bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Reprehendendi erant abusus, si qui erant; non ipsa Ecclesia deserenda. Præsertim cùm Apologia Art. XV. dicat: *In hoc ipso Conuentu satis ostendimus, nos propter charitatem adiaphora non grauatim obseruaturos esse cum alijs, etiamsi quid incommodi haberent.* Nam & plurimi sancti Viri abusus, qui vitio hominum in Ecclesiam irruperant, grauissimè reprehenderunt: nec tamen ideò à reliquorum Fidelium cœtu se diuiserunt.

Vnus Bernardus quot vitia Curiæ Romanæ in Libris de Considerat. & alibi taxat? Nec tamen ideò se à Romani Pontificis obedientia vnquam subtraxit. Cuius rei vel hoc luculentissimum testimonium esse potest, quòd Epist. 174. vbi de Conceptione B. Virginis agit, hunc in modum eos, contra quos scribit, alloquitur: *Nam si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis auctoritas: & non ita præcipitanter, atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* De se verò hoc modo Epistolam concludit: *Quæ autem dixi, absque præiudicio sanè dicta sint saniùs sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ eiusmodi sunt vniuersa, reseruo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.*

Si hac ratione fecisset Lutherus (vt initio Apostasiæ suæ facere se simulauit) laudabiliter vtique fecisset. Sed vt Sancti Viri vitia hominum hoc fine carpserunt, vt abusus ad Ecclesiæ Catholicæ doctrinam reformarent; ita Lutherus cum suis, non tantùm priuatos hominum abusus vniuersæ Ecclesiæ affinxit, sed & pias eiusdem obseruationes, à sanctissimis

& anti-

& antiquiſſimis Patribus, per continuam ſeriem ad ſua vſque tempora deductas, abuſuum titulo traduxit: Vt ipſam Eccleſiæ doctrinam ſecundùm ſua placita deformaret.

CONCLVSIO II. De Ritibus Eccleſiæ non docemus I. quòd remiſſionem peccatorum, ſiue primam iuſtificationē mereantur. Et iniuriam facit Apologia Articuli XV. Theologis Catholicis, his verbis: *Etiamſi arbitrabamur, Aduerſarios ex alijs cauſis defenſuros eſſe traditiones humanas; tamen hoc non putauimus futurum, vt hunc Art. damnarent: Non mereri nos remiſsionem peccatorum, aut gratiam obſeruatione traditionum humanarum. Poſtquam igitur hic Art. damnatus eſt, facilem & planam cauſam habemus.* Rationem ſubiungit: Quòd hæc doctrina obſcuret Euangelium, & beneficium Chriſti. Nam ad Art. XV. ita reſponderunt Catholici: *Appendix tamen illius Art. omnino tollenda eſt: cùm falſum ſit, conſtitutiones humanas ad placandum Deum, & ſatisfaciendum pro peccatis inſtitutos aduerſari Euangelio. Vt de votis, vſu ciborum, & ſimilibus poſteriùs latius declarabitur.* Appendix autem Confeſſionis Originalis à Catholicis damnata eſt iſta: *Quare vota, & traditiones de cibis, & diebus, &c. inſtitutæ ad promerendam gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis, inutiles ſunt, & contra Euangelium.* Iam verò longè aliud eſt, promereri gratiam, placare Deum, & ſatisfacere pro peccatis, vt Catholici hos terminos ſumunt; & promereri remiſſionem peccatorum, prout Confeſſio intelligit. Nam qui per merita Chriſti iuſtificatus, & in gratia conſtitutus eſt, poteſt vlteriorem gratiam promereri. Nemo autem remiſſionem peccatorum, ſiue culparum mereri poteſt. Item per opera laborioſa à pœnitentibus ſuſcepta poteſt placari Deus, vt Niniuitæ placârunt, & ſatisfieri pro peccatis: non quòd pro ipſis culpis ſatisfieri poſſit; ſed pro pœnis tantùm temporalibus, poſt remiſſionem culparum reliquis. Vt Art. XIII. ſatis dictum eſt. Philippus autem Catholicos accuſat, quaſi ſcripſerint, homines per Ritus Eccleſiaſticos remiſſionem peccatorum obtinere, ſiue per ſua opera primam juſtificationem mereri excluſo Chriſto. Quod nemo Catholicorum vnquam docuit.

II. Non

II. Non docemus, Ritus Ecclesiæ esse absolutè necessarios ad obtinendam justitiam. Quia justitia per verbum Christi, & Ritus à Christo institutos, absque Ritibus Ecclesiasticis obtineri potest. Vt patet in ijs, qui sine vllis ceremonijs Ecclesiasticis baptizantur, & statim moriuntur. Itaque delenda sunt illa verba Apologiæ Art. de Eccl. *Alia res agitur, disputatur enim vtrùm obseruationes traditionum humanarum sint cultus necessarij ad justitiam coram Deo. Hoc est κρινόμενον in hac controuersia: quo constituto, posteà judicari potest, vtrùm ad veram vnitatem Ecclesiæ necesse sit vbique similes esse traditiones humanas:* Nam neque hoc postremum asserimus.

III. Non docemus, quod Confessio Art. XXVIII. nobis impingit: *Quòd certi cibi polluant conscientiam* Non enim ipsi cibi polluunt, vt Matth. 15. docet Christus; sed inobedientia, quæ in esu ciborum vetitorum committitur. Sic enim & primus Parens noster pollutus fuit, & nos omnes per illum.

IV. Non approbamus quosuis Ritus ab hominibus excogitatos; sed vtiles tantùm, & eos, qui per Ecclesiam approbati sunt. Quamuis si quid ad bonum spirituale vtile etiam priuati obseruant, licet id in Ecclesia vsitatum non sit, non improbamus: vt nec S. Augustinus, paulò ante citatus.

V. Non dicimus, quòd minimum quid in ceremonijs Ecclesiæ omittere peccatum sit, vt Aduersarii Concilium Trid. per calumniam docere asserunt. Nihil enim aliud decernit, quàm priuatâ auctoritate, & per voluntarium contemptum nullas Ecclesiæ ceremonias omittendas, aut mutandas esse. Quod verum est: Verba Concilii Sess. 7. can. 13. de Sacram. in genere sunt ista: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumq; Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

VI. Nullum ritum, vel ordinationem ab Ecclesia præscriptam mandatis Dei æquandam, aut præferendam dicimus. Quia mandatis Dei multò nos strictiùs obligari scimus, quàm

Ecclesiæ ordinationibus. Ab obligatione enim mandatorum Dei humanâ potestate absolui non possumus, vt ab obligatione obseruationum Ecclesiasticarum. Itaque falsa sunt illa verba Confessionis Art. XXVIII. *Hæ traditiones obscurauerunt præcepta Dei; quia traditiones longè præferebantur præceptis Dei.* Si quidem de sententia Ecclesiæ intelligantur, non de priuato quorundam errore.

Denique falsum est, quod ibidem additur: *Christianismus totus putabatur esse obseruatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, vestitus.* Nemo enim Catholicorum Christianismum in his collocat, quæ per se etiam infidelibus communia esse possunt; sed in vera Euangelij doctrina, & legitima Sacramentorum administratione. Quanquam externa ista sunt vtilia rerum spiritualium adiumenta.

DICES I. Contra illud, quòd vota Monastica, ieiunia, &c. non mereantur quidem remissionem peccatorum, sed tamen vberiorem gratiam in iustificatis. *Hic iterum reclamat Paulus, Christum peccati ministrum fore, si post iustificationem sentiendum sit, quòd deinde non propter Christum iusti reputemur, sed primùm mereri debeamus per alias obseruationes vt iusti reputemur. Item hominis testamento nihil addi debet: Ergo nec Dei testamento, qui promittit, quòd propter Christum propitius nobis esse velit. Addi debet, quòd primùm per has obseruationes debeamus mereri, vt accepti, & iusti reputemur.* Ita argumentatur Apologia.

RESPONDEO: Nostram sententiam non esse, quòd per ieiunia Ecclesiastica, preces, & similia ita mereamur gratiam, vt Christus excludatur; sed quòd omne meritum operis nostri fundetur in merito Christi, per quod gratis nobis remissio peccatorum conceditur; non sub conditione operum, posteà faciendorum. Vt patet in illis, qui obtentâ remissione peccatorum, statim moriuntur. Quamquam opera, iustificationem sequentia, ad pœnarum temporalium deletionem, & augmentum gratiæ valere dicimus.

Porrò non tantùm primam iustificationem, quam absq; merito nostro gratis per Dei misericordiam, & propter Christi me-

sti merita acquirimus; sed etiam gratiam secundam, quam iustificati per opera bona merentur, infinitis Christi meritis ascribimus. Item, Testamento Dei ordinatum esse scimus, vt per Christi merita iustificemur; sed non instar statuarum, nihil agentium: quia præuenienti gratiæ Dei liberè cooperari debemus, vt in Art. de Iustif. dictum est.

DICES II. Traditiones obseruationum humanarum tollunt libertatem Christianam: Exempli causâ, prohibitio ciborum tollit Christianis ius illud, quo cum gratiarum actione quibusuis cibis vesci licitè possunt. Nam Christus Matth. 25. dicit: *Omne quod intrat in os, non inquinat hominem.* Et Apostolus Rom. 14. *Regnum Dei non est esca, & potus.* Colos. 2. *Nemo iudicet vos in cibo, sabbatho, aut die festo.* Item, *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo decreta facitis: Ne attingas, ne gustes, ne contrectes? Vnde & in ipso Iure Can.* inquit Keslerus in Lutheranismo pag. 421. *Damnatur superstitio de distinctione ciborum, 41. c. 4.*

RESPONDEO I. Idem argumentum pugnare contra decretum Apostolorum, quo ob certas causas statuerunt, vt primi Christiani quibusdam cibis abstinerent, ad quos sumendos ex permissione legis Christi jus habebant, & quos etiam hodie sumimus. Nam & Ecclesia, quæ abstinentiam à certis cibis aliquando præcipit, ex rationabili causa hoc facit: videlicet ad mortificationem carnis, quæ quibusdam cibis magis, quàm alijs delectatur, & ad lasciuiendum instigatur. Itaque hic quoque secundùm regulam Augustini dicendum, *quòd felix sit necessitas, quæ ad meliora compellit.*

RESPONDEO ad locum Matth. 15. Nullum cibum per se spiritualiter hominem inquinare; sed intemperantiam, inobedientiam, & scandalum, quando hæc in cibi sumptione reperiuntur. Nam vt multum vini non plus ad inquinandam animam valet, quàm parum; & nihilominùs qui multum vini contra temperantiæ leges bibit inquinatur; & vt carnes idolis immolatæ non habent qualitatem, per quam animas polluere possint; polluunt tamen, si cum scandalo man-

ducentur, 1. Cor. 8. 13. Vtque pomum, quod primus Parens in paradiso comedit, per se inquinare non potuit; sed inobedientia, quæ in pomi manducatione committebatur; ita cibi ipsi homines inquinare non possunt; sed intemperantia, scandalum, inobedientia inquinant. Ergo qui cibos Ecclesiasticâ lege vetitos comedit, per nudam comestionem non peccat (quia illa per se indifferens est) sed per inobedientiam erga Ecclesiam, cui parere tenetur. Vt tempore Apostolorum peccassent Christiani, qui contra eorum decretum sanguinem, aut suffocatum comedissent: non aliam ob causam, quàm ob præceptum Apostolicum, quod & Spiritui sancto ascripserunt.

RESPONDEO III. ad loca Pauli: Rom. 14. dicit: *Regnum Dei non est esca, & potus:* quod nemo negat: Quia regnum Dei consistit in pietate, fide, charitate, &c. per quæ Deus in cordibus humanis regnat. Cibi autem per se neque justificare hominem, neque peccato obnoxium facere possunt.

Dixi, per se, quia per intemperantiam, scandalum, inobedientiam possunt, vt jam dictum est.

Ad Coloss. 2. manifestè agit Paulus de delectu apud Iudæos vsitato, quibus multi cibi, vt immundi, prohibiti erant, Leuit. 11. Idque constat ex verbis Apostoli v. 16. & 17. dicentis: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum: Corpus autem Christi.* Ergo veteris Ecclesiæ obseruationes, quæ figuræ tantùm, & vmbræ noui Testamenti erant, non esse retinendas docet. Iam verò quædam apud Iudæos obseruata sunt, quæ non erant nudæ vmbræ, sed ad vtilitatem spiritus conducebant: vt jejunia, orationes vocales, genuflexiones, &c. Et proinde talia etiam in nouo Testamento vsurpantur.

Itaque decreta illa: *Ne tetigeritis, neq; gustaueritis*, videlicet tanquam immunda, aut mala, prohibentur ab Apostolo. Aliàs enim totius Concilij Apostolici decretum hîc damnaretur, quo sanguinem & suffocatum gustare prohibuerunt.

Religionem autem Angelorum vocat Paulus, non qua quis Angelicam in carne vitam ducere conatur (quam Scriptura, & SS.

& SS. Patres commendant) ſed vt communiter explicant, ſuperſtitioſam hæreſin, quæ, philoſophicis quibuſdam opinionibus nixa, Angelos tanquam Chriſto potiores per certas obſeruationes colebat. Et proinde v. 19. dicit: Religionem illam *non tenere Caput*, ſiue Chriſtum, à quo totum corpus Eccleſiæ influxum gratiæ, & incrementi ſpiritualis accipit. Vnde & c. 1. ad Coloſſ. & in Epiſt. ad Heb. excellentiam Chriſti ſuper Angelos tam diligenter exponit. Huius Religionis ſiue ſuperſtitionis meminit S. Auguſtinus hæreſ. 39. dicens: *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defeciſſe teſtatur.*

Ad locum ex jure Canonico, qui apud eundem Auguſtinum Lib. 2. quæſt. Euang. c. 11. habetur, dico, ex hoc ipſo probari, obſeruationem abſtinentiæ à certis cibis in Eccleſia vſitatam non poſſe ſine peccato negligi. Sic enim loquitur S. Auguſtinus: *Non enim intereſt omnino, quid alimentorum ſumas, vt ſuccurras neceßitati corporis: dummodo congruas in generibus alimentorum his, cum quibus tibi viuendum eſt.*

Quid autem illi, cum quibus S. Auguſt. vixit, fecerint, docet alibi paſſim: vt Lib. 30. cont. Fauſt. c. 5. *Chriſtiani, non hæretici, ſed Catholici domandi corporis causá, propter animam ab irrationalibus motibus ampliùs humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant; non ſolùm à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent; vel ſemper, ſicut pauci; vel certis diebus, ſicut per quadrageſimam ferè omnes.* Et ibidem docet, quid in abſtinentia ciborum ſuperſtitioſum ſit, quando recitato loco Apoſtoli, 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*, ſubiungit: *Hæc ſunt, quæ negatis, hoc animo, hac voluntate ab eſcis huiuſmodi temperatis, quòd non ſignificatione, ſed naturá mala, & immunda ſint.* Et Lib. de Fide ad Petrum c. 42. *Firmißimè*, inquit, *tene & nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam eſſe, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et Dei ſeruos, qui à carnibus aut vino abſtinent, non tanquam immunda, quæ à Deo facta ſunt, reſpuere; ſed à fortiore cibo & potu, pro ſola caſtigatione corporis abſtinere.* Prætereà Tract. 73. in Ioan. docet, peccare

eum, qui per scandalum & inobedientiam à certis cibis non abstinet: *Quando*, inquit, *nos delectant mala; rogare debemus potius Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Non quia malum est carne vesci; cùm de hac re loquens Apostolus dicat: Omnis creatura Dei bona est, &c. Sed quia, sicut idem ipse ait, Malum est homini, qui per offendiculum manducat. Et si per hominis offensionẽ, quantò magis Dei? Cuius in Israëlitis non parua erat offensio, repudiare quod dabat sapientia, & petere id, quò inhiabat concupiscentia. Quamuis illi nec peterent; sed, quia deerat, murmurarent. Sed vt sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo inuenit.*

Quòd si qui lege Ecclesiasticâ ad lautitias abutuntur, & faciunt quod Caluinus lib. 4. Instit. c. 12. §. 21. obijcit: *Abstinentiæ prætextu cum Deo ludere cœperunt: nam in exquisitissimis quibusque delicijs laus ieiunij quæritur. Nulla tunc lautitia sufficiũt, nunquam maior ciborum vel copia, vel varietas, vel suauitas, &c.* Nos non priuatorum abusus; sed Ecclesiæ pias constitutiones defendimus. Quod aliàs ferè semper Aduersariis respondendum est.

ARTICVLVS XIX.

DE REBVS CIVILIBVS.

Articulus hic in Confessione Aug. XVI. est, & ita habet: *De rebus Ciuilibus docent, quòd legitimæ Ordinationes ciuiles sint bona opera Dei, quòd Christianis liceat gerere Magistratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs & alijs præsentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iurare postulantibus Magistratibus, ducere vxorem, nubere. Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc ciuilia officia Christianis. Damnant & illos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei, & fide; sed in deserendis ciuilibus officijs: quia Euangelium tradit iustitiam æternam cordis. Interim non*

dissipat

Digitized by Google

dissipat politiam aut œconomiam; sed maximè postulat conseruare, tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaque necessariò debent Christiani obedire Magistratibus suis, & Legibus: nisi cùm iubent peccare. Tunc enim debent magis obedire Deo, quàm hominibus. Act. 5.

Ad hunc Art. responderunt Theologi Catholici: *XVI. Articulus de Magistratibus ciuilibus acceptatur, tanquam consentaneus non solùm Iuri Ciuili, verùm etiam Iuri Canonico, Euangelio, sacris Litteris, & vniuersa norma Fidei. Quin Apostolus præcipit, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Rom. 13. Laudanturque Principes, quòd damnant Anabaptistas, omnes ordinationes Ciuiles dissipantes, & Christianis prohibentes Magistratus, atque alia ciuilia officia, sine quibus nulla Respub. feliciter administratur.*

Appendix autem illa, quæ contra nos apposita est, non est veritati consentanea: vt enim ex Art. de Votis Monast. cõstat, in ipso corde, non in externa aliqua re, perfectionem Euangelicam ponimus. Quamuis exteriora ad interiorem profectum multum conducant. Neque dissipamus politiam & œconomiam; sed tantùm dicimus, eum qui potestatem suæ voluntatis habet, & per politica atque œconomica officia multum se à diuinis distrahi videt, posse ad maiorem securitatem suam, & vt liberiùs Deo seruiat, totum se diuino cultui mancipare.

QVAESTIO VNICA.

Vtrùm Lutherus verè glorietur, potestatem ciuilem multùm ab ipsius Euangelio ornamenti accepisse?

IN Lib. cont. Georg. Ducem Saxoniæ ita loquitur Lutherus: *Si ego Doctor Martinus nihil aliud boni docuissem aut fecissem, nisi quòd sæcularem gubernationem sic illustraui, atque exornaui; propter hoc saltem deberent mihi fauere, & gratias agere. Talem enim gloriam & honorem habeo (siue gaudeat, siue doleat Diabolus cum omnibus*

nibus squamis suis) quòd à tempore Apostolorum nullus Doctor aut Scriptor tam insigniter, ac clarè conscientias secularium Magistratuum confirmauit, instruxit, & consolatus est, sicut ego feci. Nam neque Augustinus, neque Ambrosius (qui tamen optimi in hac parte sunt) mihi vllo modo æquales dicendi sunt. In hoc glorior.

CONCLVSIO: Lutherus per multa paradoxa Anabaptistarum, nullos Magistratus agnoscentium, errori, & multis seditionibus ansam præbuit. Primò enim passim docet, nullum Magistratum potestatem habere leges hominibus imponendi. Nam Lib. de Capt. Bab. ita loquitur: *Dico itaque, neque Papa, neque Episcopus, neque vllus hominum habet ius vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem. Nisi id fiat eiusdem consensu.* Quid autem est Anabaptisticum, si hoc non est?

II. Lib. de Sæcul. Magist. *Dices*, inquit, *cùm inter Christianos non debeat esse gladius secularis, qua ratione exteriùs regi poterunt? Vtique inter Christianos etiam Magistratum esse debet. Respondeo: Inter Christianos nec potest, nec debet esse Superior: sed quisque æqualiter alteri subiectus est: vt Paulus Rom. 12. inquit: Quisque alterum pro Superiore habeat.* Quamuis autem ibidem dicat, hoc de iis intelligendum, qui verè Christiani sunt, & secundùm leges Christi vbique viuunt; tamen Anabaptistis sufficientem causam dedit, nullũ Magistratum agnoscendi: quia ipsi se perfectè secundùm leges Christi viuere dicunt, & nullo Magistratu seculari indigere.

III. Imperatorem Carolum V. & alios Germaniæ Principes Catholicos Tyrannos vocat, loco quem ipse Keslerus, pag. 209. Lutheranismi citat, videlicet Tom. 2. pag. 90. *Wormatiæ*, inquit, *in gratiam amicorum, ne nimis pertinax viderer, spiritum meum coërcui, & Confessionem non acriùs, neque vehementiùs coram Tyrannis feci; etiamsi infideles ab illo tempore me superbũ in respondendo dixerint. Istius me humilitatis, & reuerentiæ sæpè pœnituit.*

IV. Hanc pœnitentiam suam aliàs non rarò demonstrauit, quando passim Principes indignis tractauit modis. Nam Lib. de secul. potest. hoc modo loquitur: *Mundani Principes*

sunt:

ſunt: Mundus autem inimicus eſt Deo: Idcirco & ipſos quoque facere oportet, quod Deo contrarium; mundo autem conſentaneum eſt. Oportet ipſos titulo, & nomini ſuo ſatisfacere. Et ſcire debes, quòd ab initio mundi admodùm rara auis eſt Princeps prudens; adhuc multò rarior Princeps probus. Sunt cõmuniter maximi fatui, aut peßimi nebulones ſuper terram, &c. Ipſi ſunt Lictores, & Carnifices Dei, quibus vtitur ira diuina in vltionem malorum, & ad externam pacem conſeruandam. Magnus Dominus eſt Deus noſter: idcirco & tales, Nobiles ſcilicet, Illuſtres, & diuites Carnifices, & Lictores eum habere oportet.

Et in Tract. contra duo Cæſ. edicta, in quo Cæſarem mendacij arguit, dicens: *Turpe quidem eſt, Cæſarem & Principes manifeſtè mendacijs niti, &c.* ſub finem ita loquitur: *Oro ergo omnes pios Chriſtianos, vt velint Deum orare pro talibus excæcatis Principibus, quibus vtique nos Deus puniuit in furore ſuo: vt ne prorſus obſequentes ſimus pugnando, aut contribuendo aliquid contra Turcam. Quandoquidem Turca decuplò prudentior, & probior eſt, quàm noſtri Principes. Quid eiuſmodi ſtultis contra Turcam proſperè procedat, qui Deum adeò grauiter tentant, & blaſpemant? Hîc enim vides, quàm miſer ille, & mortalis vermium ſaccus Imperator, qui de vita ſua nec per momentum ſecurus eſt, impudenter ſe iactat, verum, & ſupremum ſe eſſe Protectorem Chriſtianæ Fidei.* Et in Aſſert. Art. XXXIV. *Qui habet*, inquit, *aures audiendi audiat, & à bello Turcico abſtineat, donec Papa nomen ſub cælo valet. Dixi.*

Præterea ad Georgium pientiſſimum Ducem Saxoniæ An. 1523. hoc modo ſcripſit, vt refert Cochlæus in eius actis: *Ceſſa à furendo, & inſaniendo contra Deum & Chriſtum eius, inprimis Inclemens Princeps. Veſtra Inclementia litteras accepi, &c.* Et paulò poſt: *Si veſtra Illuſtris inclementia non mentiretur inciuiliter, me veſtrum honorem, & bonam famam lædere; Chriſtianam veritatem non ita ſceleratè perſequeretur.* Et huic Epiſtolæ ita ſubſcripſit; *Martinus Luther, Dei gratiâ Euangeliſta Wittembergenſis.*

Item Lib. cont. Regem Angliæ, quem ſcurrilem in modum excipit, Principes lendibus comparat, inquiens: *Ego autem eiuſmodi lendibus benè faueo, vt interim glorientur, & cantent:*

Hic residemus nos lendes super caput nobilissimi animalis in terra, in crinibus eius. Non sumus vilis prosapiæ; pediculi sunt nostri Maiores: magni illi Gigantes.

Præterea multa admodùm seditiosè scripsit: vt in eo ipso libello, quem An. 1525. edidit, & Exhortationem ad pacem inscripsit. Nam rusticis Sueuiæ rebellibus victoriam, Principibus, & Episcopis cædem falsò prophetauit. Et ad Principes hunc sermonem conuertit: *Hoc sciatis, boni Domini; Deus ita procurat, vt non possint, nec velint, nec debeant vestram tyrannidem diutius ferre &c. Si non fecerint rustici isti; oportebit alios facere. Et si omnes occideritis, adhuc tamen inoccisi sunt. Deus alios exsuscitabit: vult enim vos percutere, & percutiet. Non sunt rustici, boni Domini, qui se vobis opponunt: Deus ipse est.*

Imò Euangelium suum non fore verum, si absque tumultu, & seditionibus prædicaretur, Tom. 5. pag. 77. docet, vt refert Burckard. in Autonom. *Deus auertat, vt Euangelium sine tumultu prædicemus. Si enim hoc fieret, omnia pacata, & quieta forent; Euangelium nostrum in nihilum abiret. Oportet ipsum tumultuari, quocumq; venit. Hoc si non facit, non est legitimum.* Et Tom. 2. Lat. Witt. pag. 165. docet, *Euangelium tanto esse verius, & certius, quanto plures seditiones excitat: & nihil iucundius ab ipso videri posse, quàm vt propter Dei verbum conspirationes, & discordiæ fiant. Hoc enim esse Verbi Dei cursum, principium, & finem: iuxta illud Christi: Non veni pacem mittere, sed gladium.* Sed piget his diutiùs immorari.

Quis verò vnquam Scriptor Ecclesiasticus tam nefanda contra Viros in Magistratu constitutos scripsit vnquam? Et nihilominus impudenter gloriari audet Lutherus, neminem, ne Ambrosium quidem, & Augustinum sæculari Potestati tantùm ornamenti vnquam addidisse, quantùm ipse. Præclara videlicet ornamenta sunt, vocare Principes Lendes, Porcos, Stolidos, Nebulones, Mendaces, Tyrannos: minari illis exitium, dissuadere auxilium contra capitalem Christiani nominis hostem &c. An non qui hæc & similia legit, dicere iure potest, quod Erasmus aduersus calumniosissimam Epist. Lutheri ait:

Ego

Ego Epicurus, si incidissem in tempora Apostolorum, & audissem eos tantâ, tamq; perpetua maledicentia (in cuiusuis dignitatis, & conditionis homines) *prædicantes Euangelium; timeo, ne mansurus fuerim Epicurus.*

ARTICVLVS XX.

DE CVLTV SANCTORVM.

ARticulus iste in Aug. Confessione XXI. sic habet: *De cultu Sanctorum docent, quòd memoria Sanctorum proponi potest, vt imitemur fidem ipsorum, & bona opera, iuxta vocationem. Vt Cæsar imitari potest exemplum Dauidis, in bello gerendo, ad depellendos Turcas à patria. Nam vterq; Rex est. Sed Scriptura non docet inuocare Sanctos, seu petere auxilium à sanctis. Quia vnum Christum proponit nobis Mediatorem, Pontificem, & Intercessorem. Hic inuocandus est, & promisit se exauditurum esse preces nostras, & hunc cultum maximè probat, videlicet vt inuocetur in omnibus afflictionibus: 1. Ioan. 1. Si quis peccat, habemus Aduocatũ apud Deum.*

Tres autem hoc loco quæstiones discutiemus: I. Vtrùm Sanctos pio cultu venerari liceat? II. Vtrùm liceat eosdem inuocare? III. De Veneratione Reliquiarum, & Imaginum.

QVAESTIO I.

Vtrùm Sanctos cum Christo regnantes piè colere possimus?

C*Onfessio nostra,* inquit Apologia, *probat honores Sanctorum. Nam hic triplex honos probandus est: Primus est gratiarum actio. Debemus enim Deo gratias agere, quòd ostenderit exempla misericordiæ, quòd significauerit se velle saluare homines, quòd dederit Doctores, aut alia dona Ecclesiæ. Et hæc dona, vt sunt maxima, amplificanda sunt, & laudandi ipsi Sancti, qui his donis fideliter vsi sunt. Sicut Christus laudat fideles negotiatores. Secundus cultus est Confir-*

matio fidei nostra. Cùm videmus Petro condonari negationem, erigimur & nos, vt magis credamus, quòd verè gratia exuberet supra peccatum. Tertius honos est imitatio, primùm fidei, deinde cæterarũ virtutum, quas imitari pro sua quisque vocatione debet. Hos veros honores non requirunt Aduersarij. Tantùm de Inuocatione, qua etiamsi nihil haberet periculi, tamen non est necessaria, rixantur.

Sed de Inuocatione sequente quæst. videbimus.

De honore quo Sanctos afficimus ita docemus, quòd & Deum in Sanctis suis laudare, & fidem nostram per illorum memoriam roborare, & exempla imitari debeamus: & insuper honore quodam, ac veneratione, tum animi, tum per significationem externam, vt per geniculationem, inclinationem, &c. ipsos Sanctos afficere possimus.

Vbi obseruandum est I. Omnem reuerentiam externam speciem suam desumere ab intentione animi, quæ, apprehensâ alicuius personæ excellentiâ, reuerentiæ affectu in eam fertur, & signis exterioribus affectum suum demonstrat. Itaq; quamuis exteriora reuerentiæ indicia eadem sint; non tamen semper idem dicendus est cultus. Nam Abraham adorauit filios Heth, & Iacob fratrem suum Esau, & filij Israel fratrem suum Ioseph: neque tamen cultu diuino eos affecerunt, quamuis exteriùs talia reuerentiæ indicia exhibuerint, qualia etiam Deo exhiberi solent.

Obseruandum est II. Nullum vocabulum in Ecclesia vsitatum esse, quod cultui diuino ex vi significationis suæ ita propriè conueniat, vt non possit etiam creaturarum cultui applicari. Nam Latria quidem pro solius Dei cultu in Ecclesia sumitur: ex vi tamen significationis suæ etiam creaturarum cultui applicari potest. Imò Leuit. 23. vbi legimus, *Opus seruile non facietis*, in græco est ἔργον λατρευτόν. Item Duliam pro cultu Sanctorum sumimus, & tamen quia seruitutẽ significat, etiam cultus Deo proprius isto vocabulo significari potest. Et ad Galat. 4. vbi habemus, *Iis, qui naturâ non sunt Dij, seruiebatis*, in græco habetur ἐδουλεύσατε.

Quia tamen communiter Latria in Scriptura pro cultu

Dei

Dei sumitur,& Scriptores sacri vnanimiter pro solius Dei cultu hoc vocabulum vsurpant; ideò Theologi per vocem illam rectè cultum illum solum intelligunt, qui nulli creaturæ exhiberi potest. Quia autem in Ecclesia semper creditum est, Sanctos cum Christo regnantes, tanquam Dei amicos, & patronos nostros venerandos esse; ne cultum Deo debitum eis deferre videamur, vocabulum Duliæ huic cultui appropriarunt: quo nihil aliud significat, quàm honorem,qui excellentiæ Sanctorum, vtpote summæ quæ in creatura rationali esse potest, conuenit. Itaque non hic vocabulorum significatio gramatica, sed Ecclesiastica, quam ex impositione Doctorũ habet, attendēda est. Nihil enim nobis imponere possunt Aduersarij, quàm quod per vocabula ista significare intendimus.

De hac re ita contra me loquitur Frœreisenius, de Eccl, pag. 69. *Aduersarius se nos vrgere dicit, vt vel vnicum (ò audacem & inconsideratam prouocationem!) Articulum ita clarè in Scripturis contineri ostendamus, sicut eum contra Papistas proponimus.* Videamus autem, an quid clarius in hac quæstione propositurus sit, quàm in ea, vtrùm Papa sit Antichristus, de qua supra dictum est. *Articulus fidei est,* inquit, *quem asserimus, & contra idolomaniam Papisticam ita proponimus: Deum solum esse adorandum, & colendum. Id quod affirmatiuè 1. Christi verbis Matth. 4. ex Deut. 8. & 10. probamus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. 2. Docemus idem formalibus Dei verbis, Esa. 42. 8. & 48. 11. Ego Iehoua, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Monstramus 3. Vbi Sancti Cœlites hunc honorem expressis verbis improbrent, & auersentur: Apocal. 19. 10. & 22. 9. Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & Fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu: Deum adora. Hic nos te nunc vrgemus, Papicola, vt ad hunc Articulũ sine vllis glossis in suis formalibus propositum, respondeas sine tuis glossis. Et seriò tibi indicimus, ne nobis friuolam & obsoletam distinctiunculam in aurem oggannias, inter Latriam, duliam, & hyperduliam. Caret enim omni Scriptura fundamento; & à tua fortis hominibus jam dudum, vt nosse debes, est explosa.* Itane verò? Ostendat ergo vel vnicum Catholicum, qui res ipsas, quas per

 voca-

vocabula ista significamus, vnquam exploserit. Sed ad rem.

CONCLVSIO: Licet Sanctos animi affectu, & externis reuerentiæ signis colere, & adorare. Adorare, inquam, non cultu Deo proprio; sed vt Dei intimos amicos, quos ipse summo honore afficere dignatus est. Non ignoramus autem, Scriptores Ecclesiasticos adorandi vocabulum aliquando pro cultu latriç sumere: vt S. Hieron. Lib. cont. Vigilant. dicente: *Quis, ô insanum caput, aliquando martyres adorauit? Quis hominem putauit Deum?* Sed nos adorandi vocabulum latè sumimus, pro cultu cuiusuis excellentiæ proportionato.

Probatur Conclusio I. Quia dum Sancti, Deum singulari modo possidentes, honorantur, honor in ipsum Deum tendit. Nam similem ob causam Psal. 98. de Arca fœderis dicitur: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Si autem arcam adorare, siue cultu aliquo afficere licuit, quia scabellũ pedum Domini fuit; quanto magis Sanctos cum Christo regnantes colere licebit, in quibus longè præstantiore modo gloria Dei residet, quàm in arca testamenti?

II. Idem colligimus ex illo Matth. 10. 40. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet: & qui recipit Iustum in nomine Iusti, mercedem Iusti recipiet.* Et Marci 9. 41. *Quisquis enim potum dederit Calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Ex quibus sic argumẽtor: Si obsequium Sanctis, adhuc in mundo degentibus, propter Christum exhibitum tendit in honorem ipsius Christi, etiam cultus, qui Sanctis tanquam Christi Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, &c. exhibetur, in honorem Christi tendit. Tantùm abest, vt ipsius gloriç quidquam deroget. Non enim Sanctos honoramus, quasi gloriam suam à se habeant; sed quòd illam ex liberalitate Dei, & meritis Christi acceperint. Et proinde ipsos honoramus, quia Christi sunt. Prout S. Athanasius Lib. de Virginit. de Sanctis nondum defunctis ait: *Si homo iustus ades tuas intrauerit, cum timore & tremore occurrens illi adorabis humi ad pedes illius. Non enim eum, sed Deum adorabis, qui illum mittit. Dominus enim ait: Qui recipit*

recipit iustum, me recipit. Et S. Hieron. Epist. ad Ripar. ait: *Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum.*

III. Probatur ex adoratione, quam pios Viros Angelis exhibuisse legimus: Genes. 18. 2. Abraham tres Angelos pronus in terram adorauit: & Lot Genes. 19. 1. duos. Eodem modo Num. 22. v. 31. dicitur; *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitq́ eum pronus in terram.* Item Iosue 5. 13. *Videns Iosue virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium, perrexit ad eum, & ait: Noster es an Aduersariorum?* Quo respondente, *Nequaquam: sed sum Princeps Exercitus Domini; Cecidit Iosue pronus in terram, & adorauit.*

IV. Huc facit, quod Saul, 1. Reg. 28. adorauit animam Samuelis sibi apparentem. Item Abdias 3. Reg. 18. Adorauit Eliam pronus in terram; cùm tamen esset ex Principibus Regni, & Elias homo priuatus. Et 4. Reg. 2. Cùm filii Prophetarum audiissent, spiritum Eliæ requieuisse super Eliseum, accedentes adorauerunt eum proni in terram. Quòd si autem Sancti viri adhuc in terra constituti, ob sanctitatis excellentiam adorari possunt, *quando pro se adhuc debent esse solliciti* (vt cum S. Hieron. cont. Vigilant. loquar) *quantò magis post coronas, victorias, & triumphos?*

Ad obiectionem Frœreisenij dico: Si ipse sine vlla limitatione loca, quæ de solo Deo adorando loquuntur, intelligere velit; damnare debebit omnes istos, quos jam recensuimus, & alios plures à quibus creaturas adoratas in Scriptura legimus. Cùm autem hoc nulla ratione fieri possit; necessariò sequitur, locum illum, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, non de quauis adoratione intelligendum esse; sed de ea, qua Deus, vt supremus rerum omnium Dominus, adoratur, & colitur. Iam verò Sanctos cum Christo regnantes tali cultu adoramus, vt Deum similiter adorare nulla ratione liceat. Colimus enim Sanctos vt creaturas, non vt Deum.

Et proinde Secundus quoque locus nihil contra nos facit; quia gloriam Dei non transferimus in sanctos, sed dum ipsos vt Dei amicos colimus, ipse ille cultus in gloriam Dei refertur.

fertur. Itaque ſicut nomen Dei nulli creaturæ in ea ſignificatione tribui poteſt, in qua de Deo accipitur: & nihilominus hoc ipſum nomen creaturis aſcriptum legimus: vt Ioan. 10. 34. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi: Dij eſtis. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, &c.* (Longè videlicet alia ſignificatione, quàm dum de ipſo Deo dicitur) ita adoratio quamuis de Dei & creaturarum cultu dicatur, longè tamen aliter intelligenda eſt, quando per illam cultus Dei ſignificatur, aliter quando cultus aliorum.

Denique ad exemplum ex Apocalyp. deſumptum dico, Ioannem non malè feciſſe, dum adorauit Angelum: niſi alios quoque Sanctos Viros ob ſimile factum reprehendere velimus. Itaque adorationem Ioannis admittere noluit Angelus, vt oſtenderet quanti coram Angelis eſſent Apoſtoli Chriſti. Nam profectò ſi Ioannes, Apocalyp. 19. monitus ab Angelo, ſenſiſſet eum citra idololatriam adorari non poſſe; c. 22. non denuò cecidiſſet in terram, vt eum adoraret. Et ipſe Angelus rationem reddidit, cur à Ioanne adorari nollet: *Vide, ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & Fratrum tuorum Prophetarum.* Id eſt, nolo me adores, qui, vt Propheta, Apoſtolus, & Euangeliſta Chriſti, non es inferioris me dignitatis. Itaque miror, quid Frœreiſenio venerit in mentem, quando iſta tanquam manifeſtiſſima contra Sanctorum venerationem loca nobis obtrudit, ex quibus illa ipſa, quam oppugnat, veneratio confirmari poteſt.

DICES: Diabolus Matth. 4. non petebat à Chriſto cultum latriæ, ſed προσκύνησιν, ſiue inclinationem quandam: & nihilominus Chriſtus in ſua reſponſione oſtendit, talem reuerentiam ſoli Deo tribuendam: *Dominum*, inquit, *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

RESPONDEO: Hanc Chriſti ex Deutron. 6. & 10. ſententiam neceſſariò de adoratione & ſeruitute, quæ ſoli Deo debetur, intelligendam eſſe. Si enim abſque vlla limitatione, ſiue, vt Frœreiſenius loquitur, gloſſa intelligeretur; ne ciuiliter quidem vllus alteri ſeruire, vel per inclinationem, aut alia

lia reuerentiæ indicia, honorem deferre posset. Itaque Diabolus diuinos sibi honores à Christo exhiberi postulauit: vt constat ex Luc. c. 4. 6. vbi Diabolus dixisse narratur: *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia.* Quare ipse Caluinus, qui hanc quoque obiectionem nobis opponit, in c. 4. Matth. apud Marloratum ita loquitur: *Hic sacrilega Diaboli audacia se prodit, quòd terræ imperium, Deo ereptum, sibi vsurpat. Et nobis quotidie cum eadem impostura luctandum est: quod singulis fidelibus in se sentiunt. Et in tota impiorum vita clariùs perspicitur. Nam etsi omnia nostra præsidia, opes, commoda in Dei benedictione consistunt; titillant tamen nos subinde, & pelliciunt sensus nostri ad quærenda Satanæ subsidia, ac si vnus Deus non sufficeret. Bona autem mundi pars, Deo ius & imperium terræ abdicans, Satanam sibi fingit bonorum omnium datorem. Vnde enim fit, vt malis artibus, & dolis, & fraudibus fere omnibus se addicant, nisi quòd in Satanam transcribunt, quod Dei proprium erat: sua benedictione dotare quos piam est?*

Sanctus Augustinus quæst. 61. in Genes. de hoc eodem loco ita loquitur: *Exurgens autem Abraham adorauit populum terræ. Quæritur, quomodo scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies; cùm Abraham sic honorauerit populum quendam gentium? Sed animaduertendum est, in eodem præcepto non dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, Et illi soli seruies, græcè λατρεύσεις. Talis enim seruitus non nisi Deo debetur. Vnde damnantur Idololatræ, id est, eiusmodi seruitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moueat, quòd alio loco in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet, vt Dominus potiùs adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari: & ideò fuerat corrigendus adorator.*

Hæc de adoratione Ioannis sententia Augustini non minus quàm nostra contra Aduersarios valet. Quamuis ea, quam supra posui, textui magis conformis esse videtur: quia sicut primâ vice Angelum Ioannes adorauit; ita & secundâ, cùm tamen Angelum esse sciret.

QVAESTIO II.

De Sanctorum Innocatione.

SCriptura non docet, inquit. Aug. Confessio, *inuocare Sanctos, seu petere auxilium à Sanctis: quia vnum Christum nobis proposuit Mediatorem, Propitiatorem, Pontificem, & Intercessorem.* Apologia verò hoc modo loquitur; *Aliud quidquam non efficiunt* (Theologi Catholici) *quàm Sanctos honorandos esse* (si autem in hac re efficiunt quod volunt, ergo quod superiore quæstione conclusum est, negari non potest) *Item, Sanctos qui vivunt orare pro alijs. Quasi verò propterea necessaria sit inuocatio mortuorũ Sanctorum* (Quasi verò Sancti, qui Deo vivunt, mortui dicendi sint cum Trismegisto, de quo S. August. Lib. 8. de Ciuit. Dei c. 26.) *Allegant Cyprianum, quòd viuum Cornelium rogauerit, vt discedens pro Fratribus oret. Hoc exemplo probant mortuorum inuocationem. Citant & Hieronymum cont. Vigilant: In hac arena, inquiunt, ante mille & centum annos vicit Hieronymus Vigilantium. Sic Triumphant Aduersarij, quasi jam sit debellatum. Nec vident isti asini, apud Hieronymum cont. Vigilant. nullam extare Syllabam de Inuocatione. Loquitur de honoribus Sanctorum, non de Inuocatione. Neque reliqui Scriptores ante Gregorium fecerunt mentionem inuocationis.*

Obseruandum hîc est I. Apologiam concedere, quòd vt Angeli, ita sancti homines, vitâ defuncti orent pro nobis: sed in genere tantùm. Sic enim loquitur: *Prætereà & hoc largimur,* (magnâ videlicet liberalitate) *quòd Angeli orent pro nobis: extant enim testimonia, Zach. 1. Vbi Angelus orat: Domine exercituum vsquequò tu non misereberis Ierusalem! &c. De Sanctis concedimus, quòd, sicut viui orant pro Ecclesia vniuersa in genere, ita in cœlis orent pro Ecclesia in genere. Tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus extat, præter illud somnium sumptum ex Lib. Machab. posteriore.*

Sed cùm Philippus concedat, Sanctos defunctos orare pro Ecclesia in genere, & simul existimet, nullum hac de re in Scriptura testimonium extare: contrà neget, Sanctos esse innocan-

vocandos, quòd nullum pro hac re in Scriptura extet testimonium; quisque facilè colliget, ipsi in concedendo & negando fuisse pro ratione voluntatem.

Obseruandum II. Per manifestam calumniam de nobis in eadem Apolog. dici: *Planè tribuunt diuinitatem Sanctis: videlicet quod tacitas cogitationes mentium in nobis cernant.* Item, *Res loquitur ipsa, quòd publicâ persuasione B. Virgo prorsus in locum Christi successerit.* Neque enim B. Virginem vt Christum vel Deum; sed vt Christi,& Dei Matrem veneramur, & inuocamus: non vt ipsa nobis diuinæ gratiæ sit auctrix; sed vt illam nobis intercessione sua impetret. Neque quidquam aliud per quasuis Ecclesiæ orationes, quas ad B. Virginem dirigimus, significatur. Item, neminem Sanctorum, quasi intimè nobis semper præsentem, occultas cogitationes nostras virtute sua videre dicimus. Sed vident illas alijs modis, & nominatim in Deo, in quo, tanquam in speculo, rerum omnium imagines perfectissimè pro diuinæ voluntatis arbitrio repræsentantur.

Qua de re S. Augustinus Lib. de Ver. Relig. c. 55. ita loquitur: *Ecce vnum Deum colo, vnum omnium principium, & vnam sapientiam, qua sapiens est, quacumq; anima sapiens est, & ipsum munus, quo beata sunt, quæcumq; beata sunt. Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum, quòd etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit.* Et Lib. 22. de Ciuit. Dei c. 29. *Si enim Eliseus Propheta puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, &c. quanto magis in illo corpore spiritali videbunt Sancti omnia, non solùm si oculos claudant, verùm etiam vnde sunt corpore absentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus, Ex parte, inquit, scimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est euacuabitur &c. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem &c. Si ergo in hac vita, vbi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi paruulus ad iuuenem, vidit tamen Eliseus accipientem munera seruum suum, vbi ipse non erat; itane cùm venerit quod perfectum est, nec jam corpus corruptibile aggrauabit animam,*

mam, sed incorruptibile nihil impediet, illi Sancti ad ea quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Eliseus absens ad seruum suum videndum non indiguit, indigebunt? &c. Corde suo se dixit vidisse Propheta, adiuto quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitus. Sed quanto ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus? Quamuis ergo Sancti corpora gloriosa nondum habeant, quia tamen oculis corporeis non indigent ad ea videnda quæ apud nos aguntur, & gloriam Dei jam perfectè contemplantur, vt alibi passim docet idem Augustinus, ex eiusdem doctrina sequitur, Sanctos cum Christo regnantes etiam nunc orationes nostras ad ipsos directas cognoscere.

CONCLVSIO I. Sancti Cœlites non tantùm pro vniuersa Ecclesia in genere, sed etiam in specie pro certis hominibus in terris versantibus orant. Probatur I. Quia vt Angeli orant pro nobis, ita etiam Sancti cum Christo regnantes, qui Luc. 20. dicuntur esse *sicut Angeli Dei*. Et Apoc. 3. dicuntur esse columnæ in Ecclesia Dei, & sedere cum Christo in throno vt gentes dirigant. Sed Angeli in particulari pro hominibus orant, & curam eorum gerunt, vt constat ex Tob. 12. Zach. 1. Psal. 90. Daniel. 10. Matth. 18. Apoc. 8. Ergo & Sancti, qui eiusdem nobiscum Ecclesiæ membra fuerunt, & ijsdem nobiscum periculis expositi, pro nobis non tantùm generatim, sed etiam in particulari solliciti sunt.

II. Error fuit Vigilantij, olim in Ecclesia damnatus, quòd Sancti in particulari necessitates nostras scire non possint, nec eas Deo in oratione commendare. De qua re S. Hieron. in Lib. cont. illum ait: *Mortuum suspicaris* (Samuelem) *& idcirco blasphemas? Lege Euangelium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob; non est Deus mortuorum, sed viuorum. Si ergo viuunt, honesto juxta te carcere non clauduntur. Ais enim vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas Apostolorum, & Martyrum consedisse: non posse suis tumulis, & vbi voluerint, adesse præsentes &c. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, vt vsq; ad diem judicij teneantur custodiâ? Nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, Sequuntur agnum quocumq; vadit? &c.* Et cum

Dia-

Digitized by Google

Diabolus, & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbiq. præsentes sint; Martyres post effusionem sanguinis sui arcâ operientur inclusi, & inde exire non poterunt? Quamquam vt preces nostras audiant, locis illis, in quibus oramus, Sanctos præsentes esse non est opus, vt ex dictis colligitur.

Hæc Conclusio ex ijs, quæ in seq. dicentur magis confirmabitur.

CONCLVSIO II. Sancti cum Christo regnantes, siue Angeli, siue homines, piè & vtiliter ab ijs qui in terris militant inuocantur, vt pro ipsis orent. Probatur I. ex illo Genes. 48. 18. vbi Iacob Angelum sic inuocauit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.*

II. Siue inuocetur Deus per merita Sanctorum, siue ipsi Sancti vt intercedant pro nobis, par ratio est: & efficacior est oratio, quam ipsi Sancti pro nobis fundunt, vtpote perfecti amici Dei, quàm illa, qua nos peccatores Deum per Sanctos rogamus. Quamuis enim vtrobique merita Sanctorum gratiam nobis Dei impetrant; gratior tamen est oratio Sanctorum glorificatorum, quàm hominum adhuc peccatis subiectorum. Atqui in Scriptura habemus exempla hominum, qui in terra viuentes Deum per merita Sanctorum defunctorum rogauerunt: vt Exod. 32. 13. hunc in modum orat Moyses: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel, seruorum tuorum.* Et Danielis 3. 35. ita orant tres pueri: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel Sanctum tuum.* Ergo ipsos quoque Sanctos jam in cœlo gloriosos inuocare licet, vt ipsimet orent pro nobis.

III. Viuentes à viuentibus petere possunt, vt pro se apud Deum intercedant. Nam Paulus Rom. 15. ita scripsit: *Obsecro vos, Fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* Et similiter rogauit Ephes. 6. Coloss. 4. 1. Thess. 5. 2. Thess. 3. ad Heb 13. Quid ni ergo Sanctos glorificatos rogare liceat, vt nostri apud Deum intercessores esse velint? Quod enim contra inuocationem Sanctorum in cœlo existentium objiciunt, idem contra orationem viuentium pro viuentibus pugnat.

Quippe Apologia ita loquitur: *Fingunt homines, Christum duriorem esse, & Sanctos placabiliores, & magis confidunt misericordiæ Sanctorum, quàm misericordiæ Christi. Et fugientes Christum, quærunt Sanctos.* Si enim ista vera sunt, quia Sanctos Cœlites rogamus, vt ipsi orent pro nobis; neque homines in carne viuentes rogare licebit, vt ipsi pro nobis orent: idem enim de hac re dici posset, quod de inuocatione Sanctorum obijcitur. Igitur Sanctos non inuocamus, quasi ipsis magis quàm Christo confidamus, aut magis misericordes esse putemus, quàm Christum; sed quòd ipsi nobis digniores, & Christo chariores sint: & proinde faciliùs quàm nos impetrare, quæ Deus sæpè propter indignitatem nostram negat, possint.

IV. Vigilantij error, olim in Ecclesia damnatus, fuit, Sanctos non esse inuocandos, eò quòd orationes nostras intelligere non possint: vt constat partim ex verbis S. Hieron. paulò ante relatis, partim ex istis quæ immediatè subiungit: *Dicis in libello tuo, quòd dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus. Postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Præsertim cùm Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiuerint. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?* Et ideò ipse Hieronymus, tum alibi, tum in epitaphio Paulæ ipsâ praxi inuocationem Sanctorum probauit. *Vale,* inquit, *O Paula, & Cultoris tui senectutem orationibus iuua. Fides, & opera tua Christo te sociant: præsens faciliùs quod postulas impetrabis.*

Ex quibus sequitur, falsum esse, quod in Apologia dicitur, apud Hieron. cont. Vigilant. ne syllabam quidem de inuocatione Sanctorum extare; sed ipsum tantùm de honoribus Sanctorum loqui. Dum enim contra Vigilant. asserit, Sanctos sepulchris suis adesse posse, vt orationes nostras audiant, & ipsos orare pro nobis; non de honoribus tantùm Sanctorum, sed etiam de inuocatione loquitur; quam constat Vigilantium negasse. Id quod confirmatur istis eiusdem Libri contra Vigilant. verbis: *Audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ Martyrum,*

rum, & circumuolant eos, semperque præsentes sunt, ne fortè si aliquis precator aduenerit, absentes audire non poßint? O portentum, in terras vltimas deportandum! An non satis clarè hic invocationis Sanctorum meminit? Quare ipsi Centuriatores, aduertentes Vigilantium in hac materia idem secum sensisse, Cent. 4. c. 8. docent, Vigilantium fuisse sanctum Presbyterũ, & Hieronymum ab eo victum.

Item falsissimum est, quod eadem Apologia dicit, nullum Scriptorem ante Gregorium facere mentionem inuocationis Sanctorum: Vt enim Irenæum, Athanasium, Basilium, Ambrosium, & præter alios ipsum, de quo nunc egimus Hieronymum omittam (quorum testimonia ipsi Centuriatores Cent. 4. c. 4. & Cent. 5. c. 4. citant) Augustinus vtique Gregorio antiquior fuit, & , vt ex Græcis quoque vnum addam, Chrysostomus. Sed isti Sanctorum inuocationem manifestè docent: Sanctus Augustinus Epist. 42. ait: *Videtis Imperij nobilißimi eminentißimum Culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Et Lib. 20. cont. Faust. c. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur.* Et Lib. 7. cont. Donatist. c. 1. *Adiuvet nos,* inquit, *Cyprianus orationibus suis, in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes: vt donante Domino, quantum possumus, bona eius imitemur.* Et Serm. 1. & festo Stephani: *Exauditus est,* inquit, *S. Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus eius. Multò enim magis nunc exauditur pro benè orantibus se.*

S. Chrysostomus Hom. 66. ad populum ita loquitur: *Christus tunc omnem orbem terrarum ad se traxit adorandum, cùm mortuus fuisset. Et quid de Christo loquar, cùm & Discipulos, postquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico Discipulos? Nam & eorum loca, & sepulchra, simul & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu verò mihi sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit. Sed nihil horum insigne; omnia destructa*

structa sunt, & exterminata. Christi verò seruorum & sepulchra clara sunt, Regiam assecuta ciuitatem: & dies notissimi, mundo festam afferentes lætitiam. Et illius quidem loculum & proprij nesciunt; horum autem sciunt & barbari. Et seruorum Crucifixi sepulchra Regijs aulis sunt clariora; non magnitudine, & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem superant) sed quod multo maius est, conuenientium studio. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant. Et scenarum Fabrum, & Piscatorem etiam mortuos vt Protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur, quæso, horum Dominum nuncupare mortuum, cuius Serui vel mortui terrarum orbis Regum sunt Protectores? Nec hoc tantùm quis Romæ fieri viderit; verùm & Constantinopoli. Nam & hîc Constantinum Magnum ipsius Filius honore magno censuit haberi, si pro foribus Piscatoris paternum corpus collocaret. Et quod in Regijs sunt Ianitores Regibus; hoc sunt in monumento Piscatoribus Reges.

Cur autem antiqui prope memorias Sanctorum sepeliri voluerint, tradit etiam August. Lib. de Cura pro mortuis c. 4. *Vt dum viui recolunt, vbi sint reposita eorum quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos, tanquam Patronis susceptos, apud Dominum adiuuandos orando commendent.*

OBIICIES Cum Apologia: Sanctorum inuocationem, prout apud Papistas vsitata est, non esse licitam, multis probari potest: I. *Quia vt maximè pro Ecclesia orent Sancti, tamen non sequitur, quòd sint inuocandi. Quamquam Confessio nostra hoc tantùm affirmat, quòd Scriptura non doceat Sanctorum inuocationem, seu petere à Sanctis auxilium. Cùm autem neq; præceptum, neq; promissio, neq; exemplum ex Scripturis de inuocandis Sanctis afferri possit; sequitur conscientiam nihil posse certi de illa inuocatione habere.*

II. *Faciunt ex Sanctis non solùm deprecatores, sed etiam propitiatores. Id nullo modo ferendum est. Nam hîc prorsus transfertur in Sanctos proprius honor Christi. Et quamquam distinguunt de mediatoribus intercessionis, & mediatoribus redemptionis; tamen*

plane

planè faciunt ex Sanctis mediatores redemptionis. Applicant enim merita Sanctorum in alijs, sicut merita Christi. Nam passim vsurpatur hæc forma absolutionis: Passio Domini nostri Iesu Christi, merita Beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum sint tibi in remissionem peccatorum, &c. Atque etiam illud dicunt sine testimonio Scripturæ, quòd sint mediatores intercessionis: licet hoc verecundissimè dicatur.

III. *Fortassis ex aulis Regum sumunt hunc ordinem, vbi amicis intercessoribus vtendum est. At si Rex constituerit certum intercessorem, non volet ad se causas per alios deferri. Ita cùm Christus sit constitutus Intercessor noster, & Pontifex, cur quærimus alios?*

IV. *Hæret & hic error apud doctos, quòd singulis Sanctis certæ procurationes commissæ sint: vt Anna diuitias largiatur, Sebastianus arceat pestilentiam, Valentinus medeatur morbo comitiali, Georgius tueatur equites. Hæ persuasiones planè sunt ortæ ex Ethnicis exemplis. Sic enim apud Romanos putabatur Iuno ditare, Febris arcere febrim, Castor & Pollux defendere equites &c.*

RESPONDEO I. Etiamsi inuocatio Sanctorum ex Scriptura probari non posset, eam tamen Confessionistæ ideò negare non deberent. Quia Apologia dicit, in Scriptura nusquam haberi, quòd Sancti orent pro nobis, & hoc tamen concedit. Sed fundamento isto ex Scriptura posito dicimus, rectè nos facere dum Sanctorum nos precibus commendamus, quos pro nobis sollicitos esse, & vtiliter pro nobis orare scimus: atque vt hoc faciant à nobis rogatos intelligere, quid velimus. Item cùm in Scriptura promissionem habeamus, quòd si rogauerimus Sanctos, adhuc in carne viuentes, beneficia Dei per eorum intercessionem impetraturi simus, vt Iob vlt. *Ite ad seruum meum Iob, & ipse orabit pro vobis, & ego suscipiam faciem eius, vt non vobis imputetur stultitia*; quantò magis Sancti, non mortui, vt Apologia vocat, sed Deo viuentes vtiliter à nobis rogantur, vt intercedant pro nobis. Et quamuis aliunde nihil haberemus, conscientiæ tamen nostræ de huius inuocationis vtilitate, per vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem & traditionem satis certæ forent.

RESPONDEO II. Sanctos non facimus propitiatores nostros; sed eos inuocamus vt nostros intercessores, quorum oratio & merita non satisfaciũt pro peccatis nostris, aut nobis iustificationem & gloriam merentur, vt merita Christi; sed tantùm instar suffragiorum Deum mouent, vt ipse sua nobis beneficia tanto faciliùs largiatur. Et quidquid hac in parte per intercessionem & merita Sanctorum impetratur, in gloriam meritorum Christi redundat, ex quibus originaliter omnis hic fructus deriuatur. Itaque cùm Sacerdos dicit: *Passio Domini nostri Iesu Christi; merita Beatissimæ Virginis &c. sint tibi in remissionem peccatorum*, non absoluit hominem à peccatis per merita B. Virginis, & Sanctorum; sed absolutio hæc verba præcedit, quando dicitur: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate illius, mihi licet indignissimo concessa absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ista autem verba, quæ subiungi solent, non pertinent ad formam absolutionis, sed per ea precatur tantùm Sacerdos pro pœnitente. Vbi tamen longè aliter intelligendum est, passionem Christi esse nobis in remissionem peccatorum, aliter merita B. Virginis, & Sanctorum. Passio enim Christi est propitiatio pro peccatis nostris, merita B. Virginis, & Sanctorum sunt suffragia tantùm intercessoria. Sicut quando dicimus: Gloria Deo, & B. Virgini, longè aliter sumimus idem vocabulum gloriæ respectu Dei, & respectu Virginis: respectu Dei, vt sumit Apostolus, dum 1. Timoth. 1. 17. ait: *Soli Deo honor & gloria.* Respectu Virginis in tali significatione, in quali Rom. 2. 10. idem Apostolus dicit: *Gloria & honor omni operanti bonum.*

RESPONDEO III. Christum à Deo constitutum esse vnicum Mediatorem nostrum: quia & ratione naturæ inter Deum & homines medius est, ipse simul Deus & homo; & ratione officij: solus enim omnes homines Patri reconciliauit, plenissimè satisfaciendo pro peccatis illorum. Sancti autem tantùm intercedendo sunt mediatores nostri. Sicut Moyses, Deut. 5. 5. dicit, se sequestrum & medium fuisse inter Deum & Israëlitas. Item Christus per semetipsum absque alterius cuiuscum-

iuſcumque adminiculo interpellat pro nobis, Sancti verò omnes in virtute meritorum Christi. Id quod inſinuat Apoſtolus Heb. 7.25. dicens: *Accedit per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vnde Sanctus Auguſtinus Lib. cont. Parmen. c. 8. dicit: *Homines omnes Chriſtiani inuicem ſe commendant orationibus ſuis: pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus verusq; Mediator eſt.*

RESPONDEO IV. Etiam antiquos hæreticos conqueſtos eſſe, quòd Catholici venerarentur Martyres, vt Ethnici idola (excepto videlicet, quòd non venerarentur ipſos vt Deos) prout docet Cyril. Lib. 6. in Iulian. Auguſt. Lib. 2. cont. Fauſt. c. 4. Hieron. Lib. cont. Vigilant. inquiens: *Idololatras appellas eiuſmodi homines, quia ſimili cum idolis videamur Deum honore venerari. Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt. Nam & abſq; Martyrum reliquijs per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante: non vtiq; ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.*

Quòd autem Deus quædam miracula ad inuocationem potiùs huius Sancti, quàm alterius operetur, non ideò fit, quòd ad cuiuslibet interceſſionem quodlibet miraculum operari non poſſit; ſed ob alias cauſas ipſi ſoli notas: vt S. Auguſt. Epiſt. 137. docet his verbis: *Vbiq; quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia: & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam juſtificet, & coronet. Verumtamen quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? &c. Nunquid & Africa Sanctorum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri. Sicut enim, quod Apoſtolus dicit, Non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum; ita nec in omnibus Memorijs Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit vnicuiq; propria, prout vult &c.*

QVAESTIO III.

De Veneratione Reliquiarum, & Imaginum.

DE Veneratione Imaginum ita loquitur Apolog. *Inuocationem prodigiosi, & plusquam Ethnici abusus secuti sunt. Ab Inuocatione ad imagines ventum est. Hæ quoq; colebantur, & putabatur eis inesse quædam vis: sicut Magi vim inesse fingunt imaginibus signorum cælestium, certo tempore sculptis &c.*

De veneratione Reliquiarum nihil in specie dicit; sed de illa Confessionistarum sententia est, quam Keslerus in Lutheranismo à pag. 548. tradit: 1. Non esse licitum corpora Sanctorum, aut eorum ossa extra sepulchra honoris causâ certis capsulis includere; sed in sepulchris esse relinquenda. 2. Nos esse superstitiosos, qui tanquam singulares reliquias talia ossa proponimus, singularem vim eis inesse putantes, & honorificè adorantes. 3. Sæpè falsas reliquias pro veris apud nos honorandas proponi. 4. Lutherus, vt citat idem Keslerus Tom. 8. Ienens. german. pag. 277. dicit: *Se non honorare reliquias, eò quòd nihil nobis vtilitatis adferant. Sumat,* inquit, *aliquis partem furis è patibulo, & dicat esse reliquias S. Petri; perinde est. Nam tales reliquiæ nihilo meliores sunt.* Quam Lutheri doctrinam tribus modis limitat Keslerus: 1. comparatiuè intelligendam dicit, respectu verbi Dei. 2. conditionaliter, si quis reliquias Sanctorum honorificè habendas putet. 3. Determinatè de ijs reliquijs, quæ apud Papistas ostendi solent. Interim ex secunda limitatione sequitur, Reliquias Sanctorũ non magis esse venerandas, quàm ossa furum aut latronum. Quod non modò plus quàm Eunomianum, & Vigilantianum est; sed & nescio, an ex vllo vnquam antiquo hæretico similis blasphemia audita fuerit.

Circa hæc obseruandum est 1. Quamuis Reliquias Sanctorum & Imagines venerandas esse statuamus, non tamen dicimus invocandas, neque virtutem ipsis inesse credimus, per quam nobis ex se aliquid boni conferre possint. Hæc est enim sententia nostra, quam Concil Trid. Sess. 25. tradit:

Sancto-

Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium sancta corpora, qua viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse: per quae multa beneficia à Deo hominibus praestantur, &c. Imagines porrò Christi, Deiparae Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis praesertim, habendas & retinendas, eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam. Non quòd credatur inesse aliqua iis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda (veluti olim fiebat à gentibus, quae in Idolis spem suam collocabant) Sed quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur.

Obseruandum 2. maximum esse discrimen inter idolum & imaginem. Idolum enim est simulachrum, rem falsam repraesentans: Imago autem est alicuius rei verae vera similitudo, Itaq; Scriptura nunquam nomē idoli veris imaginibus tribuit. Nam 3. Reg. 7. dicitur Salomon fecisse imagines Cherubin, quae nusquam idola vocantur. Et Christus ad Coloss. 1. & ad Heb. 1. vocatur Imago Patris; nusquam autem vocatur idolum. Vnde & idolum in veteri Testamento passim appellatur nominibus vanitatem, falsitatem, mendacium significantibus. Et Paulus 1. Cor. 8. 4. dicit: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo.*

Obseruandum est 3. Imagines Dei, si cum hac intentione fiant, quasi Deus illis in se similis sit, esse illicitas. Eo verò fine depingere imagines Dei, vt attributa illius aliqua adumbrentur, vel in tali specie repraesentetur Deus, in quali nonnūquam apparere dignatus est; licitum est. Si enim historiae causâ verbis exprimere licet, qualiter apparuerit Deus; & si ipsa Scriptura passim Deo membra tribuit; cur non liceat ea, quae verbis exprimuntur, & auribus hauriuntur, etiam oculis per picturam subiicere? Modò ea opinio tollatur, quam idololatrae de diuinitate habent. Contra quos loquitur Paulus Act. 17. 29.

17. 29: *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile.*

CONCLVSIO I. Christi & Sanctorum Reliquias venerationis causâ habere, & publicè proponere licet. Probatur I. ex Scripturis: Quia Aduersarij dicunt, ossa Sanctorum non esse transferenda, sed in sepulchris relinquenda: Atqui Moyses Exod. 13. Sancti Iosephi ossa ex Ægypto transtulit: Ergo fecit, quod Aduersarij in nobis superstitionis arguunt. Item Iosias 4. Reg. 23. cùm delubra idolorum euertens, aliorum mortuorum ossa in cineres redigeret, ossa Prophetæ reperta intacta relinqui præcepit. Præterea ossium Elisei Prophetæ tactu, 4. Reg. 13. mortuus ad vitam reuocatus est. Sed Aduersarij ossa Sanctorum nihil plus vtilitatis afferre dicunt, quàm ossa furum è patibulo pendulorum. Audiant ergo hac de re S. Hieron. in Epist. ad Ripar. *Si non sunt honorandæ reliquiæ Martyrum; quomodo legimus: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius? Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Eliseus mortuum suscitauit, & dedit vitam corpori, quod, iuxta Vigilantium, iacebat immundum?* Adhæc Deus ipse Deut. vlt. corpus Moysis honorauit, per se illud sepeliendo. Quo argumento S. Hieron. loc. cit. cont. Vigilant. vtitur, dicens: *Honoramus autem reliquias Martyrum, vt eum, cuius sunt Martyres, adoremus: honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Ergo Petri & Pauli immundæ sunt reliquiæ? Ergo Moysi corpusculum immundum erit, quod iuxta hebraicam veritatem ab ipso sepultum est Domino? Et quotiescunque Apostolorum, & Prophetarum, & omnium Martyrũ Basilicas ingredimur, toties Idolorum templa veneramur? Accensiq; ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt?*

II. Probatur ex nouo Testamento: Mulier Hæmorrhoïssa fimbriam vestimenti Christi venerabunda attigit, & hoc facto statim sanitati restituta fuit, Matth. 9. Mar. 5. Luc. 8. Item Matth. 14. 36. *Rogabant Christum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quicunque tetigerunt salui facti sunt.* Non credo au-

do autem Confessionistas hos superstitionis accusaturos esse cum Caluino, qui de illis ita loquitur: *Credibile, superstitione aliqua fuisse implicitos, cùm ad tactum vestis restringerent Christi gratiam. Saltem illum fraudabant honoris sui parte, cùm nihil virtutis sperabant ex simplici eius verbo.* Nam non restringebant virtutem Christi ad tactum fimbriæ, quasi verbo sanare non posset; sed adeò non putabant opus esse verbo Christi, vt vel solo tactu suo sanari se posse crederent. In græco est, ἵνα κἂν μόνον, vt vel solùm fimbriam tangerent. Ergo alio quidem modo sanari se posse credebant; sed tanquam alijs indigni petebant, quod infimum videbatur. Et quanta impietas est, superstitionis arguere eos, quorum factum Christus miraculis comprobauit? Iam verò si Christi in terra versanti fimbriam cum reuerentia tangere licuit; quid ni liceat gloriosi in cœlis Reliquias venerari. Dum enim hoc facimus, non in Reliquiis venerationem nostram terminamus; sed eã in Christum referimus, & ab ipso auxilium expectamus.

Simili modo Paulus ad instantiam ægrorum sudaria & semicinctia sua mittens sanitati eos miraculosè restituit. Et ad vmbram Petri certatim homines accurrisse, vt eam tangerent, & ita sanatos esse legimus. Et jam non poterunt, cum Christo regnantes, per corpora sua, quæ templum Spiritus sancti fuerunt, & aliquando ad æternam gloriam suscitabuntur, similia operari?

III. Ex continua Ecclesiæ Catholicæ traditione habemus, Reliquias Sanctorum esse venerandas. Plurima de hac re Conciliorum decreta, plurima SS. Patrum testimonia extant. Neque vllus Orthodoxus nominari potest, qui id hac de re docuerit, quod Confessionistæ docent. Sed contra in antiqua Ecclesia tanquam hæreticum semper illud habitum fuit, teste S. August. Lib. de Eccl. dogmat. c. 73. *Sanctorum*, inquit, *corpora, & præcipuè Beatorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra, sincerissimè honoranda, & Basilicas, eorum nominibus appellatas, velut loca sancta, diuino cultui mancipata, affectu piissimo, & deuotione fidelissimâ adeundas credimus. Si quis contra hanc sen-*

tentiam

tentiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.

Præterea S. Gregorius Lib. 3. Epist. 30. narrat, eo tempore, quo Petrus & Paulus passi sunt, venisse fideles ab Oriente Reliquias ipsorum petituros: Sed illas vltra secundum ab vrbe lapidem deferri non potuisse.

Eusebius quoque Lib. 4. c. 14. vt ipsi Centuriatores citant, narrat, Christianis Reliquias S. Polycarpi petentibus, & Iudæis resistentibus, Iudicis Ethnici imperio corpus in cineres redactum fuisse, & Christianos ossa ex cineribus collegisse, *ac si essent potiora Lapillis pretiosis, auroq; puriora, atq; eo loco reposuisse, qui illis erat decorus, consentaneusq;.*

Hieronymus cont. Vigilant. factum Constantini, qui circa An. Dom. 300. imperauit, recitat: *Dolet*, inquit, *Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine; & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium. Ergo sacrilegus fuit Constantinus Imp. qui Sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt?*

Item de suo tempore ibidem addit: *Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa Beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi, non solùm sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in vase aureo portauerunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquijs, & tantâ lætitiâ, quasi præsentem, viuentemq; Prophetam cernerent, susceperunt?* Et non multis interiectis: *Malè facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria?*

Denique Deus multis miraculis venerationem Reliquiarum confirmauit. Qualia passim apud antiquos Patres leguntur: vt apud Basil. orat. in Mamantem, Gregor. Naz. orat. in Cyprianum, S. August. tum alibi, tum Lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8. vbi quamplurima miracula, ad Reliquias S. Stephani facta recenset. Quia verò Aduersarij cum Keslero, pag. 611. adeò ex

eò ex miraculis colligere nolunt, licitam esse venerationem Sanctorum, Reliquiarum, & Imaginum, quia illam Deus per miracula confirmat; vt contra sic argumententur. *Hoc vel illud miraculum factum est in confirmationem venerationis Sanctorum, Imaginum, vel Reliquiarum: Ergo non fuit verum miraculum, sed illusio diabolica.* Audiant ex S. Hieron. loc. cit. quos habeant hoc in errore Magistros: *Sentio, sentio,* inquit, *infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas: Spiritus iste immundus, qui hac te cogit scribere, sapè hoc vilissimo tortus est puluere* (hodieque torquetur) *Nisi fortè in morem gentilium impiorumq́, Porphyrij, & Eunomij has præstigias dæmonum esse confingas, & non verè clamare dæmones; sed sua simulare tormenta.*

Vnicum restat initio propositum, ad quod respondendum est, videlicet: Non rarò fit, vt Reliquiæ proponantur, quæ verè tales non sunt; sed fortè furum, aut latronum, aut brutorum animalium ossa. Ad hoc autem dico: Summâ diligentiâ cauendum, ne supposititiæ Reliquiæ pro veris proponantur. Ad quod in Ecclesia, maximè post Concilium Lateranense, magna semper sollicitudine advigilatum est. Neque verum est, quod Aduersarij obijciunt: Si inuentarium Reliquiarum, quæ in Europa ostenduntur fieret, quod per Reges & Principes facilè posset, ingentem fore catalogum earum rerum, quæ diuersis locis tanquam eædem sæpiùs ostenduntur. Nam semper eædem Reliquiæ non sunt, quæ eadem appellatione vocantur: vt enim S. Basilius oratione in 40. Martyres dicit, horum Martyrum corpora in pluribus vrbibus esse dicebantur: cùm tantùm particulæ quædam in illis essent. Et S. Chrysostomus in Lib. quòd Christus sit Deus, Apostolũ Petrum & Romæ, & Constantinopoli esse dicit; cùm exiguum tantùm quid de eius corpore Constantinopoli esset. Et ipse vidi Reliquias Sanctorum Geruasij & Prothasij, quæ Mediolano Brisacum olim translatæ sunt: & quamuis multæ sint; tamen haud dubito quin etiam aliis locis particulæ de iisdem Martyribus reperiri possint. Non enim videntur tot, vt sint duorum integrorum corporum ossa. Et in hac ipsa ciuitate dicitur

tur esse caput S. Lamberti, quondam per Episcopum Leodiensem, Ducis Zeringiæ Fratrem huc delatum. Et tamen Leodienses totum se huius Sancti corpus habere dicunt. Vtrumque autem verum esse potest: Nam hîc tantùm pars cranij est; Leodij reliquum corpus. Item multi Sancti ijsdem nominibus appellantur; & proinde non semper eiusdem Reliquiæ sunt, quæcumque v. g. vel S. Petri, vel S. Felicis esse dicuntur.

Dico tamen insuper I. vt nemini falsas vel omnino incertas Reliquias, tanquam veras fidelibus proponere licet; ita nullum esse incommodum, si ex igorantia reliquiæ suppositiæ pro veris honorentur. Non enim honor, quem Reliquijs exhibemus, in ipsis terminatur; sed ad Christum & Sanctos per Reliquias dirigitur. Itaque qui veras Reliquias esse putat, quæ tales non sunt, & tamen vt veras honorat; ipsos Sanctos, quorum putat esse Reliquias, honorat. Vt enim in imaginibus non materia attenditur, sed Sanctorum repræsentatio; ita per falsas reliquias, quæ ignorantur esse tales, repræsentantur hominibus Christus & Sancti, & honorantur.

DICO II. Non facilè Reliquias à priuatis acceptas tanquam omninò veras publicè proponendas: quia sæpè fraudes hac in re contingere solent. Vt de suo tempore testatur S. August. Lib. de opere Monach. c. 28. vbi dicit, Monachos quosdam membra Martyrum circumferre solitos, & addit, *si tamen Martyrum.*

CONCLVSIO II. Christi & Sanctorum Imagines ita venerari licet, vt in ipsum Christum & Sanctos, quorum sunt similitudines, veneratio referatur. Quia cùm imagines repræsentent eas personas, quarum sunt imagines; si ipsæ personæ honore afficiendæ sunt, etiam in imaginibus honore affici possunt. Ideò enim Christus ait, se honorari in honore Discipulorum suorum, & sibi fieri, quod pauperibus eius fit: quia se per illos repræsentare voluit. Sed non est dubium, quin Christus honorandus sit; & Sanctos quoque venerandos ex dictis colllgitur: Ergo etiam in suis imaginibus honorari possunt: Vt v. g. Reges honorantur in Legatis, qui personam suorum principalium repræsentant.

Et

Et vt de imaginibus Cherubin, quæ in antiquo Testamento super arcam erant, & de æneo serpente, quem Moyses erexit, & qui imago Christi crucifixi fuit, Ioan. 3. nihil dicam; in Ecclesia Christi semper imagines propter sua prototypa honore affectæ sunt; vt vel hoc exemplo probari potest, quod Eusebius Lib. 7. c. 14. Sozomenus Lib. 5. c. 20. Socrates Lib. 6. c. 41. referũt; videlicet mulierẽ, à fluxu sanguinis liberatã, statuã in honorem Christi erexisse. Verba Eusebij sunt ista: *Morant, pro foribus domus illius aneam mulieris effigiem, genibus flexis, & manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem, collocatam. Huic è regione viri erectam imaginem, ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem. Ad cuius pedes in ipsa basi peregrinam quandam & inusitatam herbæ speciem enasci: quæ quidem vbi ad ænei vestitus fimbriam excreuerit, morbi cuiusque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc statuam effigiem Iesu exprimere dicunt: quam ad nostram vsq; ætatem manentem ipsi ad eam ciuitatem profecti oculis cernebamus.* Hanc autem statuam honoris causà à muliere erectam ibidem dicit: vt & Christianos suo tempore Petri & Pauli statuas in similem finem erigere consueuisse.

Quamuis autem non omnia veneranda sint, per quæ fiunt à Sanctis miracula (nam Eliseus per aquas Iordanis mundauit Naaman à lepra; nec tamen ideò aquæ illæ venerandæ erant) Tamen quæ ad rem adorabilem singularem ordinem dicunt, propter principale obiectum suum adorari possunt. Hinc Psal. 95. dicitur: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Et Matth. 5. dicit Christus: *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Iam verò imagines magis repræsentant Christum & Sanctos, quàm cœlum aut terra Deum: Ergo si cœlum & terra in ordine ad Deum reuerentiã afficienda sunt; cur non & imagines in ordine ad Christum & Sanctos? Rectè S. Ambros. Serm. 10. in Psal. 118. ait: *Qui imaginem coronat Imperatoris, vtique illum coronat, cuius imaginem coronat: & qui statuam con-*

 tempserit

tempserit Imperatorū, Imperatori vtique fecisse videtur iniuriam. Quia videlicet imaginis honor & contumelia in eum redundat, cuius imago est.

Videmus Aduersarios, & maximè Prædicantes, qui Christi & Sanctorum imagines contemnunt, suas ipsorum, vt & vxorum, & liberorum suorum imagines, honoris & memoriæ ergò, sculpendas, & pingendas curare. Vt ergo ipsi honorem imaginibus istis delatum, quòd v. g. diligenter asseruentur, & affigantur, & dicatur, *Hic vir, hic ille est*, in se redundare existimant: vt &, si quis eas in sterquilinum per contemptū abiiceret, vel patibulo affigeret, contumeliam sibi fieri arbitrarentur. Cur non & Christo, & Sanctis eius omnis honor & contumelia exhiberi censeatur, quæ imaginibus ipsorum exhibetur? Non enim in ipsis imaginibus, quod sæpè inculcandum est, honorem hunc terminamus, quasi imagines propter se honorabiles sint; Sed Christum & Sanctos per illas honorare intendimus. Exemplo Helenæ, de qua S. Ambros. orat. de obit. Theodos. ait: *Helena crucem inuenit, Regem adorauit, non lignum vtiq; qui est error gentilium.* Et Paulæ, de qua S. Hieron. in eius Epitaphio dicit: *Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.*

Quamquam ipsæ quoque imagines in se spectatæ, quia Christi & Sanctorū imagines sunt, reuerenter tractandæ sunt. Non eo tamen cultu afficiendæ, quo in imaginibus ipsa prototypa afficiuntur. Nam per imaginem Crucifixi cultu latriæ adorandus est Christus. Sed VII. Synodus definit, imagines Christi esse venerandas, & non latriâ. Item, venerandas ait, vt Euangelia, & vasa sacra veneramur. Ergo illa veneratio imaginibus propria longè inferior est, quàm quâ prototypa in imaginibus veneramur.

Superest vnus Articulus, specialiter non propositus, videlicet *de Aduentu Christi ad iudicium*: qui in Confessione ordine XVII. est, & ita sonat: *Item docent, quòd Christus apparebit in consummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, pijs & electis dabit vitam æternam, & perpetua gaudia; impios*

pios autem homines, ac diabolos condemnabit, vt sine fine crucientur. Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis, ac diabolis finem pœnarum futurum esse. Damnant & alios, qui nunc spargunt Iudaicas opiniones, quòd ante resurrectionem mortuorum pij regnum mundi occupaturi sint, vbiq; oppressis impijs.

Sed quia Articulus iste nihil nobis controuersiæ mouet, non est opus de illo plura dicere. Nam quòd sententia Confessionistarum de Vbiquitate humanitatis Christi cum huius Articuli doctrina non consentiat, Art. III. ostensum est.

EPILOGVS.

EX hactenus dictis facilè quilibet cordatus intelliget, quàm vana sit eorum Confessionistarum fiducia, qui Aug. Confessionem tanti faciunt, vt cum eius Apologia, quam instar symboli fidei non minùs quàm Confessionem Originalem agnoscunt, Art. XIV. & XX. dicant: *Cùm sciamus, Confessionem nostram veram, piam, & Catholicam esse, quis non gaudeat mori in Confessione horum Articulorum?* Quis enim adeò salutis suæ prodigus sit, vt in ea Confessione mori velit, quæ non ita pridem excogitata, & vniuersæ Ecclesiæ, per continuam seriem ab Apostolorum temporibus ad nos vsque deriuatæ, Verbi Dei prætextu opposita fuit; cùm ne vnus quidem Art. controuersus ex Scriptura manifestè in ea probetur. Testabuntur id luculenter ea, vt alia omittam, quæ de Iustificatione, & Bonis operibus Art. VI. & VII. dicta sunt. Et tamen hæc sunt præcipua, propter quæ Confessionistæ ab Ecclesia Romana recessisse se asserunt. In hac ipsa autem tam graui materia, quàm multa nobis falsò imponuntur, quæ Ecclesia nostra nunquam docuit; sed quorum contraria ex publicis eius definitionibus profitemur?

Confessionem suam Philippus diuisit in duas partes: ita vt in priore de Articulis Fidei, in posteriore de Abusibus ageret. Quam diuisionem non reprehendimus: quia magnam inter Fidei Articulos & morum abusus differentiam esse nouimus. Cur tamen mixtim de istis egerimus, rationem initio dedimus. Iam verò ad Articulos fidei quod attinet, in fine Art. XXI. & initio de abusibus protestatur, *Confessionem istam*

 in nullo

in nullo fidei articulo ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana quatenus ex Scriptoribus nota est, dissentire. Et totam dissensionem tantùm esse de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in Ecclesias irrepserunt. Quod si verum est, cur ab Ecclesia nostra recesserunt; quandoquidem Art. VII. fatetur Confessio, ad vnitatem Ecclesiæ non esse opus, vt similes ritus, & ceremoniæ vbique in ea vsurpentur? Abstinendum erat ab abusibus, si qui erant; non tam fœdum schisma in Ecclesia faciendum. Sed quàm verum illud sit, quod Confessio Aug. in nullo fidei articulo à Romana Ecclesia, quatenus ex Scriptoribus nota est, dissentiat, passim in hoc Scripto videre licebit.

Deinde Confessione, vt sibi propriâ, gloriari non possunt Lutherani: tum quia vix vllos fidei Articulos, quibus ab ipsis distinguimur, continet; sed plerosque proponit, in quibus nulla vnquam inter nos fuit controuersia: tum quia ipsos controuersos tali verborum ambiguitate, & obscuritate multis locis palliat, quasi nihil quidquam in illis contra Romanam Ecclesiam sentiret. Vt videre est in Art. de Ecclesia, de Baptismo, de Cœna Domini, de Missa, de Ordine Ecclesiastico &c.

Item non tantùm Articulos controuersos, vt eos Confessionistæ contra nos docent, non continet Confessio Originalis, & eius Apologia; sed etiam multa docet, quibus jam Confessionistæ contraria defendunt. Vt per specialem Indicem mox ostendemus: Adeò vt Caluinistæ, quorum non pauci de Confessione Aug. tanquam sua gloriantur, æquali vel meliore jure sub Confessionis huius titulo latere possint, quàm moderni Lutherani. Non enim tam multa sunt, in quibus plerique moderni Caluinistæ Confessioni Originali aduersentur, quàm in quibus Lutherani.

Ad abusus quod attinet, fatemur *in Vnius Speciei sumptione*, qualem V.g. Manichæi vsurparunt, *in cœlibatu Clericorum, in Missarum celebratione, in Confessione priuata, in discrimine ciborum, in votis monasticis, & potestate Ecclesiastica* (quæ septem Confessio Augustana tanquam Romanæ Ecclesiæ abusus enumerat) non raros abusus demonstrari posse. Sed omnes illi per-

sonales

ſonales ſunt, per Eccleſiæ Romanæ ſententiam nunquam approbati. Iam verò Confeſſio Aug. abuſuum prætextu, res iſtas vniuerſas abolere conatur. Et vt hoc ſpecioſiùs faciat, plurimis calumnijs laudabiles iſtas Eccleſiæ obſeruationes onerat. Vt ſimiliter ex Indice paulò pòſt adijciendo patebit.

Quis ergo mori paratus ſit in ea Confeſſione, quæ nouiter in orbem tanquam Verbo Dei conſentanea inuecta eſt, cùm ne vnum quidem Articulum controuerſum claris Verbi Dei teſtimonijs confirmet; neque Articulos quos Confeſſioniſtæ, quà tales, profitentur contineat; ſed fraudulenter (de Luthero & Philippo Confeſſionis Architectis loquor) pleroſq; omittat; & eos ipſos qui cõtrouerſi ſunt ita æquiuocè proponat, vt neq; in illis magna controuerſia eſſe videatur: & deniq; pleraque contra nos fundamenta ſua in mendacijs conſtituat.

Meritò Confeſſioniſtis, qui non obfirmatâ animi pertinaciâ Confeſſioni huic, vel non ſatis cognitæ, vel, quod longè deterius eſt, probè perſpectæ inhærent, ſed quodam errore eò delapſi ſunt, vt illam tanquam Verbo Dei vbique conformem venerentur, ſuademus, vt ipſi ea, quæ in Confeſſione & Apologia falſa notauimus, diligenter & accuratè legant, cum veritate & publica Eccleſiæ noſtræ doctrina conferant, ac deinde ſecum ipſi perpendant, vtrùm Confeſſio talis, qualem hactenus deſcripſimus, tanquam veritatis diuinæ, quæ nullam falſitatem admittit, ſymbolum judicari poſſit.

Sed vt concludam, hos Confeſſionis Auguſt. Aſſeclas S. Auguſtini verbis, quibus ille olim Donatiſtas, cum Confeſſioniſtis non pauca communia habentes allocutus eſt, optimo animi affectu (Deus ſcit) hunc in modum moneo & hortor: *Quid adhuc Donatiſtæ* (Confeſſioniſtæ) *ſeducimini ab Epiſcopis* (Prædicantibus) *veſtris, quorum fallaces tenebræ clarâ luce diſcuſſæ ſunt? Quid & adhuc vobis iactant vana mendacia* (ea ipſa, quæ pòſt notabimus, & ijs longè plura?) *Vobis Catholica Eccleſia dicit: Filij hominum vſquequò graues corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vt quid vos à totius orbis vnitate nefario ſchiſmatis ſacrilegio diuiſiſtis? Attenditis falſa, quæ vobis dicun-* Lib. cont. Donatiſt. poſt collat. c. 1. Epiſt. 171.

tur

tur ab hominibus, aut mentientibus (vt à Luthero, Philippo, &c.)
Epist. 166. *aut errantibus.* Vnde non est mirum, *vos omni vento iactari, & circumferri, sicut scriptum est: Qui fidit in falsis, hic pascit ventos.*
Epist. 171. *Quare aperitis aures ad sermonem hominum dicentium, quod nunquam probare potuerunt; & surdi estis aduersus sermonem Dei? Quare diuisores vestimentorum Domini esse vultis, & tunicam illam charitatis desuper textam, quam nec persecutores eius*
Epist. 152. *diuiserunt, tenere cum toto orbe non vultis? Ecce quibus creditis, qui* Confessionem suam, *vbi nobis* varias Verbi Dei deprauationes *obiecerunt, non potuerunt conscribere sine crimine falsitatis. Ecclesia Catholica toto terrarum orbe semper manifestè diffunditur. Cui nos communicare, vos autem non communicare manifestum est. Quisquis autem ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia benè vixerit, nihil ei praiudicant aliena peccata* (alieni abusus)

Epist. 171. *Quare creditis, creuisse Zizania* abusuum, *& mundum repleuisse; triticum autem* puræ prædicationis Euangelicæ *decreuisse, & in sola Africa* (Germania) *manere? Christianos vos dicitis, & Christo contradicitis. Ipse dixit: Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem. Non dixit: Crescant Zizania, decrescant frumenta* (vt vos dicitis, à temporibus Apostolorum vsque ad nos creuisse superstitionum Zizania, decreuisse Euangelij frumenta) *Sed quia pro zizanijs triticum accusastis* (Ecclesiæ doctrinam, & obseruationes multis calumnijs onerastis) *vos esse zizania demonstrastis: &, quod est grauius, ante tempus à tritico separastis. Si malos odistis, vos ipsi mutamini ab scelere schismatis.*

Epist. 166. *Si autem ideò vobis displicemus, quia* quidam vestrûm *per Imperatoris iussionem ad vnitatem* fidei, aut soli mutationem *coguntur; hoc vos fecistis: qui vbicumq; vellemus prædicare veritatem, vt eam quisq; securus audiret, & volens eligeret, non permisistis. Si autem vos priuatâ vestrâ* auctoritate in multis vrbibus *tam violenter cogitis homines aut ire in errorem, aut* abire; *quanto magis nos debemus per ordinatissimam Potestatem, quam Deus secundùm suam pro-*

prophetiam subdidit Christo, resistere conatibus *vestris? Sed quia nihil apud Imperatorem potestis; nobis inde vultis facere inuidiam. Si autem aliquid possetis, quanta faceretis; quando nihil potestis, & non cessatis?*

Mea primitùs sententia erat, neminem ad vnitatem Christi, & Ecclesiæ *cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum: ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò opponebatur mihi ciuitas mea* (aliquot ciuitates Germaniæ) *quæ cùm tota esset in parte Donati* (Lutheri) *ad vnitatem Catholicam timore Legum Imperialium conuersa est. Quam nunc videmus ita huius vestræ animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur.* Epist. 48.

Quàm multi enim, quod certò scimus (quales hodieq; in Lutheranis Ciuitatibus non paucos scimus) *jam volebant esse Catholici, manifestissimâ veritate commoti; & offensionem suorum reuerendo quotidie differebant? Quàm multos non veritas, sed obduratæ consuetudinis graue vinculum colligabat? Vt in eis compleretur diuina illa sententia: Verbis non emendabitur seruus durus. Si enim & intellexerit, non obediet.* Prover. 29. *Quàm multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati* (Lutheri) *quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem* (multis calumnijs à suis denigratam) *securitas torpidos, fastidiosos, pigrosq; faciebat? Quàm multis aditus intrandi obserabant rumores maledicorum, qui nescio quid aliud* (maximam abominationem) *nos in altare Dei ponere jactitabant? Quàm multi nihil interesse credentes in qua quisq; parte Christianus sit* (siue Lutheranus, siue Caluinista, siue Zvvinglianus; modò fidẽ specialem, quæ omnibus his communis est, habeat) *ideò permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atq; ad Catholicam transire nemo cogebat?*

Scitote, quòd primi Maiores vestri causam Cæciliani (Lutheri) *ad Imperatorem Constantinum* (Carolum V.) *detulerunt; Sed quia Constantinus* (Carolus) *non est ausus de causa Episcopi* (Ecclesiæ) *judicare; eam discutiendam, atq; finiendam Episcopis delegauit. Quod & factum in vrbe Roma* (Tridento) *præsidente Melchiade Episcopo* Epist. 166.

piſcopo illius Eccleſiæ(tribus Romanæ Eccleſiæ Pontificibus) *cum multis Collegis ſuis. Qui cùm Cæcilianum innocentem pronuntiaſſent, & Donatum* (Lutherus) *qui ſchiſma Carthagine* (in Germania) *fecerat ſententiâ percuſſiſſent; iterum veſtri ad Imperatorem venerunt, & de judicio Epiſcoporum, in quo victi fuerant murmurarunt. Quomodo enim poteſt malus litigator laudare Iudices, quibus judicantibus victus eſt?*

Poſteà *clementiſſimus Imperator*, non ſponte ſua; ſed nutantis Imperij, & jam ruinam minantis periculo compulſus, *libertatem perditioni partis Donati*(Confeſſionis Auguſtanæ) *conceſſit.* Quam conceſſionem vt Inuictiſſimus Imperator Ferdinandus II. propter Prædeceſſorum ſuorum pactum non reuocat; ita pactum iſtud, armatis Maiorum veſtrorum precibus extortum magis, quàm impetratum, neminem veſtrûm in conſcientia tutum facit. *Quæ eſt enim peior mors animæ, quàm libertas erroris?*

Ibid. *Tollamus ergo iſta omnia dè medio* (quæ merè politica ſunt) *Amemus pacē, quam omnis doctus & indoctus intelligit præponendam eſſe diſcordiæ: Diligamus, & teneamus vnitatem. Ecce Scriptura communes: ecce vbi nouimus Chriſtum, ecce vbi nouimus Eccleſiā. Si Chriſtum ipſum tenetis; ipſam Eccleſiam quare non tenetis? Si in Chriſtum, quem legitis & non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis; quare Eccleſiam negatis, quam & legitis, & videtis* (quam ne viſam audiatis, voſtri videri non poſſe contendunt).

Ibid. *Hæc vobis dicendo, & ad hoc bonum pacis, & vnitatis, & charitatis vos compellendo, ſi inimici vobis facti ſumus,* & quidam ex veſtris minantur, *quia occident nos, qui veritatem vobis dicimus, & in errore perire quantum poſſumus non permittimus; Vindicet nos Deus de vobis, vt ipſum errorem veſtrum in vobis occidat, & nobiſcum de veritate gaudeatis. Amen.*

ET RESPONDEBO EXPROBRANTIBVS MIHI VERBVM: QVIA SPERAVI IN SERMONIBVS TVIS PSAL. CXVIII.

INDEX

INDEX QVARVNDAM CALVMNIARVM, ET PROPOSITIONVM MANIFESTE falsarum, quæ in Confessione August. & eius Apologia leguntur.

I. Scholastici tribuunt naturæ humanæ integras vires ad diligendum Deum super omnia, & facienda præcepta, ita vt non sit opus gratiâ Dei. pag. 54. & 188.

II. Aduersarij docent, hominem mereri gratiam & iustificationem operibus, quæ ratio per se efficit sine Spiritu sancto. 93.

III. De doctrina fidei altum silentium apud Aduersarios fuit in Ecclesia; tantùm doctrina operum inculcata. 96.

IV. Scholastici, secuti Philosophos, tantùm docent iustitiam rationis, & dicunt homines mereri remissionem peccatorum faciendo quod in se est, sine gratia Christi. ibid.

V. Ne Christum omnino prætereant, docent, quòd nobis meruerit primam gratiam. ibid.

VI. Prorsus sepulto Christo fingunt hominem habere accessum ad Deum per propria opera. 97.

VII. Dicunt se proprijs viribus mereri de condigno gratiã. ibid.

VIII. Aduersarij intuentur secundam tabualm Decalogi, & politica opera; primam nihil curant. ibid.

IX. Iubent quærere remissionem peccatorum per propria opera, & honorem Christo debitum transferunt ad sua opera. 166.

X. Longè præferunt humanas traditiones mandatis Dei. ibid.

XI. Imitantur exempla Sanctorum, sicut gentes sacrificia Iudæorum immolando ea Idolis. 167.

XII. Antonius, Franciscus, Dominicus certum vitæ genus tantùm elegerunt propter studium, vel alia exercitia. Interim sentiebant, se fide, more Lutherano, iustos reputari. ibid.

XIII. *Docent, opera ita satisfacere legi, vt non habeant opus misericordiâ.* 188.

XIV. *Ita argumentantur: Audimus vocabulum mercedis: Ergo sumus accepti Deo propter nostra opera, nec indigemus misericordiâ, aut propitiatore Christo.* 197.

XV. *Fingunt, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato sine fide, & bono motu accipientis.* 360. & 507.

XVI. *Admittunt, quòd cum pane & vino exhibeatur in Cœna Corpus & Sanguis Christi.* 381.

XVII. *Falsò accusant Ecclesias nostras, quòd Missam aboleant.* 422. & 25.

XVIII. *Docent, quòd missa sit opus delens peccata viuorum & mortuorum ex opere operato.* 424. 428. & 436.

XIX. *Quòd Christus suâ satisfactione tantùm satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam pro quotidianis peccatis.* 424. & 456.

XX. *Ante tempora Gregorij priuatæ missæ omnino incognitæ fuerunt.* 459.

XX. *Docent, remißionem peccatorum non per fidem contingere; sed iubent mereri gratiam, primam videlicet, per satisfactionês.* 474. & 504.

XXII. *De fide & remißione gratuita nihil ante docebant Sophistæ, & Monachi.* 505.

XXIII. *Docent, quòd per bona opera extra gratiam facta mereamur ex pacto diuino gratiam.* 506.

XXIV. *Quòd per attritionem mereamur gratiam.* ibid.

XXV. *Quòd ad deletionem peccati sola detestatio criminis sufficiat.* 507.

XXVI. *Quòd per contritionem, non fide in Christum, mereamur gratiam.* ibid.

XXVII. *Quòd potestas clauium valeat ad remißionem peccatorum, non coram Deo, sed coram Ecclesia.* ibid.

XXVIII. *Quòd satisfactiones tanquam compensatio prosint ad tollendam culpam.* ibid.

XXIX. *Ita argumentantur: Christus dixit: Agite pœnitentiam:*

tiam: Ergo pœna æterna compensantur satisfactionibus nostris. 508.

XXX. *Paulus ait, Episcopum eligendum, qui sit maritus.* 522. & 527.

XXXI. *In Germania ante 400. annos primùm coacti sunt Sacerdotes ad cœlibatum.* 522. & 537.

XXXII. *Suspensio ab officio sacerdotali olim beneficij loco erat.* 535.

XXXIII. *Iouiniani tempore nondum nôrat mundus legem de perpetuo cœlibatu.* 538.

XXXIV. *Monasteria tempore Augustini fuerunt libera Collegia sine votis.* 549.

XXXV. *Docuerunt vota non tantùm paria, sed etiam potiora esse Baptismo.* 552.

XXXVI. *Et mereri remissionem peccatorum, ac iustificationem coram Deo.* 546. & 560.

XXXVII. *Dicunt, solos mendicos esse perfectos.* 565.

XXXVIII. *Et consilium Euangelicum esse de non vindicando.* ibid.

XXXIX. *Pro Christo colunt suos cucullos, suas sordes:* 566.

XL. *Docent, quòd certi cibi polluant conscientiam.* 585.

XLI. *Christianismus totus putabatur esse obseruatio certarum feriarum, rituum, jeiuniorum, vestitus.* 586.

XLII. *Tribuunt diuinitatem Sanctis.* 603. & 606.

XLIII. *Res ipsa loquitur, quòd publicâ persuasione B. Virgo successerit in locum Christi.* 603.

XLIV. *In Libro Hieronymi cont. Vigilant. nulla syllaba extat de inuocatione Sanctorum.* 606.

XLV. *Neq; reliqui Scriptores ante Gregorium fecerunt mentionem inuocationis.* 607.

XLVI. *Imaginibus putabatur inesse quædam vis, sicut Magi vim inesse fingunt imaginibus signorum cœlestium, certo tempore sculptis.* 612.

Qui plura desiderat, ipsam Confessionem, & Apologiam perlegat: & in hoc ipso Opere plura occurrent.

INDEX.

NOTATIO QVORVNDAM DOGMATVM, in quibus Confessioni Augustanæ Confessionistæ repugnant.

I. Vbiquitatem humanitatis Christi defendunt, quæ Art. III. *de Incarnatione Verbi* contraria est. pag. 58. Et Art. XVII. *de Aduentu Christi ad judicium*. 61. Item veritati humanitatis & diuinitatis Christi. 62.

II. Liberum arbitrium in prima hominis conuersione nihil agere, sed tantùm pati docent. 104. Et Confessio Art. XVIII. dicit, quòd liberum arbitrium non habeat virtutem efficiendæ justitiæ Dei sine Spiritu sancto: ac consequenter satis indicat, per gratiam Spiritus sancti hanc vim habere.

III. Confessio in præfatione ad Concilium à Pontifice congregandum appellat. 33. Confessionistæ Pontificem Antichristum esse contendunt.

IV. Confessio Ecclesiam, semper mansuram, siue Catholicam, docet esse visibilem. 222. Confessionistæ inuisibilem.

V. Ecclesiam Romanam vocat Catholicam. 327. Confessionistæ Antichristianam.

VI. Sacramenta propriè dicta tria agnoscit Confessio; Confessionistæ tertium explodunt. 370.

VII. Confessio Baptismum paruulorum ad salutem necessarium esse docet, & contra sentientes damnat: Confessionistæ contra sentiunt. 374.

VIII. Confessio falsò suos accusari dicit, quòd Missam aboleant. 471. Confessionistis Missa adeò abominanda videtur, vt ne nomen quidem eius ferre possint.

IX. Confessio plerasque missæ ceremonias à suis seruari asserit, excepto quòd latinis cantionibus admisceantur alicubi germanicæ. Confessionistæ & latinæ linguæ vsum, & omnes fere Missæ ceremonias tanquam superstitiosas, & mimicas exsibilant. ibid.

X. Confessio orationes pro defunctis admittit. Confessionistæ damnant. 472. &c.

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

Absolutio.

Absolutio non est pars pœnitentiæ, vt est virtus in peccatore requisita. pag. 432. Respectu absolutionis se habet pœnitens merè passiuè. ibid. Sacerdotes absoluentes non tantùm declarant remitti peccata, sed verè remittunt. 491.

Abstinentia à cibis.

Cibi non inquinant, sed intemperantia, inobedientia, scandalum. 587. Cibi non prohibentur in Ecclesia vt immundi, aut mali. 588. Etiam olim abstinebant Christiani à certis cibis. 589. Non defendimus abusus qui in discrimine ciborum committuntur. 590.

Abusus.

Abusus per Ecclesiæ Pastores & Doctores tollendi sine tumultu, & schismate. 516. Abusus etiam sancti Viri reprehenderunt; sed longè alio modo, quàm Confessionistæ. 583.

Apologia Confessionis.

Apologia, quæ Lutheranis vt genuina proponitur, non est talis. In Præfat. Et pag. 381. Apologia sibi contradicit 55. 100. &c. Pelagianismi accusari potest. 102. Patres sibi repugnantes contemnit. 147. Grauissima eius fraus circa Art. de Cœna Domini. 381.

Baptismus.

Baptismus efficax est in paruulo non credente. 370. Anabaptistarum error, de solis adultis baptizandis, ex principijs Lutheranis profluxit. 376. Nullum extat in Scriptura mãdatum de baptizandis paruulis. ibid. Per ritum Baptismi non possunt moueri ad credendum. 378. Ex Scriptura manifestè probari non potest, Baptismum non esse iterandum. ibid. Et ex doctrina Confessionist. contrarium sequitur. 379.

Carolus V.

Confessionem Aug. non approbauit. 2. Per calumniam in Lutherana fide mortuus dicitur. 271.

Christus.

Christo imputata sunt nostra peccata. 113. Quomodo sit iustitia nostra. 112. Respectu iustorum non est otiosus. 161. Quomodo redemerit homines à maledicto legis. 163. Non tantùm docuit quæ Prophetæ scripserunt. 273. Quomodo vnicus Mediator noster. 610.

Communio sub vtraq; specie.

Visitata fuit in antiqua Ecclesia. 391. Tantundem sumitur sub vna, quantum sub vtraque specie. ibid. Nullo Christi mandato astringuntur fideles ad communionem sub vtraque specie. 392. &c. Probabile est, fideles tempore Apostolorũ non semper vtraque specie vsos. 395. Confessio

fideles

fideles excusat, quòd vnam tantùm speciem longo tempore sumpserint: ex quo efficitur, non posse dici, quòd ad vtriusque sumptionem fuerint obligati. 396. Fatetur hoc Lutherus. 397. Eucharistiæ distributio in vltima Cœna præcepta, non vnius vel vtriusque speciei modus. 398. Non est paritas inter partem Baptismi & vnam speciem Eucharistiæ. 399. Non omnibus necessariò dandus calix, pro quibus sanguis Christi fusus est. ibid. Multa Aduersarijs clarè probanda sunt, vt ostendant, communionem sub vtraque specie omnes obligare. 400. Communio laica sub vna specie non repugnat veteri Ecclesiæ, neque Canonibus. 401. &c. Sæpè in antiqua Ecclesia sub vna specie communicarunt fideles. 402. Quomodo intelligendi Patres, quos Aduersarii in contrarium citant. 404. Ecclesia habuit potestatem ex iustis causis communionem sub vna specie Laicis præcipiendi. 405. Rationes quædam præcepti Ecclesiastici. 407. Posset Ecclesia vtriusque speciei sumptionem aliquibus Laicis concedere; sed Confessionistis concedendi rationem non habuit. 408.

Concilium.

An, & quomodo Confessionistæ Concilium petiuerint. 32. Tale Concilium postularunt, in quo ipsi pro libitu quiduis dicere, non autem errores ipsorum damnari possent. 37. &c.

Concilium Tridentinum.

Doctrina eius de iustificatione. 98 104. 108. 111. 120. 130. 137. 155. 176. de bonis operibus. 178. 189. 200. Decretum eius de vulgata Bibliorum editione quomodo intelligendum. 251. Nihil in fide Ecclesiæ, sed in hominum tantùm moribus reformauit. 289.

Concupiscentia.

Eius fomes non est peccatum originale. 42. &c. Inuoluntarij concupiscentiæ motus non sunt peccata actualia. 47. &c. & 165. Concupiscentia vitium est, sed non propriè dictum peccatum. 183.

Confessio Augustana.

Non est infallibilis regula fidei. 1. Eam nunquam approbarunt Catholici. 2. 3. 45. Quinam Articuli Confessionis Aug. à Catholicis concedantur; & an hoc Confessionistis faueat. 5. &c. Si Confessio verum diceret, in nullo fidei art. nobis contraria esset. 10. Non continet, neque explicat præcipuos Art. controuersos. 10. 11. Sæpè variata fuit. 17. 18. Priuatas Scholasticorum opiniones tanquam Ecclesiæ sententias nobis obijcit. 53. &c. Confessio, quam etiam nunc pro inuariata habent, non est talis. 11. 94. 422. 423. &c.

Confessionistæ.

A Confessione sua dissentiunt. Vid. in speciali Indice. Alios Art. Ecclesiæ Romanæ contrarios illis defendere non licet: quàm qui in originali Confessione habentur. 11. &c. Stantibus Confessionistarum principijs generalibus: æquè negari potest mysterium Trinitatis, atque alij Ecclesiæ Catholicæ Articuli. 24. &c. Nullum Fidei suæ Assertorem per mille & quin-

& quingentos annos ostendere possunt. 279. Antiquos Patres nobis consentientes erroris accusant. 286. Vt antiquorum hæreticorum doctrinam, ita & mores referunt. 331 In Confessione sua peregrini esse solent. 341. Iouiniano per omnia consentiunt. 538.

Confeßio peccatorum.

Non est impossibilis, quæ in Ecclesia Romana requiritur. 489. Etiam illa peccata remittuntur, quæ per ignorantiam in confessione omittuntur. ibid. Confessio peccatorum ex iure diuino coram Sacerdotibus facienda est. 490. Idque non pro libitu, sed necessariò. 492. Quod ex doctrina Confessionistarum probatur. 493. Chrysostomus contra confessionem illam nihil docet. 494. Sed alijs antiquioribus Patribus in hac materiã consentit. 495. &c. In Græca Ecclesia non fuit olim abolita confessio priuata. 497. Nihil doctrinæ Catholicæ præiudicat, quòd quidam auctores putârint, Confessionem priuatam non esse juris diuini. 498.

Coniugium Sacerdotum, & Monachorum.

Coniugium non est omnibus hominibus à Deo præceptum. 524. Nam Christus & Paulus abstinentiam à coniugio suadent. ibid. Lutheri spurca in hac materia doctrina. 525. Paulus matrimonio semper abstinuit, etiam teste Caluino. 526. &c. Mundo iam pleno hominibus non obligantur singuli ad procreandum. 527. Quilibet ad cœlibatum obligatus per gratiam Dei, & alia media continere potest. 528. & 533. Non minùs quàm coniugati, à coniugibus absentes. 529. Coniugia non sunt licita Sacerdotibus, & voto continentiæ ligatis. 529. Etiam inire velle matrimonium damnabile ijs, qui vouerunt. 530. Cœlibatus temerè non est vouendus. 531. Apostolus absolutè non voluit iuniores nubere. Ibid. Præstat nubere, quàm vouere absque firmo seruandi voti proposito. 532. Ex doctrina Confessionis sequitur, continentiam nemini magis suaderi posse, quàm abstinentiam ab omni cibo. 534. Cœlibatus Clericorum ex traditione Apostolica est. 535. Coniugia Monachis nunquam fuerunt licita. 536. & 544. Nullo antiquitatis exemplo ostendi potest, Sacerdotibus coniugia inire licuisse. 537. Rationes pro cœlibatu Sacerdotum. 539. Rationes quas Confessio pro lege cœlibatus abolenda adducit, non sunt validæ. 541. Pœnæ in Sacerdotes matrimonia contrahentes olim variæ. 544. Contractus coniugales Sacerdotum non semper fuerunt inualidi, sed semper illiciti. 548. Ecclesia illicitos matrimonij contractus potest declarare nullos. Nam idem apud Confessionistas vsurpatur. 545. Laudando cœlibatum non vituperamus coniugium. 565.

Consilium Euangelicum.

Est res ardua, re præceptâ melior, non pertinens ad omnes homines, sed in cuiusque arbitrio posita: & si omittatur nihil mali adfert, sed maiore bono priuat. 555. & 56.

Contritio.

A Confessione Augustana non rectè describitur. 486. Homines dum peccatorum suorum memoriâ terrentur, hoc ipso contritionem non habent. 487. Per contritionem Confessionisticam remissio peccatorum obtineri non potest; quia eadem statuitur in Petro & Iuda. Ibid. Et facit hominem magis peccatorem. 488.

Deus.

Quomodo promiserit remissionem peccatorum. 149. Qui proximum rectè diligit, etiam Deum diligit. 156. An & quomodo possit Deus perfectè à mortalibus, & ex toto corde diligi. ibid. Timor Dei bonus & malus. 204.

Ecclesia.

Absque iudicio Ecclesiæ modernæ controuersiæ decidi non possunt. 28. &c. Mala vita credentium non præiudicat bonæ Ecclesiæ doctrinæ. 172. Eclcesia vel consideratur ratione communionis externæ in eadem doctrina, vel ratione donorum internorum. 206. Hoc loco priore modo consideratur. 207. In Confessione Aug. non rectè definitur. 208. Quomodo mali sint membra Ecclesiæ. 209. Quomodo tota Ecclesia militans vocetur Sancta. 211. Mali sunt membra corporis externi, non interni spiritus: & diuersa ratione ad regnum Christi, & regnum Diaboli spectant. 212. Ecclesia vt magistra nostra constat bonis & malis. 214. Definitio Ecclesiæ, quæ in Apologia fingitur, non est Catholicorum sententiæ conformis. ibid. Descriptio Ecclesiæ Catholica. 215. Est vna, sancta, Catholica, & Apostolica. 216. &c. Sanctitas interna toti Ecclesiæ, quam audire tenemur, non competit. 218. Quomodo infantes profiteantur fidem. ibid. Catechumeni credentes ad veram Ecclesiam spectant. 219. Ecclesia vera, quà vera, non est visibilis. 221. Nihilominus à visibilitate sua nunquam separari potest. ibid. & 357. Idq; ex Confessione Aug. probatur. 222. Quæ omnino inuisibilis est, nulla est. 223. Ecclesia Christi semper audienda est. 224. In illa interior communio sanctorum sine externa prædicatione non consistit. 225. Quamuis tota synagoga aliquando defecisset, hoc tamen ad Christi Ecclesiam trahendum non esset. 226. Sed ne Synogoga quidem tota defecit. 227. Neque Ecclesia tempore persecutionum, & Arrianorum. ibid. &c. Neque tempore Antichristi tota peribit. 230. Prohibito publico Religionis exercitio non perit Ecclesia visibilis. 231. Sed semper à prudentibus æstimatoribus cognosci potest. 232. Duæ regulæ per quas vera Ecclesia inter hæreses discerni potest, his temporibus accommodæ. ibid. &c. Ecclesia Catholica in fide errare non potest. 235. Ecclesiæ Pastores in vniuersali doctrina simpliciter audiendi. 237. Christus per Ecclesiam nos docet. 238. Aduersarij maiorem Ecclesiæ auctoritatem non faciunt, quàm hominis priuati. 239. Idiotæ secundùm Aduersarios nihil certi de fide habent. 240. Secundùm eosdem ad veram Ecclesiam spectant quotquot fidem specialem

cialem

Digitized by Google

cialem habent, licet in alijs grauissimè errent. ibid. Antiqui Patres ad Ecclesiæ judicium prouocant. 242. Ecclesia antiqua, & ipsa primitiua secundùm Confessionistas in multis errauit. 243. Ecclesiæ nomen, quando de eius auctoritate, judicio, & directione in fide agitur, Pastores significat. 245. Promissio Dei de Ecclesia in veritate conseruanda est absoluta. 254. Confessionistæ Donatistis consentiunt, dum totam Ecclesiam visibilem ante Lutherum perijsse dicunt. 258. Ecclesia etiam inter persecutiones diu latere non potest. 267. Tempore Eliæ non perierat tota synagoga visibilis. 274. Nec tempore aduentus Christi. 275. Longè miseriorem statum Ecclesiæ faciunt Confessionistæ, quàm fuerit vnquam synagogæ. ibid. Ecclesia vera perpetuam successionem habet. 277. &c. in sapientia proficere potest, sed nihil à maioribus acceptum mutare. 284. Nouis reuelationibus non nititur. 285. Extra Ecclesiam non est salus. 290. Infantes hæreticorum baptizati ad illam spectant. 291. Non rectè accusantur Catholici, quòd alij plures, alij pauciores Ecclesiæ notas numerent. 292. Notæ quas assignant Patres. 293. Singulæ notæ quoad externam speciem soli Ecclesiæ non conueniunt. 294. Simul sumptæ in sola Ecclesia vera reperiuntur. 295. Notæ quas Aduersarij ponunt illis tantùm notæ sunt, qui Ecclesiæ veræ jam certò credunt. 295. Simplicibus extra Ecclesiam constitutis vtiles esse non possunt. 296. Per illas in falsam Ecclesiam de vera dubitans deduci potest. 297. Catholicorum notæ generales sunt. ibid. Notæ Aduersariorum Ecclesiam certò non ostendunt. ibid. Nec, vt ante Ecclesiæ notitiam cognosci possunt, soli Ecclesiæ conueniunt. 292. Et [illegible] per Verbum Dei Scripturam intelligunt, vna notarũ Ecclesiâ posterior est. 298. Puram Verbi Dei prædicationem quærimus, quamdiu quærimus Ecclesiam. 299. Qua ratione Ecclesiam inuestigandam senserit Augustinus. 300. Omnes fideles Ecclesiam cognoscere debent; non omnes cognoscunt notas, quas Aduersarij ponunt. ibid. Cognitio Ecclesiæ, quæ Scripturæ fidem præcedit, non est tantùm coniecturalis. 301. Ecclesiæ & Doctorum in alijs disciplinis paritas, & disparitas. ibid. &c. Secundùm Aduersarios quiuis sentire potest, quod Scripturæ magis congruum putat. 302. Et ita generaliter nihil certi in fide habent. 303. Qui in re controuersa aliquid certi habere vult, in Ecclesia quærere debet. 304. Aduersarij paucitatem hominum Ecclesiæ veræ notam esse volunt, contra SS. Patrum mentem. 305. Ecclesiæ testimonium non est merè humanum. 308. Ecclesia non nisi præuio examine dubia decernit, exemplo Apostolorum. 312. Vltima fidei nostræ resolutio non fit in Ecclesiam; sed in Verbum Dei, quod Ecclesia proponit. 317. In omni controuersia primum statuendum, quæ sit vera Ecclesia. 334. Non tantùm initio, sed toto vitæ tempore Ecclesiæ magisterium audiendum est. 337. Ecclesiæ definitio in rebus per se dubijs certa est. 389. Ecclesiæ consuetudo fideles obligat. 406.

Ecclesia Romana.

Non est particularis. 256. Petrus Romanam Ecclesiam fundauit, &

 Romæ

Digitized by Google

Romæ martyrio coronatus est. 257. Omnes hæretici à Romana Ecclesia damnati sunt, ipsa à nullo vnquam orthodoxo. 268. Romana Ecclesia moderna nusquam antiquæ contraria. 282. Quamuis in ea plura expressè credenda proponantur, quàm in antiqua. 283. &c. Non potuisset à vera doctrina deficere, quin defectus eius notaretur. 287. Ex Confessionis doctrina sequitur, ipsam solam esse veram. 324. Quia sola perpetuò durauit. 325. Habet membra verè sancta. 326. Est Catholica. 327. Non tantùm nomine (quamquam ipsum nomen multùm probat) sed etiam re. 328. In omnibus fidei Art. rectè sentit. 329. Ecclesia etiam ab amplitudine Catholica dicitur; non tantùm ab vniuersali prædicationis veritate 330. Eadem nunc in Ecclesia Romana sunt, quibus olim in illa tenebatur S. Augustinus. 332.

Ecclesia Confessionistarum.

Ante centum annos omninò noua fuit. 259. & 323. Quia nusquam terrarũ ante extitit. 260. Non rectè prouocat ad Scripturam. 262. Nec ad Ecclesiã Apostolicam. 263. Quia eius primi Pastores nemini succedentes à seipsis cœperunt. ibid. Non consentit cum antiquis Patribus. 264. & 232. Sed cum antiquis hæreticis. 265. Eius fidem nemo ante Lutherum habuit. 266. Ad illam eo modo reuocari possunt omnes hæretici, quo quosdam ante Lutherum reuocant. 268. &c. Zvvingliani quoque, & Caluinistæ. 272. Etsi Romana Ecclesia falsa esset, non tamen ideò Confessionistica probari posset esse vera. 276. Idiotæ in Ecclesia Confessionistarum ob solam Prædicantium auctoritatem credunt. 278. Ecclesia illa est schismatica. 323. Idque contra suam conscientiam. 324.

Eucharistia.

Confessio Articulo X. nihil contra transubstantiationem habet, & in germanico vel fallit, vel eam admittit. 382. &c. Transubstantiatio ex Scriptura satis firmiter probatur. 384. & 388. Eam ex Scriptura refutare non possunt Aduersarij 386. Probatur ex Scriptis Patrum. 388. Ex definitione Ecclesiæ. 389. Christum in Eucharistia adorandum concedunt Aduersarij. 411. Dum Eucharistiam cultu latriæ adorandam dicimus, non creaturam, sed solum Christum ita adorandum sentimus. 412. Eucharistia post consecrationem seruata manet Corpus & Sanguis Christi. 444. Etiam antiquitùs asseruari solebat. 416. Externo honore affici potest, & debet. 419. Per circumgestationem non transfertur in alium vsum ab eo, quem Christus instituit. 420 Eucharistiæ circumgestatio ex circumgestatione arcæ non refutatur, sed probatur. 421.

Fides.

Non est nuda notitia, sed firmissimus assensus. 96. & 135. Simul est donum Dei, & opus hominis. 106. Qumodo imputetur ad justitiam. 116. Iustificat, sed non sola. 120. Sine charitate inutilis. 122. Est fundamentum justificationis. ibid. Eius vita in charitate. 125. Secundùm Aduersarios ante justificationem non est opus bonum. ibid. Sano sensu dici potest,

test, quòd sola justificet. 125. Nam & Patres vario sensu hoc asserunt, sed nullo Aduersarijs fauente. 127. Promissionem remissionis peccatorum quomodo accipiamus fide. 126. Probabile est aliquando fidem in Script. pro fiducia sumi. 130. Sed fides justificans non est specialis fiducia de remissione peccatorum. 131. Quia propriè actum intellectus, non voluntatis significat. 133. Et à fiducia distinguitur. 134. In ipsa Confessione. 136. Sine charitate potest esse, sed non prodesse. 137. Aliàs per fidem nemo justificari posset. 138. Fides sine charitate cur mortua. ibid. Cur fidei dæmonum similis. 139. Ad justificationem præter fidem alia requiruntur. 144. & 154. Quomodo intelligendum: quidquid non est ex fide peccatum est. 177. Fidem sine prædicatione ordinariè nemo consequitur. 260. 290. & 307. Aliam habuit fidem mulier peccatrix à fide Lutherana. 480. Per fidem non justificatur homo, ex doctrina Aduersariorum. 484. Singuli fideles quomodo de veritate fidei judicare debeant. 246.

Fiducia.

Fiducia de remissione peccatorum in conscientiæ dictamine fundatur. 132. Sine fiducia meritorum Christi nemo adultus justificatur. 155. Fiducia in Christum semper in Ecclesia Romana docta fuit. 271. & 327. Fiducia Lutherana multos errores inuoluit. 272. Fiducia misericordiæ Dei, peccatori necessaria, non est propriè fides. 481.

Frœreisenius.

Quasi deuicto Aduersario superbè triumphat. 333. Ineptè cauillatur. 340. Contra protestationem suam passim calumniatur, & Patres Societatis grauissimè, Regicidas & Sicarios vocans. Quod & refutatur. 343. Hæc criminatio meliore jure in Antecessores ipsius retorqueri potest. 346. Conuitiando par pari referre nolo. ibid. Ipsum tamen, quia mentem nostram, quasi aliàs incognitam, aperiri postulat, pro hæretico habeo. 347. Quia se esse in vera Ecclesia probare non potest. ibid. Sed contra constat, ipsius Ecclesiam non esse veram. 348. Neque probare potest, veram Ecclesiam visibilem totam ante Lutherum perijsse: quod tamen ipsi probandum incumbit. 349. Nec probat Papam esse Antichristum. ibid. &c. Quia tanquam manifesta testimonia obtrudit, quæ obscura esse fatetur. 353. Ineptè philosophatur. ibid. &c. Crimen falsi committit. 354. Retorquetur in ipsum propheria de meretrice babylonica. 355. Duo ipsi manifestè probanda sunt, vt ab hæresis nota se expediat: videlicet totam Ecclesiam visibilem ante Lutherum per mille & plures annos apostatasse, & suam potiùs Ecclesiam esse veram, quàm Caluinianam, Zvvinglianam, &c. 356. Malè causam suam nostræ æquiparat. 357. Quia sumus in possessione Ecclesiæ, & quibusdam vinculis in illa tenemur, quæ nisi manifesto Verbo Dei contrario dissolui nequeunt. 358. Non rectè à nobis exigit, vt singula fidei nostræ dogmata ex Scriptura manifestè probemus. 384. & 85. Quia Baptismus paruulorum ex Scriptura manifestè probari non potest, neque Baptismi prohibita iteratio: quæ

tamen nobiscum vt dogmata fidei defendit. 376. & 78. Dogmata sua controuersa ex Scriptura non probat. 385. & 86. Vt clara testimonia contra cultum Sanctorum adducit, quæ non sunt talia. 597.

Gratia.

Quomodo gratia, quâ Deo grati sumus, dicatur gratia Christi. 117. Gratia Dei nobis in iustificatione non confertur cum hac conditione, vt ipsam posteà mereamur. 586. Omnis gratia, quam accipimus, ex meritis Christi profluit. ibid.

Hæretici.

Semper ad Scripturam prouocarunt. 30. Vt filii Cham vitia Præpositorum Ecclesiæ detegunt. 248. Scientiæ prætextu sua iudicia iudicio Ecclesiæ præferre solent. 312.

Imagines.

Non sunt inuocandæ, neque quidquam ab eis petendum. 612. Discrimen imaginis & idoli. 613. Imagines Dei quomodo licitæ. ibid. Per imagines Christum & Sanctos veneramur. 618.

Iustificatio.

Absque Dei gratia nemo iustificatur. 98. In prima iustificatione non habet se homo merè passiuè. 105. Quamuis non concurrat ad efficiendam iustificationem, sed tantùm ad eam recipiendam se disponat. 106. Quomodo homo iustificandus comparetur lapidi, & homini mortuo. 107. In iustificatione verè mundatur homo à peccatis. 108. &c. Merito Christi iustificamur. 111. Iustificatio non consistit in sola remissione peccatorum. 117. & 125. An & quomodo gratis iustificemur. 118.

Iustitia.

Iustitia hominum non est tantùm imputatiua, sed donum internum. 112. Quo sensu Christus nostra iustitia. ibid. Cur iustitia comparetur indumeno. 114. Est donum gratuitum, diffusum in cordibus hominum. 115. De iustitia sua nemo ordinariè omnino certus. 143. & 151. Quamuis moralis quædam certitudo haberi possit. 141. Quæ in conscientia fundatur. 142. Propter Art. Symboli Apostolici de remissione peccatorum nemo certa fide de se statuere potest, quòd sit iustificatus. 145. Ex doctrina Aduersariorum sequitur, neminem iustum orationem Dominicam orare posse. 146. Iusti à maledictione legis, si eam non seruent, non sunt liberi. 162. Iustitia potiùs remissione peccatorum constat, quàm perfectione virtutum, quo sensu. 187. Iustorum imperfecta perfectio. ibid.

Kemnitius.

Calumniatur Concilium Tridentinum docere, Philosophos sine fide solâ lege naturæ saluatos. 99. Item homines per Sacramenta sine fide & pœnitentia iustificari. 365. Falsò dicit transubstantionem in Concilio Lateranensi non esse definitam. 389. Calumnia eius de adoratione Eucharistiæ. 420. &c.

Libe-

Digitized by Google

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium negat Lutherus. *15.* & *89.* & Philippus. *90.* Potest sua virtute opera quædam præcepta facere. *91.* Qualiter possit diligere Deum. *93.* Posse suis solis viribus de congruo mereri gratiam non est sententia Ecclesiæ, sed quorundam Scholasticorum improbabilis opinio. 99. Actus dilectionis Dei, solis naturæ viribus elicitus, non est eiusdem rationis cum eo, qui per gratiam producitur. 100. Quàm parùm tribuamus libero arbitrio in ordine ad vitam æternam. 101. Non habet se merè passiue in prima iustificatione. 105.

Lutherus.

Non fuit verus Confessionista. 15. &c. Eius erga Summum Pontificem hypocritica obseruantia. 35. Et paulò post furibunda insultatio. 36. Eius contra Regem Angliæ superbia & insolentia. *38.* Cuius è plebe iudicium de doctrina Ecclesiæ committit. 39. De doctrina sua dubitauit. 113. Bona opera nihili fecit. *269.* Principes porcis comparat. 15. Sanctos Patres scurriliter tractat. *264.* Ipsum Lutherani cum Ioanne & Christo impiè comparant. *272.* Absque miraculis illi credi non debuit. *273.* Ad prædicandum id quod prædicauit à Deo vocatus non fuit. 510. Non per vocationem ordinariam: quia Antecessore caruit. ibid. Quæ est infallibilis hæreticorum nota. 511. Non per Sacerdotium, nec per Doctoratum, nec per Professuram Theologicam vocatus fuit. *512.* Et proinde aliam vocationis suæ rationem comminiscitur. 515. Scripturam purè non exposuit. 516. Non omnis qui vera profitetur, ad docendum vocatus est. 517. Extraordinaria vocatio Luthero necessaria fuit, qua tamen caruit. 519. Miraculis doctrinam suam confirmare debuit. 520. Vide Coniugium Sacerdotum, & Potestas ciuilis.

Lutherani.

Ante Librum Concordiæ non fuerunt veri Confessionistæ. 17. &c. Neque ipse Liber Concordiæ, neque Lutherani moderni Confessioni Aug. consentiunt. 20. &c. Vide specialem Indicem, & vocem Confessionistæ.

Mandata Dei.

Sine gratia impleri non possunt. 55. Iustis, & gratiâ Dei instructis non sunt impossibilia. 155. Nemo ab eorum obligatione & maledictione, si non seruentur, liber. 162. Traditiones humanæ mandatis Dei non sunt præferendæ. 166. Quo sensu dicat S. Augustinus, duo mandata: Diliges Dominum Deum tuum, &c. &: Non concupisces, in hac vita impleri non posse. 184.

Meritum.

Meritum congruum nec vniuersaliter in Ecclesia docetur, nec gratuitæ iustificationi repugnat. 119. Vnde meritum in operibus nostris. 190. Quales mercenarios reprehendat Christus. 201. Merita nostra non

habemus ex nobis, sed ex gratia Dei. 195. & 198. Augmentum gratiæ mereri possumus. 586. Vide Opera bona.

Missa.

Apologia Statum controuersiæ de Missa non rectè ponit. 425. Missa est sacrificium quo impetrantur dona Dei. 429. Præfiguratum est per sacrificium Melchisedech. 430. &c. Est propriè Sacrificium, quamuis sit sacrificii Crucis commemoratiuum. 434. Missa vtiliter non tantùm viuis, sed etiam defunctis applicatur. 436. Confirmatur Missæ sacrificium testimonio Malachiæ. 437. Et quibusdam noui Testamenti locis. 442. &c. Cur Apostolus, agens de sacerdotio Melchisedech, non fecerit expressam sacrificij Missæ mentionem. 446. Doctrina de Missa non repugnat Testamento Christi, nec institutioni Eucharistiæ, nec sacerdotio aut sacrificio cruento Christi. 448. &c. Per illud applicatur virtus sacrificij Crucis. 450. Non est satisfactorium pro peccatis, vt sacrificium Crucis. 452. Sacrificium Crucis sua virtute prodest; Sacrificium Missæ virtute sacrificij Crucis. 453. Et ipsa applicatio, quæ per sacrificium Missæ fit, sacrificio Crucis ascribenda est. 454. Missa, quia sæpiùs repetitur, non est tam perfectum sacrificium, vt sacrificium Crucis. ibid. Potissima ratio, qua Confessio Missam in sacrificium crucis contumeliosam probare nititur, in calumnia fundatur. 458. Priuatæ Missæ ante tempora Gregorij fuerunt in vsu. 459. Non pugnant cum institutione Christi. 462. Nec cum antiqua Ecclesia. 466. Nec cum Canonibus. 464. Nec cum Patribus. ibid. Missa non necessariò linguâ vulgatâ celebranda. 465.

Opera bona.

Absque Dei gratia ad salutem nihil prosunt. 55. Opera bona Lutherus, & eius Discipuli contemnunt. 169. &c. Non omnia opera infidelium sunt peccata. 174. Nec Christianorum, postquam in peccata inciderunt, 176. Opera bona iustorum non continent imperfectionem peccaminosam. 178. Quamuis in eodem subiecto habeant peccata venialia coniuncta. 182. Non est peccatum quod summæ charitatis perfectioni in hac vita deest. 183. Opera mortalium imperfecta sunt respectu perfectionis cœlestis. 184. Deus multò perfectiora exigere posset, quàm quæ iusti ordinariè faciunt 187. Quid dignitatis bonis operibus Confessionistæ tribuant. 189. Deus operibus nostris nihil deberet, si gratuitò non promisisset. 190. Operibus nostris remissionem peccatorum & adoptionem mereri non possumus. 191. Sed opera bona iustificatorum merentur vitam æternam. 192. Propter promissionem. 194. Vt nostra sunt, non sunt digna vitâ æternâ; sed vt fundantur in gratia Dei, & meritis Christi. 198. Intuitu mercedis æternæ benè operari licet. 200. Opera supererogationis quæ. 504.

Papa.

Cur decreta Papæ dicantur decreta Ecclesiæ. 247. Priuati Pontificum lapsus non probant, ipsos ex auctoritate publicè docentes errare. 248. Petri

Digitized by Google

248. Petri lapsus non doctrinæ, sed conuersationis fuerunt. ibid. & 249. Papam esse Antichristum manifestè probare non possunt. 347. Pontifex ex iure diuino nullius rei temporalis directum dominium habet. 576. Tota potestas, quam in temporalia Principum habet, est indirecta, ratione boni spiritualis. ibid. Quamdiu Principes in terminis merè politicis, conscientiam non lædentibus, manent, Pontifex ex iure diuino nihil potestatis in illos prætendere potest; nisi aliunde habeat. 577.

Pastores.

Ecclesiæ Pastores audiendi sunt. 236. & 37. Sunt organa Spiritus Sancti. 238. Spiritum peculiarem ad aliorum vtilitatem habent, quem singuli fideles non habent. 246. Non pro libitu quiduis in dubijs definire possunt ibid. & 255. Quamuis per se erroribus subiecti, generaliter tamen Ecclesiam docentes non errant. 256. Quilibet legitimi Pastores audiendi, quamdiu ab Ecclesia non dissentiunt. 308. Pastores fundantur super Verbum Dei, & simul sunt fundamentum ministeriale aliorum fidelium. 318. Pastorum Ecclesiæ, quamuis fortè hypocritarum, professio externa tenenda est. 342. Cur Ecclesiæ Pastores in nouo Testamento non appellentur Sacerdotes. 444. Etiam qui malis artibus ad officia venerunt, quamdiu Ecclesiæ consentiunt, audiendi sunt. 518.

Peccatum originale.

In omnes homines transit, & est verè peccatum. 40. Nasci in peccato originali non rectè in Confessione dicitur esse nasci sine metu, & notitia Dei. 41. Complectitur carentiam gratiæ, & virium ad actus supernaturales. 42. Non manet in renatis, vt tantùm non imputetur. 50. In hoc S. Augustinus Luthero non consentit 51. Manere in homine non posset, quin imputaretur à Deo. 52. Confessio sententiam S. Augustini pro peccato originali post Baptismũ manente citat, quæ illius nõ est. 51.

Peccatum actuale.

De ratione peccati est, vt sit voluntarium. 48. & 159. Confessionistæ æquè causam peccati in Deum referre, atque vbiquitatem humanitatis Christi defendere possunt. 85. Idque cum Luthero, & Philippo. 86. Peccata in iustificatione verè tolluntur. 108. Omnia peccata voluntaria secundùm Confessionistas mortalia sunt. 138. Peccata leuia non faciunt homines æternæ damnationis reos. 160. & 165. Nemo ab omni peccato liber. 182. & 186. Timore pœnæ à peccatis abstinere licet. 203.

Philippus Melanchthon.

De doctrina sua dubitauit. 113. A doctrina Confessionis Aug. recessit, vt notum est. Plurimas fraudes, mendacia, & calumnias Confessioni & Apologiæ immiscuit, vt pag. 89. & alibi passim; prout & ex parte Index specialis supra positus insinuat.

Pœnitentia.

Per pœnitentiam iustificamur. 121. Confessio non rectè duas tan-

tùm pœnitentiæ partes statuit, contritionem, & fidem. 476. Apologia ineptissimè hanc sententiam ex Scriptura probare nititur. 477. Confessio Augustana pœnitentiæ partes, causas, & effectus confundit. 483. Ex Confessionistarum doctrina per pœnitentiam non iustificatur homo, ibid. Pœnitentiæ partes tres, Contritio, Confessio, & Satisfactio. 484. Scholastici in his quoad fidem non dissentiunt. 485.

Potestas Ecclesiastica.

Ius ex permissione Euangelij competens rationabili Ecclesiæ præcepto tolli potest. 409. Episcopi habent potestatem ferendi leges obligantes in conscientia. 571. Exemplo Apostolorum. 572. Quia sunt Præpositi fidelium. 573. Petrus vetans jugum imponere Christianis loquitur de lege ceremoniali Iudæorum. 574. Potestas Pontificis & Episcoporum est in Ecclesiæ ædificationem. 575.

Potestas Ciuilis.

Potestas ciuilis scurriliter tractatur à Luthero. 591. Docet nullum magistratum habere potestatem ferendi leges super Christianum sine ipsius consensu. 592. Inter Christianos perfectos non esse opus Magistratu. ibid. Imperatorem tyrannum vocat. ibid. Principes communiter maximos fatuos, & pessimos nebulones esse dicit, & omnes esse lictores, & carnifices Dei. 593. Cæsarem mendacij arguit, & Turcam illi præfert, ac dissuadet bellum contra Turcam. ibid. Ducem Saxoniæ Georgium mendacem & sceleratum, se Euangelistam vocat. ibid. Principes lendibus comparat. ibid. Rusticis rebellibus victoriam, Principibus cædem prædicit. 594. Euangelium suum seditionum originem fatetur. ibid.

Reliquiæ.

Confessionistæ Reliquias Sanctorum non magis venerandas docent, quàm ossa furum, vel latronum. 602. Reliquiæ non sunt inuocandæ. ibid. Illas tamen venerari licet. 614. Honor reliquiarum tendit in Deum. ibid. Exempla Scripturæ pro veneratione reliquiarum. ibid. Eadem probatur perpetua traditione Ecclesiæ. 615. Confessionistæ miracula in confirmationem huius venerationis facta, more gentilium & antiquorum hæreticorum, Diabolo ascribunt. 617. Nihil incommodi est, si falsæ reliquiæ vt veræ, per ignorantiam honorentur. 618.

Ritus.

Inter fidei Articulos & Ecclesiæ ritus magnum discrimen est. 283. Ritus Ecclesiæ vniuersales in conscientia obligant. 579. Qui ritus cum scandalo violant, Confessionistarum judicio peccant. 580. Ritus ad Ecclesiæ disciplinam necessarij sunt. ibid. Varia sunt rituum genera. ibid. Quas rituum obseruationes reprehendat Augustinus. 581. Ritus Ecclesiæ communes pauci & faciles respectu obseruationum Iudaicarum. 574. Insolentissimæ insaniæ est disputare de ritibus, quos tota seruat Ecclesia. 582. Non docemus ritus mereri primam justificationem. 584. Ritus non sunt absolutè necessarij ad obtinendam justitiam. 585. Non quiuis

ritus

ritus ab hominibus excogitati approbandi. ibid. Non est peccatum minimum quid in ritibus citra contemptum omittere. ibid. Ritus Ecclesiæ non sunt æquandi mandatis Dei. ibid. Obligatio rituum non tollit libertatem Christianam. 587.

Sacramenta.

Calumnia Confessionis de Sacramentis ex opere operato conferentibus gratiam. 360. Quid sit ex opere operato conferre gratiam. 363. Sacramenta sine fide non prosunt. 362. Ex mente Confessionis tantùm instar concionis, vel picturæ mouendo prosunt. 366. & 67. Et remissionem peccatorum jam factam supponunt, vt sint vtilia. 367. Sacramenta sunt efficacia vt Dei instrumenta, non vt causæ adiuuantes. 369. Verbum vitæ, quod in Sacramento mundat, non est concionale. ibid.

Sancti cœlites.

Quomodo colamus Sanctos. 596. Externus cultus ab intentione animi speciem accipit. ibid. Cultum Deo proprium per latriam, cultum Sanctorum per duliam cur significemus. ibid. Nihil contra cultum Sanctorum habetur in Scriptura. 597. & 99. Quo sensu Sanctos adoremus. 598. Hæc adoratio probatur ex Scriptura. ibid. & 99. Quo sensu soli Deo seruiendum. 600. Diabolus diuinos honores à Christo postulauit. 601. Sancti defuncti orant pro nobis. 602. Quo modo cognoscant nostras preces. 603. Non tantùm in genere, sed & in specie pro nobis orant. 604. Inuocari possunt, vt pro nobis orent. 605. Vnde certi simus inuocationem Sanctorum Deo placere. 609. Sanctos non facimus propitiatores nostros, sed tantùm intercessores. 610. Cur Deus quædam miracula ad vnius potiùs, quàm alterius Sancti inuocationem operetur. 611.

Satisfactio.

Non sentimus homines per sua opera sine gratia pro peccatis satisfacere posse, sed tantùm pro pœna temporali. 499. Tales pœnæ post culpæ remissionem communiter luendæ supersunt. ibid. Reconciliatio est remissio offensæ, non semper omnis pœnæ. 51. Afflictionibus patienter toleratis, & voluntariè assumptis, vt & bonis operibus à Sacerdotibus iniunctis pro pœnis satisfieri potest. ibid. Opera satisfactoria imponere est Sacerdotum. 503.

Scholastici.

Scholasticorum singulares opiniones, contra ipsorum mentem distortas, toti Ecclesiæ ascribit Confessio. 53. 96. 99. 360. &c. Scholasticorum disputationes non faciunt discordiam in rebus fidei. 485. Scholasticos non semper rectè sensisse fatemur. 506. &c.

Scriptura sacra.

Non manifestè decidit modernas controuersias. 29. &c. Omnes hæretici semper ad illam prouocarunt. 30. Non est Ecclesiæ simpliciter necessaria. 241. & 319. Patres sæpiùs Scripturis, quàm Ecclesiæ testimonio

contra hæreticos curvtantur. 244. Vniformis Scripturæ editio in publicis Ecclesiæ officijs necessaria. 252. Textus græcus non est ab omni errore vacuus. 253. Etiamsi quis totam Scripturam rectè doceat, si tamen ab Ecclesia se separet, non saluabitur. 262. Hæretici, quia perpetua successione carent, ad disputationem ex Scriptura non sunt admittendi. 280. Inutiliter ex Scriptura disputatur cum eo, qui Ecclesiam non audit. 304. Sanctus Augustinus dicit, se Scripturæ non crediturum, si per illam Ecclesiæ infringeretur auctoritas. 306. Scriptura infallibilitatem suam ab Ecclesia non accipit, sed nobis absque Ecclesiæ testimonio certò non innotescit. 307. & 309. De multis Scripturæ partibus olim dubitatum est, de quibus ob Ecclesiæ auctoritatem dubitare jam non licet. ibid. Aduersarij, dum quasdam ex his recipiunt, quasdam reijciunt, priuato suo judicio nituntur. 310 Libri Machab. è Canone Scripturæ excludendi non sunt. 311. & 313. Confessionistæ certò scire non possunt, tota Biblia esse Verbum Dei. 313. Hoc enim nusquam scriptum. ibid. Sed tantùm traditum est. 314. Quare Augustinus dicit, se Euangelio non crediturum, nisi ipsum Ecclesiæ Catholicæ moueret auctoritas. 315. Nulla sunt critiria interna, quibus certò cognosci possit totam Scripturam esse Verbum Dei. 316. Scripturæ & Ecclesiæ testimonium mutuum. 319. Scriptura est Verbum Dei, sed non vox Dei nobis testificans, quod ipsa tota sit talis: & singulas controuersias manifestè decidens, vt Ecclesia. 320. Non est paritas inter Scripturam, & aliarum disciplinarum principia. 321. Scriptura in dubijs proprio marte examinanda non est, sed in Ecclesiæ judicio acquiescendum. 335. Nullus est disputandi ex Scriptura finis, cum Ecclesiæ judicium contemnitur. 338. Solam Scripturam pro regula fidei non habemus. 357. Argumenta nostra ex Scriptura, quamuis sæpè tantùm probabilia, pro confirmatione Articulorum quos ex definitione Ecclesiæ certò credimus, non possunt euerti, nisi manifestis in contrarium. 400. Singulare specimen argumentorum ex Scriptura ab Aduersariis in grauissimis controuersijs adduci consuetorum. 477. Nostrum non est singula nostra dogmata ex Scriptura manifestè probare, vt Aduersariorum. 384. & 496.

Vbiquitas.

Explicatur doctrina Lutheranorum de Vbiquitate. 57. Doctrina de Vbiquitate Articulo III. Confess. Aug. repugnat. 58. &c. Repugnat Articulo de Aduentu Christi ad judicium. 61. Ex illa sequitur humanitatem in diuinitatem esse conuersam. 63. Et diuinitatem in humanitatem. 67. Nullum habet fundamentum in Scriptura. 69. &c. Neque in orthodoxis Patribus. 76. &c.

Vita æterna.

Merces est. 193. Et simul gratia. 197. Et idcò simul titulo hæreditatis & mercedis datur. 199.

Vota

Vota monastica, & monasteria.

Ex monasterijs olim sumpti Episcopi, & Pastores voto continentiæ manebant obligati. 551. Confessionistæ, Prædicantium suasu, monasteria ad antiquam normam non reformant, sed deformant. ibid. Nemo Catholicorum vota monastica præfert, vel æquat Baptismo. 552. In ingressu religionis omnia peccata remitti probabile est, quoad omnem pœnam, remissâ videlicet ante per pœnitentiam culpâ. 553. Inter vota monastica & Baptismum comparatio quædam non malè instituitur. 554. Vota monastica sunt consilij Euangelici. 556. Faciliùs illecebras mundi effugiunt Religiosi, quam sæculares. 557. In nuda desertione bonorum nulla perfectio est. 559. Licet eligere paupertatem. 561. Nec quisquam ad bona temporalia retinenda obligatur. 562. Beatius est sine bonis temporalibus & coniugibus esse, quàm cum illis. 562. Status cœnobiticus est status perfectionis. 564. & 65. Securior est statu sæculari. 567. Et cæteris paribus plus meriti habet. ibid. Qui vota monastica emittit, relinquit omnia, & sequitur Christum. 568.

FINIS.

MENDA TYPOGRAPHICA
SIC EMENDA.

Pag. 3. lin. 19. *quòd*, pro *quod*. pag. 13. l. 25. *Chrisli*, pro *Christi*. pag. 15. *quàm*, pro *quam*. pag. 20. l. 3. *Illustrißimu*, pro *Illustrißimus*. pag. 21. l. 32. *Lurhero*, pro *Luthero*. pag. 53. l. vlt. *intolerablle*, pro *intolerabile*. pag. 62. l. 18. *persona*, pro *personas*. pag. 75. lin. 27. *θεοθόκον*, pro *θεοτόκον*, pag. 77. l. 22. *angeri*, pro *augeri*. pag. 93. l. 1. *nterest*, pro *interest*. & l. 2. *seniant*, pro *sentiant*. pag. 107. lin. 15. *præputitia*, pro *præputia*. pag. 120. l. 12. *modò*, pro *modo*. pag. 125. l. 28. *collorem*, pro *colorem*. pag. 139. l. 7. *fit*, pro *sit*. pag. 160. l. 25. inter, *est*, &, *peccata*, pone, *hoc est*. pag. 163. l. 10. *exhibite*, pro *exhibete*. pag. 164. l. 25. *quòd*, pro *quod*. pag. 169. l. 3. *exercitis*, pro *exercitiis*. pag. 190. l. 10. *Philipp*. 1. 2. pro 2. 13. pag. 195. l. 11. *plumis*, pro *plurimis*. pag. 236. l. 12. *ergo*, pro *ego*. l. 31. *vninersaliter*, pro *vniuersaliter*. pag. 269. l. vlt. *accussent*, pro *accusent*. pag. 293. l. 16. *teneat*, pro *teneant*. pag. 296. l. 25. *manduci*, pro *manuduci*. pag. 322. l. 21. *alienâ*, pro *aliena*. pag. 338. *ve*, pro *vel*. pag. 349. l. 26. *confici*, pro *conficit*. pag. 380. l. 18. *contineatur*, pro *contineantur*. pag. 403. l. 23. *Gonfeßionistæ*, pro *Confeßionistæ*. pag. 406. l. 13. *fit*, pro *si*. pag. 407. l. 33. *pracepturos*, pro *percepturos*. pag. 411. l. 18. *sacram*, pro *sacrum*. pag. 427. l. 33. *facient*, pro *facienti*. pag. 447. l. 29. *Quam*, pro *Quàm*. pag. 466. l. 2. *honorabunt*, pro *honorabant*. pag. 615. l. 13. *versanti*, pro *versantis*. pag. 616. l. 20. *post*, pro *pòst*.

Reliqua, quæ occurrent, beneuolus Lector per se emendabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-2

Digitized by Google

Digitized by Google